UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacræ Scripturæ, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata, Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinæ moralis. II. De præcipuis ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario dilectionis Præcepto. VI. De primo decalogi Præcepto. VII. De secundi decalogi Præcepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

urn:nbn:de:hbz:466:1-53562

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



A NÉPKÖNYVTÁRI KÖZPONTTÓL
NEM ADHATÓ ELI
ÉP. 10

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

930
v
120

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

D. D. ANTONII GODEAU

EPISCOPI VENCIENSIS

VIRI CELEBERRIMI

THEOLOGIA MORALIS

EX

PURISSIMIS SACRÆ SCRIPTURÆ,

PATRUM AC CONCILIORUM FONTIBUS

DERIVATA,

NOTIS THEOLOGICIS

ILLUSTRATA,

DUASQUE IN PARTES DIVISA.

PARS I.

COMPLECTENS TRACTATUS

I. *De Fontibus Doctrinæ moralis.*
II. *De præcipuis ejusdem Fundamentis.*
III. *De Peccatis.*
IV. *De Legibus.*
V. *De summario dilectionis Præcepto.*
VI. *De primo decalogi Præcepto.*
VII. *De secundo decalogi Præcepto.*

EDITIO IN GERMANIA PRIMA.

SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER ET FILIORUM.

MDCCLXXXIV.

06
ISP
1211-112

Universität-Gesamthochschule
Bibliothek
La 11
Paderborn

78 92/88

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio.

Domini Cancellarii jussu legi Manuscriptum, cui titulus: MORALIS CHRISTIANA PRO INSTRUCTIONE PAROCHORUM ET PRESBYTERORUM VENCIENSIS DIOECESEOS: ab Illustrissimo Domino ANTONIO GODEAU Vencienſi Episcopo lucubratum. Celebre Auctoris nomen, eminens character, doctrina, virtus, raraque merita posthumi istius Operis elogium formant, & testimonium.

Datum Parisiis die 24. Maji anni 1708.

ANQUETIL.

Approbatio Censoris.

Quoniam Matthæus Rieger Civis & Bibliopola Augustanus, & ejusdem Filii Theologiam Moralem celeberrimi Viri ANTONII GODEAU, Episcopi Vencienſis, typis reimprimere desiderant, huncque in finem solitam approbationem expetierant; eadem eo libentius hisce scriptis tribuitur, quia hæc ipsa Theologia jam aliunde approbata, & eruditis notis denuo illustrata, Principiis fidei, & Regulis morum nihil adversum continere fuit inventa. Augustæ Vindelicorum, die 27. Decembris 1769.

JOSEPHUS HERZ,

SS. Theol. Lic. Rev. & Seren. Elect. & Archiep. Trevir. nec non Episc. August. Consil. Eccles. Consist. Assess. Visitator General. ac Librorum Censor.

Imprimatur ex Vicariatu.

JOANNES HERZ,

SS. Theol. Licent. Rev. ac Sereniss. Archiep. Trevir. & Episc. August. Consil. Eccles. Fiscalis, Visitator, Provicarius Generalis, & Canonicus ao S. Gertrudem.

Biblio-

Bibliopolæ ad Lectorem.

Ne ſuccenſeas nobis, amice Lector, quod in tanta, quæ noſtram Germaniam alluit, colluvie librorum adhuc unum ex Galliis advocemus, eumque veteranum, jam uno abhinc elucubratum ſæculo. Homini ſiquidem Patrifamilias, qui de theſauro ſuo nova, & vetera profert, Bibliopolam aſſimilari haud ignorabis. Caſuiſtas novos noſtro ex Typographæo orbi literato plures obtulimus; ut jam tibi & hunc antiquum ſiſteremus, non una, ſed plures, nos permovere rationes.

Movit imprimis magnum Auctoris nomen, quod non minus rara vivendi methodo, quam eruditis ſuis libris ipſe ſibi peperit. Hic quippe in oppido Dreuxienſi honeſtis admodum oriundus natalibus, Pariſiis ſcientias didicit,

utque Regia munificentia ibidem Academia fundaretur, primus, ac præcipuus Auctor fuit. Ob eximia Poeseos, artisque oratoriæ specimina apud Cardinalem Richelium summo in pretio fuit, ad cujus instantiam anno 1636. Episcopatum prius Grinnicensem, tum Vencienſem obtinuit. Generalibus Cleri Gallicani Comitiis an. 1645, & 1656. interfuit, ubi cum aliis Galliæ Præsulibus contra pudenda laxioris Moralis deliramenta sententiam dixit. Sancti Caroli Borromæi instructiones edi, & per Diœceses distrahi fecit, ut Clerici rectam, juxta quam agerent, formam haberent. Frequentibus Diœceseos visitationibus, ad populum concionibus, aliisque veri Episcopi functionibus jugiter erat intentus. Pastoralis sollicitudinis munera non ita eum distinuere, quin plures præclaros libros gallice scriberet. Hos inter utriusque Testamenti historia eminet, curis nostris germanice reddita, quam omnes veræ literaturæ æstimatores commendant. Huic Paraphrases in Apostolorum Epistolas, novi testamenti versio, piæ in sancti Pauli ad Hebræos Epistolam

lam meditationes, in totius anni Dominicas & Festa Homiliæ, Sanctorum præprimis Episcoporum elogia, aliique parvi de Missionibus, & Seminariis &c. Tractatus, ac Instructiones synodales accessere, sicut & libellus de vocatione Clericorum, quem latinitate donatum tempore opportuno typis vulgabimus. Singula ista opera sublimem Godeau spiritum sat, superque produnt, mutique ceu oratores ejusdem laudes deprædicant.

Nos quoque ipsius operis præstantia movit. Hic quippe liber non vacuum humanæ sapientiæ corticem, sed divinorum Eloquiorum nucleum, Patrum, ac Conciliorum succum complectitur, quibus recreatus, ac illustratus Lector non modo ad alienos, sed suos cumprimis mores reformandos mirum in modum exstimulatur. Judicium hoc non est nostrum; sed virorum de re literaria optime meritorum concors effatum. Animo a præjudiciis repurgato librum hunc volve, & eisdem lubens subscribes.

Tandem movit ingens desiderium multorum, qui novos Scholasticos, eorumque philosophandi modum stomachantur; qui vivaci zelo pro antiquitate decertant, nec nisi famosos, annosos, probatos, communique applausu coronatos Moralistas sua lectione honorant, suisque collocant in Bibliothecis. Nobiles istæ notæ omnes præsenti in libro adunatæ inveniuntur. Præterquam quod famosissimum Præsulem parentem habeat, paucas admodum divisiones, nullas omnino subtiles vanitates, sed limpidissimos fanioris moralis fontes ex evangelicæ simplicitatis scaturigine manantes ad summam degustantium voluptatem exhibet. Dogmata & Canones Auctor sapientissimus parum, aut obiter attigit, quia non Dogmaticos, non Canonistas; sed bonos practicos, ac zelosos Confessarios formare pro scopo habuit.

Ut tamen nova & vetera simul lectori benevolo propinaremus, huncque librum publicis quodammodo prælectionibus aptaremus, Theologicas quasdam subnecti notas curavimus,

mus, quibus & majus lumen affunderetur textui, & quorumdam satisfieret gustui, qui, dum unum Auctorem legunt, alios pariter nosse affectant. Nonnulla insuper adjici textui fecimus, atque ordinem mutari, ut liber, quem Auctor morte præventus ad limam sumere, plene coordinare, ac perficere non potuit, quamdam posthumam acquireret perfectionem. Majori legentium commoditati inservire volentes librum duas in Partes distinximus, quarum *Prima* Tractatus de Fontibus Moralis Theologiæ, de Principiis; de peccatis, de legibus, de summario dilectionis præcepto: de præceptis primæ Tabulæ: *Altera* residuos de præceptis secundæ tabulæ, de præceptis Ecclesiæ, nec non de Sacramentis Tractatus contineat. Utilissimo itaque isthoc labore utere, fave, & vale.

ELENCHUS

TRACTATUUM, SECTIONUM, CAPITUM ETC. QUÆ IN HAC PRIMA PARTE CONTINENTUR.

TRACTATUS I.

De Fontibus Doctrinæ moralis.

SECTIO I.

De Fontibus moralis corruptæ.

CAPUT I. *Tres corruptæ moralis exhibentur cauſæ.* pag. 6

CAPUT II. *Oſtenditur moralem chriſtianam mutabilibus niti principiis non poſſe.* 14

CAPUT III. *Demonſtratur opinativam probabilitatem chriſtianarum actionum regulam non eſſe.* 18

CA-

CAPUT IV. *Unus vel pauci Recentiores opinionem probabilem satis non reddunt.* pag. 25
CAPUT V. *Inter duas sententias æque probabiles non licet sequi quamlibet.* 33
CAPUT VI. *Argumenti ejusdem continuatio.* 37
CAPUT VII. *Inter duas opiniones inæqualiter probabiles numquam sequi possumus minus probabilem minusque tutam.* 42
CAPUT VIII. *Idem continuatur argumentum.* 47
CAPUT IX. *Quædam Probabilistarum diluuntur objectiones.* 53
CAPUT X. *Inter duas opiniones quandoque licet sequi probabiliorem minus tutam.* 60

SECTIO II.

De Fontibus moralis sanæ.

CAPUT I. *Ostenditur ab Evangelio christianæ moralis regulas esse petendas.* 65
CAPUT II. *In Conciliis moralis christianæ sunt quærendæ regulæ.* 71
CAPUT III. *Idem continuatur argumentum.* 75
CAPUT IV. *Ejusdem argumenti continuatio.* 81
CAPUT V. *A sanctis Patribus moralis christianæ sunt discendæ regulæ.* 85

TRACTATUS II.

De Subjecto, & Fundamentis moralis christianæ.

SECTIO I.

De Subjecto moralis christianæ.

CAPUT I. *Hominis lapsi miser exponitur status.* pag. 93
CAPUT II. *Concupiscentia omnium malorum origo describitur.* 99
CAPUT III. *Concupiscentiæ pessimi recensentur effectus.* 104
CAPUT IV. *Ostenditur numquam licitum esse concupiscentiæ motibus assentiri.* 109
CAPUT V. *Sensuum oblectamentis, etiam moderate, ob solam voluptatem frui inhonestum est.* 113
CAPUT VI. *Idem continuatur argumentum.* 119

SECTIO II.

De caritate, tamquam primo Moralis christiana fundamento.

CAPUT I. *Caritas christianarum actionum regula esse debet.* 124
CAPUT II. *Caritas virtutes progenerat.* 128

CA-

CAPUT III. *Caritas ſpem nutrit, & auget.* pag. 131

CAPUT IV. *Veræ, ſolidæque virtutes ſecluſa caritate non dantur.* 136

CAPUT V. *Ut omnia opera noſtra ad Deum referamus caritas urget.* 139

CAPUT VI. *Cæritati non adverſatur, qui æternæ retributionis ſpe operatur.* 148

CAPUT VII. *Quid ſit bona opera facere ſicut oportet.* 152

CAPUT VIII. *Timoris bonitas, ac utilitas probatur.* 154

CAPUT IX. *Ex ſolo inferni pœnarumque timore perfecte non agitur.* 158

CAPUT X. *Caritatem primum Moralis chriſtianæ principium eſſe concluditur.* 164

SECTIO III.

De ſui abnegatione tamquam altero chriſtianæ Moralis Fundamento.

CAPUT I. *Ut nosmetipſos abnegemus, Chriſtus præcipit, ac baptiſmalis promiſſio ſtringit.* 167

CAPUT II. *Crucem ſuſcipere, ac Chriſtum ſequi, veri Chriſtiani officium eſt.* 171

TRAC-

TRACTATUS III.

De Peccatis in genere & in ſpecie.

SECTIO I.

De Peccatis in genere.

CAPUT I. *Peccati notio, & conditiones exponuntur.* pag. 178
CAPUT II. *Peccati diviſio traditur.* 183
CAPUT III. *Peccati mortalis malitia, & triſtes effectus expenduntur.* 190
CAPUT IV. *Peccati venialis damna deteguntur.* 196

SECTIO II.

De Ignorantia, Infirmitate, & Malitia, Peccatorum cauſis.

CAPUT I. *Ignorantiæ exiſtentia, & origo oſtenditur.* 199
CAPUT II. *Quæ ignorantia a peccato excuſet, inveſtigatur.* 204
CAPUT III. *Argumenti ejusdem continuatio.* 210
CAPUT IV. *Infirmitatis humanæ miſeria delineatur.* 218
CAPUT V. *Abominabilis malitiæ exhibetur notio.* 224

CA-

CAPUT VI. *Peccata contra Spiritum sanctum breviter exponuntur.* pag. 228

SECTIO III.

De Peccatis capitalibus.

CAPUT I. *Superbiæ descriptio, ejusque species.* 232
CAPUT II. *Superbiæ infaustæ enumerantur filiæ.* 238
§. I. *Cenodoxia, seu inanis gloria.* ibid.
§. II. *Jactantia.* 241
§. III. *Hypocrisis.* 242
§. IV. *Contentio.* 244
§. V. *Discordia, & obstinatio.* 245
§. VI. *Curiositas.* 247
§. VII. *Inobedientia.* 252
§. VIII. *Ambitio.* 255
§. IX. *Præsumptio.* 257
CAPUT III. *Avaritiæ notio, ejusque malæ soboles.* 259
CAPUT IV. *Luxuriæ descriptio, ac pessimæ ejusdem soboles.* 265
CAPUT V. *Iræ definitio, ejusque gradus.* 272
CAPUT VI. *Gulæ, & ebrietatis explanatio.* 277
CAPUT VII. *Invidiæ notio, variique modi.* 284

CA-

CAPUT VIII. *Acediæ natura, malique furculi.* pag. 286
CAPUT IX. *Omissionis, & peccati alieni explicatio.* 289

TRACTATUS IV.

De Legibus.

SECTIO I.

De Natura & divisione legis.

CAPUT I. *Vulgata legis exponitur notio.* 294
CAPUT II. *Multiplex legum subjicitur divisio.* 296

SECTIO II.

De Lege humana.

CAPUT I. *Justa humanæ legis determinatur materia.* 301
CAPUT II. *Vera humanæ legis ostenditur obligatio.* 305
CAPUT III. *Genuinus leges adimplendi præscribitur modus.* 310
CAPUT IV. *Legum humanarum subjectum proponitur.* 315

SECTIO III.

De modis, quibus humana restringitur, vel tollitur lex.

CAPUT I. *Lex obscura a quo, & quomodo sit interpretanda.* pag. 321
CAPUT II. *Dispensatio a quibus, & quam ob causam sit facienda.* 324
CAPUT III. *Legis abrogatio, derogatio, & cessatio exponuntur.* 331
CAPUT IV. *Consuetudinis legitimæ origo & effectus declarantur.* 334

TRACTATUS V.

De Summario dilectionis Præcepto.

SECTIO I.

De Præcepto diligendi Deum.

CAPUT I. *Deum diligere omnes obligantur.* 340
CAPUT II. *Dilectio Dei non minus affectiva. quam effectiva Christianos obligat.* 349
CAPUT III. *Sæpius in vita dilectionis obligatio fideles stringit.* 353

SECTIO II.

De Præcepto diligendi proximum.

CAPUT I. *Proximum diligere tenemur ſed ordinate.* pag. 357

CAPUT II. *Inimicorum dilectio obligatoria eſt, ac præcipua chriſtiani hominis nota.* 366

SECTIO III.

De fraterna correctione, tamquam uno dilectionis actu.

CAPUT I. *Fraternam correctionem caritas jubet.* 376

CAPUT II. *Fraternæ correctionis, conditiones, & modus.* 379

SECTIO IV.

De eleemoſyna.

CAPUT I. *Eleemoſynæ notio & neceſſitas.* 384

CAPUT II. *Avarorum præcluduntur effugia.* 390

CAPUT III. *Circumſtantiæ, in quibus eleemoſyna obligat, expenduntur.* 394

CAPUT IV. *Genuinæ eleemoſynæ conditiones.* 398

CAPUT V. *Eleemoſyna nec a quolibet eſt eroganda.* 402

SECTIO V.

De vitiis dilectioni oppositis.

CAPUT I. *Odium a Deo & hominibus separat.* pag. 406
CAPUT II. *Scandali notio, origo, & damna.* 411

TRACTATUS VI.

De primo decalogi Præcepto.

SECTIO I.

De fide, & vitiis oppositis.

CAPUT I. *Fidei notio, divisio, ac necessitas.* 417
CAPUT II. *Infidelitatis notio, & species subjiciuntur.* 424
CAPUT III. *Hæresis notio, divisio & pœnæ.* 428
CAPUT IV. *Apostasiæ notio, divisio, ac pœnæ.* 436

SECTIO II.

De spe & vitiis oppositis.

CAPUT I. *Spei notio, & obligatio.* 439

CAPUT II. *Præsumptionis vanitas, ac desperationis horror exponuntur.* pag. 443

SECTIO III.

De cultu Deo debito.

CAPUT I. *Adoratio interna & externa Deo debetur.* 447

CAPUT II. *Orationis notio necessitas, ac conditiones.* 450

CAPUT III. *Horæ canonicæ a quibus, & quomodo sint dicendæ.* 455

SECTIO IV.

De cultu Sanctis, & imaginibus debito.

CAPUT I. *Sancti recte, & pie invocantur.* 467

CAPUT II. *Honor sacris imaginibus merito exhibetur.* 470

CAPUT III. *Ritus, quo crux dominica colitur, sanctus ac perantiquus est.* 473

SECTIO V.

De peccatis Religioso cultui oppositis.

CAPUT I. *Blasphemiæ notio, & gravitas.* 475

CA-

CAPUT II. *Dei tentatio & ſacrilegium exponuntur.* pag. 480
CAPUT III. *Superſtitionis definitio & diviſio.* 482
CAPUT IV. *Divinationis deſcriptio ac varii modi.* 484
CAPUT V. *Vanæ obſervantiæ notio & ſpecies.* 488
CAPUT VI. *Magiæ notio, & ſigna.* 491
CAPUT VII. *Maleficii deſcriptio & diviſio.* 494
CAPUT VIII. *Canonicæ ſuperſtitioſorum pœnæ.* 499

SECTIO VI.

De Simonia.

CAPUT I. *Simoniæ notio, & diviſio traditur.* 501
CAPUT II. *Communes ſimoniæ diviſiones adducuntur.* 506
CAPUT III. *Beneficiis contentioſis ſæpe ſimonia ſe ingerit.* 511
CAPUT IV. *Canonicæ ſimoniacorum exponuntur pœnæ.* 516

SECTIO VII.

De Beneficiis & Pensionibus.

CAPUT I. *Beneficii notio & divisio.* pag. 522

CAPUT II. *Regulæ a Beneficiorum collatoribus observandæ.* 526

CAPUT III. *Conditiones in Beneficiatis requisitæ.* 529

CAPUT IV. *Beneficiorum pluralitas vitiosam radicem habet.* 531

CAPUT V. *Beneficiorum pluralitatem sancti Patres damnant.* 538

CAPUT VI. *Beneficiorum pluralitatem Ecclesiæ Concilia prohibent.* 541

CAPUT VII. *Excusationes, quas pro Beneficiorum pluralitate afferunt, frivolæ, ac vanæ sunt.* 547

CAPUT VIII. *Argumenti ejusdem continuatio.* 551

CAPUT IX. *Idem continuatur argumentum.* 557

CAPUT X. *Pensionis notio, causæ, & conditiones.* 563

TRACTATUS VII.

De ſecundo & tertio decalogi Præcepto.

SECTIO I.

De Juramento.

CAPUT I. *Juramenti notio, & diviſio.* pag. 568

CAPUT II. *Juramenti conditiones exponuntur.* 573

CAPUT III. *Modi recenſentur, quibus juramenti ceſſat obligatio.* 582

SECTIO II.

De Voto.

CAPUT I. *Voti definitio, & diviſio traditur.* 584

CAPUT II. *Voti obligatio in examen vocatur.* 588

CAPUT III. *Voti ceſſatio, irritatio, commutatio, diſpenſatio.* 592

SECTIO III.

De Feſtorum ſanctificatione.

CAPUT I. *Dies Dominica Sabbato recte eſt ſubſtituta.* 597

CA-

CAPUT II. *A quibus operibus die Festo sit abstinendum.* pag. 600

CAPUT III. *Quomodo Missæ interesse debeamus.* 608

CAPUT IV. *Pœnæ canonicæ contra Festorum profanatores statutæ.* 614

PRÆ-

PRÆLOQUIUM AUTHORIS.

Jamdiu experientia Salomonis effatum probavit, ſcribendorum Librorum nullum eſſe finem *Eccleſ.* 12, 12. Poſtquam poſtremis hisce ſæculis typographia inventa eſt, in omni ſcientiarum genere fertilis librorum meſſis excrevit. Verum tantum abeſt, ut homines hinc doctiores evaſerint, ut fortaſſe dolendum nobis ſit a vera doctrina longius illos abiiſſe, dum puriores fontes intactos relinquunt, recentesque dumtaxat Auctores ſectantur. Pauciores propterea inſignes florent Philoſophi, quia pauci admodum Platonem attente legunt, & Ariſtotelem, cæterosque veteres Philoſophos, quorum ſcripta ſuperſunt. Pauci ideo inſignes modo recenſentur Oratores, quoniam hujusce artis præcepta non ab inſignioribus antiquis Oratoribus hauriuntur, quales Demoſthenes, Tulliusque extitere, duo eloquentiæ lumina. At levius profecto ferendum foret, ſi profanas ſolum ſcientias hic error pervaſiſſet, quin doleremus in Eccleſia

quoque graſſari. Primis quidem Eccleſiæ ſæculis e ſacris Litteris Theologia petebatur, quas vel docti Epiſcopi, aut ſapientes interpretabantur Presbyteri, quales Alexandriæ Clemens, Origenes, Dydimusque fuere. Poſterioribus ſæculis, poſtremisque hisce præcipue temporibus innumeri prope in ſancti Thomæ Summam Commentarii prodiere, in quibus effræni curioſitate infinitæ prope quæſtiones ſunt propoſitæ. Huic calamitati Moralis magis, quam ſpeculativa Theologia ſuccubuit; poſtremo ſiquidem ſæculo tot moralis diſciplinæ Libri, latina & vulgari lingua, in Italia Hiſpaniaque editi ſunt, ut hisce ſolis ingens fieret Bibliotheca. Verum ſicuti Medicorum in urbe copia, aut plures ibi jacere ægros, aut maligno indicat ſub cœlo vivere; ſic immenſus iſte de Conſcientiæ caſibus Librorum numerus multorum modo infirmam conſcientiam eſſe prodit, cum Chriſtiani veteres quo ſimpliciter magis, eo ambularent confidentius.

Optimum ſane finem Auctores iſtos ob oculos habuiſſe arbitror, ſed eorum plerique per devia a ſcopo dubio procul aberrarunt. Iidem ſiquidem aperte fatentur ideo ſe ſcripſiſſe, ut fideles metu ac turbatione liberarent, iisque planam Cœli viam ſternerent, quæ delicatulis ac impœnitentibus aſpera nimis, difficilisque videbatur. At ad iſtosne Doctores ſpectat Cœli viam planam reddere, quam cœleſtis Præceptor Jeſus Chriſtus *Matth.* 7. duram, aſperam, anguſtamque vocat? Nobisne licet difficultates illas ab ea auferre, quibus, qui *Viam* ſe dicit, illam

ſub-

ſubdidit? An adeo latam illam efficere, ut quocunque tandem modo mente aut corde quis ſit affectus, liber huic pateat aditus? Verum tamen Præceptor teſtatur, paucos hanc invenire, ac per latam plerosque viam ire ad interitum (*ibid.*) Anne optimus dux viæ Paulus? At blandamne illam ſuis epiſtolis parat? aut prætextus, excuſationesque pravæ hominum cupiditati ſufficit? Qui illum ſequuti ſunt, ſancti Patres, æqualem profecto ſalutis animarum zelum habuere, quem recentiores iſti Caſuiſtæ præſeferunt; ſophismatibus iſtis ſuntne uſi, pravisque diſtinctionibus, quæ veritatem Evangelii elevant, morumque diſciplinam apud Chriſtianos eo loci adducunt, ut eadem apud Ethnicos ſit honeſtior?

In Cabilonenſi ſecundo Concilio, & in Pariſienſi ſexto damnarunt Epiſcopi pœnitentiales Libros, qui in eorum Eccleſia irrepſerant; exiſtimarunt ſiquidem veram hisce pœnitentiam imminui: diligenter hos inquirendos, comburendosque juſſerunt, ne illis ad fallendas animas indocti Presbyteri uterentur. At quomodo poterant hi libri eas ſeducere? mutabantne peccatorum naturam, liberam docentes viam ad crudeles impune exercendas uſuras, ad ſceleſta patranda homicidia, ad ſimonias ſacrilegas ineundas? Suadebantne peccatoribus in proxima peccandi occaſione morari? Anne effrænes eorum voluptates fovebant, ſicuti recentiores nonnulli Caſuiſtæ faciunt? Longe illi aberant ab hac corruptione. Ideo ſolum fuere proſcripti, quia leviores pœnitentias imponebant, quam Canones ſtatuerant, Pariſienſe Concilium canone 34. illos

damnat, quia pœnitentia infra vigintiquinque annos duratura peccatum nefandum mulctabant contra Ancyrani Concilii decretum *Titul.* 16. At quæ majora pericula incautis non parant recentiorum Casuistarum aliqui? Evangelicam prope omnem morum disciplinam corruperunt, eamque ad Pyrrhonismum quasi adduxerunt, adeo pene nihil certi in ea relictum, omniaque Auctorum ingenio ac licentiæ exposita.

Nonne igitur oportet omnino iis, quibus animarum cura commissa est, antidota istam adversus corruptionem suppeditare, certasque ac constantes regulas præscribere, quibus animas sibi creditas manuducant? Non omnibus ingenii satis, aut otii est, ut eas in sanctis Patribus & Conciliis exquirant, & a variis ad alia pertinentibus secernant. Hoc mihi Episcopo onus subeundum putavi, ut & illos hoc labore levarem, eisque e sacris fontibus haustam doctrinam offerrem. Parochis præcipue ac Confessariis meæ Diœceseos prospexi, iisque præsertim Opus meum offero; æquum quippe est ut eorum, qui me in Episcopali ferendo onere adjuvant, levius onus reddam. Animas ipsi regunt, quarum cura mihi præcipue commissa est, idcirco illis via, quam sequantur, a me est ostendenda, ne cæcos illos duces imitentur, qui, ut inquit Evangelium, cum iis, qui se sequuntur, in foveam cadunt. Cæterarum Diœceseon Parochi hoc uti poterunt; & ad suos Episcopos spectabit librum istum illis porrigere, quem Episcoporum Ecclesiæque judicio submitto, Pontificisque qui illam regit. Ingentes adversus me parari contradictiones

ani-

animadverto; doctrinasque docentes aut sectantes iis adversas, quas ego doceo, neque Librum, neque institutum meum valde probabunt. At Deum spero adversus has contradictiones mihi opitulaturum, neque unquam permissurum, a veritate me avelli. Acri non utar stilo ad opiniones, quas improbo, confutandas: satis mihi erit veras sententias proponere, easque Evangelii, Conciliorum, sanctorum Patrum, veterumque Scriptorum doctrina stabilire. Quæstiones non attingam, quarum inextricabilis sit solutio, & quæ nemini, ut ait Apostolus, prosunt. Pauca ponam principia; ea tamen certa, ex quibus, quæ sponte sua fluent, consequentiæ, cujuscunque generis casus poterunt dirimere. Moralem Ethnicorum philosophiam non repudio, sed neque eam ducem vel judicem volo. Christianorum Ethica Evangelio unice inhæret; quod si Philosophiæ divisiones ordinemque sectatur, illa utitur, non illi obtemperat. Humano donec discursu in moribus scrutandis utemur, haud eas poterimus superare difficultates, quas vanum hominum ingenium ubique fere invenit: sed Evangelium lex est omnes dirimens ambages, simplex, certa, immutabilis.

TRACTATUS I.

DE FONTIBUS DOCTRINÆ MORALIS.

SECTIO I.

DE FONTIBUS MORALIS CORRUPTÆ.

CAPUT I.

Tres corruptæ Moralis exhibentur cauſæ.

Primus corruptæ Moralis Chriſtianæ author eſt mendacii pater, veritatis hoſtis, hujusce ſæculi princeps, diabolus. Quemadmodum ubi primum hominem in innocentiæ ſtatu Deus condidit, hanc illi diabolus felicitatem ſtatim invidit, utque hanc illi raperet, ſuæque miſeriæ conſortem redderet, illum ad divinum violandum præceptum impulit, ita poſtquam Spiritus ſancti miſſione Eccleſiam ſuam Jeſus Chriſtus fundaverat, illam evertere, ſi poſſet, ſtatim molitus eſt, quæ a ſe uſurpatum in mundo imperium deſtruebat. Revelatarum veritatum fidei hoc ædificium nitebatur; has propterea primo labefactare diabolus aggreſſus eſt. Apoſtolorum tempore Simonem Magum, Cerinthum,

thum, Ebionemque excitavit, qui Christi negarent Divinitatem; contra quos sanctus Joannes suum scripsit Evangelium. Post hos Valentiniani & Marcionitæ verum Christi corpus, quod e Virgine traxit, destruere conati sunt, ut illi cœleste affingerent. Photiniani & Paulianistæ Christum purum esse hominem docuerunt. Manichæi phantasticum ejus esse corpus putarunt. Ariani consubstantialem Patri negabant. Ejus gratiæ vim ac necessitatem evellere sategerunt Pelagiani; Nestoriani ejus unitatem personæ; Eutychiani naturarum ejus distinctionem; Monothelitæ distinctionem ejusdem voluntatum. Ecclesiæ Hierarchiam, Sacramentorumque ejus numerum ac vim evertere Lutherani tentarunt. Veram Christi in Eucharistia præsentiam negarunt Calvinistæ. Atque hoc pacto veritatum, quas Christus homines docuit, vix una reperiri potest, quam diabolus labefactare non tentarit hæresibus, quas ab hoc mendacii patre edocti plerique hominum in Ecclesiæ agro serere ac spargere studuerunt.

Præter hoc adversus Christum a diabolo excitatum bellum, aliud quoque contra mysticum ejus Corpus, quod est Ecclesia, molitus est. Donatistarum schismate, quo Africa diu vexata est, ejus unitatem scindere studuit; verum ista divisio vix extra provinciæ hujusce fines egressa est. Ecclesiæ Græcæ schisma postea invexit, quod illam adhuc a catholica Ecclesia separat. Illud diabolo erat reliquum, ut Evangelii disciplinam funditus everteret, atque in hunc scopum conatus ejus omnes collimant. Parum

siquidem molestiæ capit, si universis fidei dogmatibus assentiantur Christiani, dummodo quæ fides facienda docet, agere negligant. Si eam morum corruptionem primum docuisset, quæ impune hodie serpit, tunc facile detegi, & ab omnibus refutari potuisset: Jesu Christi Sanguis in fidelium venis, ut ita dicam, adhuc ebulliebat, & severa nimis disciplina vigebat. Hac igitur severitate initio uti voluit, ut homines falleret: Novatianorum hæresim excitavit, qui divinæ justitiæ zelo Dei misericordiam abrogant, dum peccantibus pœnitentiam denegant; Jovinianum deinde protulit, qui tam Deo caræ virginitatis meritum negaret. Recentiores demum invexit hæreticos, qui morum sanctitatem pessumdarent; simulantes enim Evangelicam libertatem docere, pœnitentiæ opera quæcunque rejiciunt, Christianamque pietatem in sola in Jesum Christum fide collocant. Verum a Conciliis errores isti damnati sunt, eorumque singulos Catholici omnes detestantur. Reliquum proinde nihil ad suam explendam malitiam illi videbatur, quam ut in agro supra electum triticum zizania spargeret; ut in iis scilicet morum doctrinam corrumperet, qui fidei dogmatibus assentiuntur, illorumque opera ad id negotii uteretur, quorum fides minime esset suspecta.

Donec ad Evangelicam disciplinam corrumpendam manifestis hæreticis usus est, haud valde erat laborandum in impiæ doctrinæ auctoribus refutandis. Quilibet, ajebat, Ecclesiæ sunt isti hostes, aures hisce non accommodemus. *Inimicus homo hoc fecit.* At ubi domesticos fidei hære-

hæreticis suffecit, Doctoresque veritatis seduxit, ac falso illos lumine, bonaque fefellit intentione, qua se agere putabant, dum mollibus, delicatisque fidelibus Evangelicam legem faciliorem reddere student, majus in Ecclesiam malum diaboli odium haud potuit invehere. Imprudentes siquidem contra votum ægris præbuere venenum; duces in foveam suos præcipitarunt asseclas; urbis custodes illam hostibus inscii tradiderunt.

Christianorum hujusce sæculi corrupti mores Ethicæ corruptæ altera est causa (*a*). Non ea modo

(*a*) *Erit enim tempus* (inquit Apostolus 2. Timoth. 4.) *cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* In quæ verba P. Mich. Elizalde S. J. celeberr. Theologus ita scribit: *Similes homines libenter audient parvitatem materiæ in re venerea; amplexus, nescio quos, & oscula, quæ ad delectationes illiciant, licere; occasionem periculosissimam his & illis de causis domi retineri posse. - - - Nam ex una parte peccare, damnarique nollent; ex alia vellent desideria explere sua, pecunias cumulare, non solvere, gaudere, lætari, mundoque frui. Ut itaque ista duo concilient, conscientiamque vel sopiant, vel semisopiant, &, quantum possunt, se excusent, & abscondant, magistros quærunt, non qui vera, sed qui a se desiderata doceant. Atque hoc passim experimur: & si, quod volunt, non respondeamus, alios adeunt, ubi quod volunt, inveniant - - - volunt Magistrorum, si quos invenerunt, authoritate se tutos, & salvos. Atque hoc est, quod modo refellimus, neque magistros ipsos, neque sequentes tutos esse.* Part. I. Lib. 6. q. 6. §. 3.

modo vivunt fideles innocentia, qua illos & fidei hoſtes admirari cogebantur; Evangelii rigorem ultra ferre non poſſe videntur: ſi veteres Chriſtiani denuo viverent, fratres hos non agnoſcerent. Plures attamen pietatis libri nunquam prodiere; verum horum pauci Evangelii doctrinam haud ſolide ſatis & fideliter fortaſſe explicant, quin illis humanarum cogitationum fœnum, palea, tribulique immiſceantur; quæ omnia judicii Dei igne conſumentur, ut inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 2. Neque vero multi admodum numerantur fortaſſe Concionatores, qui Jeſu Chriſti inſtitutionem ſatis ſint edocti, eamque moribus exprimant, ut Auditoribus ſuis illam tradant. Sæcularia ſua deſideria paſſionesque homines explere volunt, æternaque ſimul ſalute potiri cupiunt. Mundum Jeſu Chriſto, quorum æterna erit ſimultas, conciliare conantur. Libros propterea, Doctoresque ſe reperire gaudent, qui ſuas foveant cupiditates, capitique ad dormiendum pulvinaria ſternant. Ægros ſe norunt, ſed amariora remedia averſantur, quibus ſalus paratur. Ajebat ſanctus Ambroſius, facilius ætate ſua reperiri poſſe qui acceptam in baptismate innocentiam ſervarint, quam qui eandem pœnitentia redemerint. Cum Ambroſio ſanctus Gregorius Magnus querebatur, velle homines peccati guſtare delicias, at pœnitentiæ reſpuere amaritudinem. Qui illos præceſſere, idem ſunt queſti Patres. Verum ætate illa ita ſe gerebant ægri, non illos prodebant Medici, neque imprudenti facilitate eorum imbecillitatem, impœnitentiamque fovebant; illorum imo vitia jugiter argue-

arguebant, antiquosque canones ſectabantur; & licet veterem Eccleſiæ ſeveritatem, cujus impatientes jam erant homines illius ævi, adamuſſim non colerent, ab illa tamen turpiter adeo non recedebant.

Corruptionis hujusce illuvies (anni aliquot jam ſunt) adeo excrevit, ut illuſtriorum Regni urbium Parochi, Pariſienſes, Senonenſes, Biturienſes Rotomagenſes, Lexovienſes, Ebroicenſes, Cadurcienſes, aliarumque plurium Diœceſeon ſupplices libellos ſuis Epiſcopis dederint, rogantes ut aliquod tanto malo remedium afferrent. Eminentes aliquot pietate ac doctrina Epiſcopi Caſuiſtarum damnarunt Apologiam, in qua totum corruptæ Moralis Chriſtianæ venenum erat collectum. Theologica Pariſienſis facultas eandem ſerio more ſuo damnavit. Hæ autem damnationes quantum habent auctoritatis! Alexander quoque VII. Pontifex illam cenſuris perculit. Ulterius vero adhuc progreſſus eſt: erroneas plures propoſitiones, e recentiorum aliquot Caſuiſtarum libris excerptas proſcripſit. In ipſo cenſuræ exordio verbis vere apoſtolicis declarat, novas, quæ irrepſerunt, ſententias ſanctitatem corrumpere, ſanctum Evangelii robur infringere, morumque puritatem in fidelibus labefactare. En ipſa ejusdem verba: *Sanctiſſimus Dominus audivit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, partim iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis creſcere,*

per

per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina: quam ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens ſequutura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu potius perverti contingeret, idem ſanctiſſimus Dominus noſter, ut oves ſibi creditas ab ejusmodi ſpatioſa, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret &c. Quicunque adverſus hosce Auctores ſcripſere, validius nihil neque dixerunt, neque dicere potuerunt. Nihilo tamen minus errorum iſtorum defenſores valde aſperos dicendi modos, errorisque referros eſſe clamarunt, quibus in illos ſcripſere nonnulli ſtylo profecto minus valido. At non eo temeritatis progreſſos credo, ut Jeſu Chriſti Vicarium nimii in ſua cenſura rigoris audeant accuſare. Nobis igitur ſperandum eſt, Eccleſiæ Paſtoris vigilantia corruptam Moralem quantocyus eliminandam fore, purioremque antiquam ſuum robur recuperaturam. Tridentina Synodus hæreticos cenſuris perculit; attamen nimis multi adhuc catholici, imo & Presbyteri reperiuntur, qui dum ſe Eccleſiæ Doctores prædicant, ſuarum legum ſanctitatem evertunt, eamque hæreticis inviſam reddunt. Hi ſiquidem licet pœnitentiæ opera abjiciant, minime tamen Dei præcepta reſpuunt, neque ita illa interpretantur, aut emolliunt, ut ſine peccato violari jam poſſint,

sint, & soli peccent idiotæ, qui suas nesciunt intentiones regere; sicuti recentiores quidam Casuistæ efficere conati sunt, ut in hoc deinceps Opere liquido ostendam.

Tertia corruptæ Moralis Christianæ causa est doctrina illa, quam Casuistarum plerique docent, Auctorem nempe unum, alicujus modo sit auctoritatis, neque pravas opiniones docere solitus, atque probabilem aliquam habeat rationem sententiæ suæ tuendæ, probabilem efficere posse opinionem; atque hanc sequi licere contra cæterorum omnium Auctorum sententiam: licitum quoque esse juxta minus probabilem ac minus tutam sententiam agere, probabiliore ac tutiore neglecta in æternæ salutis negotio; teneri denique Confessarium in pœnitentiæ tribunali pœnitentis sui sententiam sequi, propria posthabita sententia, quamvis illam minus certam veramque putet. Hæc si admittantur principia, Evangelica disciplina everritur; sileant oportet Concilia, sancti Patres, probatique Ecclesiæ Doctores: peccator quilibet facile Casuistam reperiet, qui suas excuset actiones. Si concubinarius exempli causa fœminam, quacum peccat, domo nolit ejicere, Casuistarum aliquot auctoritate nitetur, qui ad id illum non teneri asserunt, quoties bis terve in mense cum illa peccet, aut illam dimittens, in magna victurus esset mœstitia. Usurarius, qui suas statuit sectari usuras, Auctores illos sequetur, qui sophisticis suis distinctionibus omnem ab usura labem removent. Si excessus isti dissimulari possent, id facerem libenter; verum illos celare profecto non pos-

sum,

ſum, mihique ſerio, ut eos ſiſtam, allaborandum ſanctus Cyprianus diſerte monet inquiens: *Sed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipitur fraternitas noſtra a quibusdam, qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt.*

CAPUT II.

Oſtenditur, Moralem chriſtianam mutabilibus niti Principiis non poſſe.

Dei Filius eſt Chriſtianorum Legislator; &, ut inquit ſanctus Paulus 2. *Cor.* 1. *non eſt in illo eſt & non;* videlicet non eſt mutationi ſubjectus, neque modo hoc, modo illud aſſerit. Legum enim mutatio, quæ fit ab hominibus, aut ab ignorantia, aut ab impotentia, aut a pravis eorum affectibus provenit. Cum caſus omnes non prævideant, qui poſſunt illis accidere, quibus lex data eſt; cum neque vim neque voluntatem legibus obtemperandi ſubditis dare poſſint; cum legem condentes avaritia, aliove vitio agi queant; nullus propterea admirari jure poteſt, ſi legem ejusdem conditor interdum mutare debeat, aut ſi lege ſua mala nonnulla invehat, quæ non prævidit, dum alia curat vitare. Humanarum rerum ea eſt conditio, ut diu admodum in eodem ſtatu nequeant permanere, ſiquidem mutationi creatura omnis ſubjecta eſt. At Jeſus Chriſtus hisce omnibus vitiis caret: corda hominum, quibus legem ſuam tradit, perfecte novit, eorum quippe dominus eſt, & quo vult, ea vertit; vim illis tribuit ad ea facienda, quæ præcipit;

cipit; æterna ejus ſapientia, infinitaque bonitas illius opera moderatur; æternum ſuum eſt & immutabile imperium; æterna quoque & immutabilis lex eſt, qua illud regit. Hujus regni, inquit ſanctus Auguſtinus, Rex eſt veritas, lex caritas, duratio æternitas. Iſta veritas, iſtaque caritas nunquam mutantur, nec quemquam fallere poſſunt.

Quamdiu in mundo fuit, legem ſuam firmavit verbis & exemplis, quæ infallibilis noſtrorum morum eſſent regula. *Tota vita Chriſti in terris*, ait ſanctus Auguſtinus, *per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit.* Quando in Cœlum rediit, illam ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, ad id muneris ab eo electis, litteris conſignari juſſit. Non Angelis, non hominibus licet divinis his litteris aliquid addere, vel detrahere. Ipſos adverſus Angelos ſanctus Paulus anathema dicit, ſi fieri poſſet ut eorum aliquis e Cœlo deſcendens iis contraria prædicaret, quæ ab Evangeliſtis & Apoſtolis docti ſumus. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Galat.* 5. Evangelii præcepta, (inquit ſanctus Baſilius *Regul. brev. reſp. & interrogat.* 112.) non mutantur neque temporum lapſu, neque variis humanarum rerum viciſſitudinibus, firmaque ſemper ac immutabilia ita permanent, ſicuti e beato, infallibilique ore, quod illa edixit, prodierunt: homines vero nubibus æquiparantur, quæ huc illuc ab aere, ventisque circumferuntur.

Tres

Tres habemus leges, naturalem, ſcriptam, evangelicam. Lex naturalis ſuam ſemper vim obtinet, neque ulla in ejusdem præceptis mutatio poteſt contingere, immutabilia ſiquidem ſunt ejusdem axiomata. Hoc nempe, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* homines quoscunque ſæculis omnibus obſtringet absque æfatis, conditionisve differentia, neque unquam licebit, quod lex iſta condemnat.

Legis Moſaice præcepta, quamdiu illa ſubſtitit, immutabilia & invariabilia fuere: pro nullo Hebræo diſtinctio admittebatur, aut exceptio; ad litteram erat illa obſervanda, quicunque vero illam violaſſet, absque ulla indulgentia morte mulctabatur. Hanc ideo ſanctus Paulus legem mortis appellat 2. *Cor.* 3. erat ſiquidem *miniſtratio mortis.* Traditionibus vero ſuis hujusce legis præcepta Phariſæi corruperunt, ſicuti ſæpe illis Jeſus Chriſtus exprobrat: *Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditionem veſtram? Matth.* 15. Quid in Decalogo eſt apertius, quam honor & ſubſidium parentibus debitum? *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Hujusce tamen præcepti infirmandi viam invenerunt Phariſæi, votum ſcilicet quod a filiis fieri petebant, ſubſtantias ſuas omnes Templo dicandi, ut ibidem illis Dei Filius objicit: *vos autem dicitis, quicunque dixerit patri, vel matri: Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit.* A parentibus in neceſſitate juvandis filios eximebant, illosque hoc pacto Dei mandatum violare cogebant: *irritum feciſtis mandatum Dei.* Ad Chriſtum usque, qui ipſius erat

finis,

finis, hæc lex permanſit: *finis legis Chriſtus.* Cæremonialia ejus & politica præcepta ſunt abolita, ſolus viget Decalogus, qui ad legem naturalem pertinet.

A Moſaica lege Evangelium nos exemit; Evangeliique lex non modo ad mundi usque finem durabit, ſed æternam fore fidenter aſſero: cum enim tota in caritate ſita ſit; fide, ſpeque abolitis, caritas permanebit: *Caritas*, inquit Apoſtolus, *nunquam excidit.* Caritate jugiter agi in hac vita deberemus; ſed hic imminuitur motus a concupiſcentia, quæ in nobis perſeverat, & a morte dumtaxat deſtruetur. Beatorum corda in Cœlo ſola caritas implebit, Deumque ipſi perfecte non diligere nequibunt. Si recentiorum plurium Caſuiſtarum concluſiones perpendantur, illarum plures ab hac caritate diſſidere inveniemus, effrænemque hominis cupiditatem fovere, cui obtemperare nunquam licet; quidquid enim ex prava cupiditate fit, naturali hominum legi, Dei & Evangelii præceptis adverſatur (*a*).

CAPUT

(*a*) Inter Propoſitiones, hujusmodi arundineis Caſuiſtis familiares, Univerſitas Pariſienſis, ac plerique Galliæ Epiſcopi etiam hanc confixerunt: *Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium, ideoque probabiles quasvis ſententias poteſt ad libitum mutare;* puta, in materia morum.

CAPUT III.

Demonstratur opinativam probabilitatem christianarum actionum Regulam non esse.

Recentiorum Casuistarum plerique Evangelicæ legis loco statuerunt legem probabilitatis opinionum, quam tuta conscientia sequi liberum esse docent. Isthæc vera est corruptæ Moralis Christianæ origo; etenim si doctrina hæc prævalet, taceat Evangelium oportet, ut diximus, nihilque certi in morum scientia reliquum erit. Quapropter illam mihi pro virili confutandam esse arbitror, atque hinc Moralis Christianæ tractandæ initium sumere. Antequam tamen ad hanc doctrinam examinandam accedo, nonnulla sunt perpendenda.

Primo itaque ajo, si opiniones absolute in seipsis spectentur, veræ illæ sunt aut falsæ, neque harum ullæ sunt probabiles; falsum enim probabile esse non potest, & verum probabilitatem superat; cum sit certum. Si vero hæ ad nostrum comparentur intellectum, aliquarum veritatem aut falsitatem cognoscemus, nonnullarum autem neque veritas neque falsitas perfecte innotescet; quod quidem ab hominum oritur ignorantia. Verumtamen Deo aut veræ sunt aut falsæ, quales enim in seipsis sint, ille cognoscit. *Varietas opinionum*, inquit Tertullianus, *venit ex ignorantia veritatis.* Quare, ut proprie loquamur, nihil est in Ethica pure probabile; sententia quælibet in se vera est aut falsa, quamvis earum veritas & falsitas non æque ab omnibus agno-

agnoscatur. Hinc nonnulla, quæ rudioris ingenii hominibus sunt probabilia, hominibus ingenii acutioris vera sunt aut falsa: quod si sufficiens cunctis adesset lumen, veritatem falsitatemve statim agnoscerent: sed ut superbas hominum mentes Deus deprimat, lumen hoc neque semper, neque omnibus concedit. Fateor igitur probabiles existere opiniones, licitumque interdum esse illas sequi; sed harum opinionum pleræque speculativæ sunt, non practicæ, ita ut vere probabiles opiniones pauciores sint, quam recentiorum Casuistarum censent plerique, qui de omni fere quæstione problematice disputant. Illicitam hi actionem quamdam pronunciant, licitam alii eandem esse contendunt: idem quoque Auctor sæpe mutat sententiam, affirmativæ modo adhæret, modo negativam tuetur. Una est veritas, quæ sententias nunquam mutat, aut verba. *Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, non variare judicium.* (*Tert. de Spectac. c.* 20.)

Fateor insuper probabiles existere opiniones, quas sequi licet; sed iste neque tam multæ sunt, neque illius naturæ, cujus iidem Casuistæ esse arbitrantur. De speculativis quotidie in scholis disputatur, harumque utramlibet sequi licet, quin attente admodum examinetur, utra sit probabilior. Non idem de practicis opinionibus ferendum est judicium, ut Christianorum vita recte instituatur. Probabiles sequi licitum affirmo, quando nostra officia illæ adjuvant, quando

conſcientiæ noſtræ conſulunt, & quando certitudinem moralem efficiunt. Non igitur probabilitas, ſed certitudo moralis reflexe ſuborta actionem cohoneſtat, & agentem a temeritate excuſat. An & qualem probabilitatem moralis iſthæc certitudo ſequatur, ex dicendis palam fiet.

Secundo animadvertere opportet, eam opinionem *tutam* eſſe, quæ a periculo peccandi removet; *tutiorem*, quæ magis removet; *minus tutam*, quæ minus removet. Illa autem opinio cenſetur *magis* ab ejusmodi periculo *removere*, quæ legem aſſerit, ejusque obſervantiam urget: *minus removere*, vel omnino non removere (*a*), quæ legem negat, hominisque libertati favet. Securitas itaque a probabilitate caute eſt diſtinguenda. Opinio quæ tutior, non eo ipſo probabilior; & econtra. Exempli gratia, tutius ad ſalutem eſt homini, qui ſibi neceſſaria aliunde habet, pauperibus pecuniam ſuam elargiri, quam cenſum ex illa conſtituere, quem contractum veteres quidam Doctores uſurarium putant; attamen probabilius eſt hosce contractus iniri poſſe, dummodo præſcriptæ in iis regulæ ſerventur.

Ter-

(*a*) Duplici adhuc ſenſu quædam opinio *minus tuta* dicitur. 1mo *comparative*, i. e. minus tuta, quam altera, qua cum hic & nunc comparatur: 2do *adverſative*, i. e. omnino non tuta; eoquod principia ejus tam directa, quam reflexa prudens ſeu certum de honeſtate dictamen progignere in intellectu nequeant. Non priore, ſed poſteriore ſenſu opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris *minus tuta* apud Probabilioriſtas audit.

Tertio sciendum quid sit probabilitas; firmius enim disputationis fundamentum est rei, qua de agitur, vera definitio. Casuistæ, qui probabilitatis doctrinam primi ediderunt, ita illam definiunt: Probabilis opinio illa est, quæ rationabili nititur fundamento, sed non omnino certo. Illud autem juxta illos rationabile est fundamentum, quod, licet non absque erroris metu, hominis prudentis, qui agere vult consensum trahat, illum tamen ad hunc consensum præstandum inclinat; quem dum præstat, sapientes cuncti judicant prudenter ab illo præstari. Definitio hæc, licet admittatur, probabilitatis tamen Patronos nequidquam juvat. Nam negamus consensum hunc prudenter præstitum, & prudenter agi, dum opinio eligitur minus probabilis, Dei legi minus conformis, ad obtinendam salutem minus tuta, & illa deseritur, quæ præcepto magis est consentanea, & ad salutem tutior. Casuistarum nonnulli ajunt non modo opinionem esse probabilem, quando ejusdem auctor veram eam esse dicit, & probabili ratione firmat; sed probabilem quoque esse, licet neque Doctor qui eam profert, neque alius quispiam veram asserat; doctrina siquidem, quam nemo unquam probavit, vel rejecit, lectorum forte sibi consentientem reperiet. Isti præterea Casuistæ docent, quamvis opinio illa a cunctis Doctoribus expresse rejiciatur; nihilo tamen minus, si quis viderit rationem, qua illa nititur, non satis infringi, opinionem adhuc probabilem censeri posse. Alii rursus ita illam definiunt: Opinio probabilis est assensus intellectus in propo-

fitionem, quæ rationi, aut gravi auctoritati innititur, quamvis timor aliquis superſit, ne vera ſit contraria opinio. Hinc probabilior opinio illa eſt, quæ graviori nititur fundamento, minus vero probabilis, cujus minus grave eſt fundamentum; & quæ ideo ad falſitatem magis quam ad veritatem videtur accedere, & quam revera falſam potius quam veram arbitramur.

Quarto juxta recentiores Caſuiſtas, ut opinio probabilis cenſeatur, contradictoriam probabilem quoque eſſe oportet. Antiqui vero Theologi nullam cenſuere probabilem opinionem, quæ non ab iis, qui ſanum de rebus judicium ferunt, probari mereretur; adeo ut omnis minus probabilis opinio, cum ſibi contradictorie oppoſita comparata, vere probabilis, ſeu digna approbatione eſſe deſineret (*a*).

Præcipuis quatuor axiomatibus doctrinam ſuam omnem probabilitatis Auctores confirmant, quæ ſi breviter & clare pro virili examinavero, operæ pretium feciſſe videbor.

Pri-

(*a*) Celebris eſt probabilitatis in *extrinſecam*, & *intrinſecam* diviſio. Hæc ex momentis petitur Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Rationum, quibus opinio aliqua roborari videtur: illa *extrinſeca* ex ſuffragio ſeu aſſenſu gravium Authorum opinioni accreſcit. Quodſi opinio quædam *abſolute* in ſe ſpectata gravibus authoritatis & rationum fundamentis nitatur, *objective* probabilis: ſi in *certis circumſtantiis* conſiderata, etiam ut talis inventa fuerit, *ſubjective* probabilis dicenda erit. Non raro contingit, ut opinio, quæ probabilitate objectiva pollet, a ſubjectiva deficiat.

Primum axioma eſt, quoties variæ circa aliquam quæſtionem probabiles adſunt opiniones, & vetitum aliquid a nonnullis Auctoribus dicitur, ab aliis vero permiſſum, licet ex duabus hisce opinionibus alteram falſam eſſe oporteat, utramlibet tamen æque tutam eſſe ad ſalutem, ſive ea vera ſit, ſive falſa, *ut quamcunque duarum viarum, imo diverſarum, homines inierint, recta tendant ad ſuperos.*

Alterum axioma, quod ex primo proficiſcitur, eſt, opinionem eligi poſſe minus probabilem minusque tutam, tutiore & probabiliore relicta. Quare ſiquando dubitemus, an aliqua actio peccatum ſit necne, quamvis opinio aſſerens hanc eſſe peccatum, probabilior nobis videatur, & in eam intellectus propendeat; licitum tamen eſt ac tutum, actionem illam peragere, quam probabilius malam, & minus probabiliter bonam eſſe arbitramur.

Tertium axioma eſt, opinionem eam eſſe probabilem, quæ rationi validæ, aut gravi auctoritati innititur; minimeque requiri, ut hæ duæ conditiones ſimul adſint, cum alterutra ſufficiat. (*Caramuel n.* 137.) Intrinſecam primam probabilitatem appellant, alteram extrinſecam.

Quartum axioma eſt, probabilem eſſe opinionem, & absque metu ſequendam, ſi a gravibus quatuor Auctoribus doceatur: addunt plerique, unius tantum Doctoris auctoritatem ſufficere. Caramuel hoc axioma obſtinate tuetur, exemplumque affert Caſuiſtæ cujusdam docentis, Religioſo licere illum interficere, qui ſui Ordinis

honorem calumniis inquinat. Ait præterea mala, quæ in Rempublicam ex opinione quadam derivari possunt, neque minus tutam reddere eandem posse; leges vero civiles, aut ecclesiasticas novis objici non posse Casuistarum opinionibus, quia cum sint hæ legibus posteriores, ab illis legibus damnari non potuerunt.

Duas insuper Auctor iste conclusiones statuit, quæ cunctos complectunter errores, quibus hoc in negotio peccari potest. Prima hæc est, *opiniones omnes probabiles æque esse tutas.* Altera vero, *quamvis benigniores opiniones sint sæpe per accidens minus probabiles, illas tamen esse magis utiles magisque tutas.* Hinc summis Dianam extollit laudibus, quia nempe plerasque ille opiniones probabiles reddiderit, licitumque propterea sit ex ejusdem auctoritate illas deinceps sequi: illum idcirco appellat *Agnum Dei*, qui tollit peccata mundi. Si non enormis hæc est blasphemia, quæ demum erit? Eandem sententiam Casuista alter tuetur, audetque insuper docere, in mortis articulo nullatenus illum peccare, qui probabilem opinionem sequatur, licet probabiliorem magisque communem deserat; imo etiamsi hæc probabilitas, sive extrinseca, sive intrinseca, foret levissima, quia videlicet sufficit ut probabilitatis terminos non egrediatur. (*Sanchez in Decal. l.* 10. *c.* 9. *n.* 6.) Addit alius, licere minus probabilem opinionem sequi, quæcumque demum adsint rationes, quæ contrariam probabiliorem esse suadeant, & quamvis revera probabiliorem hanc arbitremur; rationes enim, quas

quas nos refutare nescimus, ab aliis acutioris ingenii infringendas fore possumus, ac debemus judicare. Nihil ultra addendum supereſt, cum, si Auctoribus istis assentiamur, conscientiæ suæ dictamen sequi jam non oporteat.

Si in veterum Ecclesiæ Conciliorum aliquo lecta fuissent hæc axiomata singulos sibi aures, ne illa audirent, obturasse crediderim, sicuti in Nicææ Concilio fecerunt Episcopi, cum Arii libri legerentur, ille præcipue cui *Thalia* nomen, detestabilibus impietatibus scatens. Etenim possuntne aures christianæ, veritatibus Evangelii assuetæ, tam horribiles propositiones patienter audire? Non ne cunctis non modo christianæ religionis institutionibus & Ecclesiæ disciplinæ sunt adversæ, verum etiam Regnis pernicioſæ, vitæ Principum, magistratuum, ac privati cujuscunque hominis, qui in hominum societate vivat, periculoſæ? Id nos singillatim in Operis hujusce decursu prosequemur.

CAPUT IV.

Unus, vel pauci Recentiores Opinionem probabilem satis non reddunt.

Ut errorum summam conglobarent probabilitatis Magistri docuere, Auctoris unius auctoritatem, dummodo doctus ille sit, pius, probus, nec singulares opiniones passim doceat, sufficere ut opinio evadat probabilis, tutaque conscientia sequenda. Eorum ratio est, quia opinio illa censenda est probabilis, quæ non levi

nititur fundamento; at pii doctique hominis auctoritas non leve est (*a*) fundamentum; illam igitur sequi licet.

Errorum omnium *summam*, quos recentiores Casuistæ protulere, hanc opinionem voco; nam sine illa errores cæteri vim ferme nullam haberent. Prima Ecclesiæ regula, vel circa doctrinam, vel circa mores, hæc est, ut illa, quæ ad doctrinam, vel mores pertinent, hauriantur ex sacris Litteris, ex Conciliis, ex Sanctis Patribus, & ex probatis Doctoribus, qui idem doceant, uti infra ostendam: quod si unius Auctoris opinionem, utut omnibus reliquis, sive priscis, sive recentioribus repugnantibus, sequi liceat, nihil jam in Christiana Ethica seu Morali tutum ac firmum

(*a*) Huc spectat propositio ab Alexandro VII. 1665. n. 26. damnata: *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem.* Item alia, quam Innocentius XI. 1679. proscripsit: *Generatim, dum probabilitas sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Hisce affinis est alia ab Episcopis Gall. juxta vota Facultatis Paris. & Lovan. censuris stigmatizata: *Ad probabilitatem sufficiunt quatuor. Sed quatuor, imo viginti & supra, testantur, unum sufficere: ergo sufficit unus.* Ex quibus Natalis Alex. infert, Authoritatem extrinsecam *solam* viro erudito fere nunquam: rudi quandoque, dum nempe invincibili ignorantia laborans bona fide pastorem &c. consulit, securitatem adferre. Theol. Moral. T. 2. l. 3. Reg. 14. de peccat. Item Epist. 1. ad Doct. Sorbon.

firmum ſupererit. Vere id licet aſſerere, plurium annorum tractu infimæ notæ homines ad conſcientiæ caſus pertractandos peculiari ſibi modo animum appuliſſe. Neque e ſacris Litteris, neque e ſanctis Patribus, non e Conciliis, nec e probatis Scholaſticis opiniones illi ſuas hauriebant, verum alterius ſcripta tranſcribebat alter, pluresque recenſere Auctores curabat, ut ſuam confirmaret ſententiam; neque ſolida, neque perſpicua iis erat ratiocinandi methodus; pios in Lectoribus non excitabant affectus, quinimo eorum mentes difficultatibus dubiisque replebant; inutiles demum perniciosasque movebant quæſtiones. Facillimum igitur erat cuique Caſuiſtam evadere. At ſi librum ex aliorum dictis contextum, novisque modo opinionibus auctum ſcripſiſſe, & probe vivere ſufficiat, ut fide dignus Auctor quis cenſeatur, quæ noſtris regendis moribus non exorientur chimæræ? quæ doctrinarum confuſio, quæ denique ubique morum licentia, & corruptio? Ulliusne ſcientiæ magiſtri tam perniciosum docent axioma, unius nempe auctoritate Doctoris omnia in ſcientiis licitum eſſe innovare, & ipſa in dubium revocare principia? Illa Ariſtoteles vocat probabilia, quæ probantur ſapientibus aut omnibus, aut pluribus, aut celeberrimis. Alexander Aphrodiſienſis & Boetius idem affirmant. Unus igitur quantumvis bonus Auctor probabilem opinionem non efficit. (*a*) Summus & celeberrimus Doctor erat San-

(*a*) Alexander VIII. an. 1690. hanc n. 30. confixit propoſitionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augu-*

Sanctus Auguſtinus, ſuas tamen ſententias, niſi certæ ſint, a nemine vult amplecti; de aliorum vero ſcriptis ita loquitur. *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed hoc mihi per alios Auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Quando heic *probabiles rationes* ille nominat, non eo ſenſu dicit, quo recentiorum Caſuiſtarum aliqui ſuam probabilitatem appellant; nec de quæſtionibus, quæ ad chriſtianorum mores pertinent, loquitur, in quibus Eccleſia firmis, veris, validisque tantum utitur rationibus. Quid magnum hunc Epiſcopum dicturum fuiſſe putamus, ſi unius Auctoris opinionem tuta conſcientia ſequi poſſe, ævo ſuo aliquis docuiſſet? Generalis hæc eſt juris regula: *vox unius, vox nullius;* ſicut Jurisconſulti & Canoniſtæ omnes teſtantur. Papiniani, qui jurisprudentiam adeo callebat, opinionem, *dubitationem* vocat Imperator. Si in juris negotio Jurisconſulti unius opinio attendenda foret, illa profecto eſſet Papiniani; attamen dubitatio ſolum vocatur, quæ minor eſt opinione. Quomodo

---

Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ultam Pontificis Bullam. Si gravi cenſura notatus, qui Magni Auguſtini Authoritatem Pontificum Decretis præferre eſt auſus; cui pœnæ illi erunt ſubjiciendi, qui damnata dudum Caramuelis &c. &c. placita recantant? Qui ſpretis Mutii Vitelleſchi ſaluberrimis monitis publice & privatim frequenter ingeminant: *Tueri quis poteſt: Probabile eſt: Doctore non caret?*

do igitur ubi de conſcientiæ, æternæque ſalutis negotio agitur, privati Doctoris opinio tuta agendi regula eſſe poteſt? Ullusne artifex ita ſe gereret, ut ſingularis magiſtri ſententiam adverſus commune judicium cæterorumque praxim ſequeretur? Qui ajunt *docti, pii, celebrisque viri auctoritatem non leve eſſe agendi fundamentum*, id pro ratione ſumunt, de quo diſputatur. Affirmo enim Auctoris unius opinionem leviſſimum eſſe fundamentum; qui vero contra ſentiunt, ſufficiens illud eſſe probare debent: at id numquam revera fiet. Ait Innocentius Pontifex, ſequentem gravis Auctoris opinionem, quamvis erret, non peccare; ſed addit: *Dummodo tamen error hujusmodi verſetur circa ſubtilitatem legum.* Porro parum refert aliquem falli, ubi de obſcuræ legis interpretatione agitur; at æterna ſalus tanti momenti eſt negotium, ut nulla pro ejus ſecuritate nimia poſſit eſſe diligentia. Sanctus Thomas, perſpicue ait (*Quodlibet* 3. *a.* 10.) in morum negotio neminem excuſari, ſi contra manifeſtam ſacræ Scripturæ auctoritatem, & opinionem communiter in Eccleſia receptam, præceptoris ſui opinionem ſequatur. S. Thomæ doctrinam recentiores plerique Doctores amplexi ſunt, veluti S. Antoninus, Angelus, Sylveſter, & Suarez. Hinc paradoxon omnino eſt id, quod Caſuiſta quidam ſcripſit, licitum eſſe unius auctoritatem ſequi, etſi hæc divino juri adverſaretur; ſi enim hoc verum eſſet, hæretici cujuscunque doctrinam ſequi liceret. Neſtorius Conſtantinopolitanus erat Epiſcopus, doctrina eloquentiaque pollebat, piusque videbatur. Probabi-

babiliſſima igitur ejus doctrina populo videri poterat, qui illum veluti Paſtorem ſuum audiebat; attamen qui illius doctrinam amplexi ſunt, hæretici ſunt habiti, & ab Eccleſia damnati.

Circa humanas ſcientias poſtremis hisce ſæculis oſtenſa nobis ſunt lumina, quibus Priſci caruere; hinc non adeo rigide Platonis aut Ariſtotelis ſenſibus eſt inhærendum, vel veterum Mathematicorum, ut opiniones rejiciamus recentiorum Philoſophorum, qui plura invenere antiquis ignota. Ante Copernicum & Galilæum ſe moventem Solem, terramque immobilem omnes putabant; attamen acutiſſimi Aſtronomi ſecus modo exiſtimant, & contendunt Solem in orbis centro immobilem permanere, & circa illum terram veluti globum volvi: in utraque opinione omnia explicantur phœnomena, & facile eſt textibus ſacræ Scripturæ reſpondere, quibus motus terræ impugnatur. At non idem ſerri licet in iis quæſtionibus, quæ ad Chriſtianorum mores pertinent: horum principium, nempe caritas, in Evangelio fundatur, in ſanctis Patribus, in Conciliis, in Doctorum veterum ſententiis. De offenſa Dei agitur, qui peccantem poteſt damnare. Nulla, aut longe minor prudentia, juſtitia, caritas reperitur in agente id, quod Caſuiſta recens permittit, quam in illo, qui ab opere abſtinet, quod Antiqui omnes ut illicitum damnant. Quomodo ergo novum hunc Doctorem ſequi licebit.

Gravis Doctoris opinionem ſequi licet, ſi a nemine contraria opinio docetur, & ſi Doctoris

ris hujusce rationes valde sint probabiles; etenim opiniones, quæ gravis Doctoris auctoritate nituntur, ubi rationes sint utrinque æquales, opinioni anteferri possunt, quæ his auxiliis careat. Ita docet sanctus Thomas, (1. 2. *q.* 13. *art.* 6. *ad* 3.) dum ait non esse inconveniens, quod inter duas res æquales constituta voluntas in unam præ altera tendat, propter circumstantiam aliquam a qua movetur. Porro inter duas paribus rationibus sultas opiniones, gravis Doctoris auctoritas voluntatem movere potest, ut unam præ alia eligat. Hæc igitur opinio probabilior ac tutior evadit; illam propterea sequi licet. *Pondus auctoritatis*, inquit sanctus Bonaventura, *inclinat ad actum, præcipue si grave sit.* Verum istud auctoritatis pondus, ut vere loquamur, non ex solo Doctoris respectu oritur, sed quia illum doctum credimus, neque sine validis rationibus aliquid imprudenter proferre. Intellectus itaque inter duas opiniones æque validis rationibus sultas incertus pendet; ad illam tamen inclinatur magis, quæ auctoritate nititur. Hoc tamen raro evenit, idque semper est supponendum, hanc opinionem sensui communi non adversari, multoque minus veræ doctrinæ, non esse contrarium probabiliorem, neque esse ambas æque ita probabiles, ut incertus omnino intellectus pendeat, nec inclinari possit: tunc enim dubium oritur, tutiorque est sequenda opinio, ut postea probabimus.

Denique quæstioni huic aptius nequeo finem imponere, quam si eximium hunc sancti Bernardi textum afferam, qui falsas recentiorum Casuistarum

ſtarum diſtinctiones, & omnia ſophismata plane elidit. Jam illum innuimus, at operæ pretium eſt integrum hic afferre: *Ut interior oculus ſit ſimplex, duo illi, arbitror eſſe neceſſaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, & neſcio quemadmodum judicio veritatis res vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra veritas: Eſtote, inquit, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique vere ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? An vero vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: ignorans ignorabitur. Sine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas. Cur, inquis? Numquid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falſa; vel certe potius non ex fide, quia fides falſa fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa, puto dixiſſe Apoſtolum: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum eſt, etenim falſum. Peccatum igitur eſt utrumque; proinde complectitur præſens capitulum: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: cæcam videlicet malitiam, & deceptam negligentiam, quia quod a neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, ſive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide;*

fide; licet sane levius admodum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in bona actione intentio. Verum quod vel absque minimo peccato non est, purum bonum minime est.

CAPUT V.

Inter duas sententias æque probabiles non licet sequi quamlibet.

Illam solum actionem, quæ dictamine *moraliter certo* fulcitur, honestam esse, ac licitam, omnes admittunt. Unde jam intellectus, duas inter constitutus sententias; quarum una probabiliter actionem approbat; altera æque probabiliter eandem actionem damnat; unde, inquam, moralem de honestate actionis certitudinem eruet? An ex ipsis alterutrius sententiæ fundamentis (ut scholastice loquar) *directe* in se spectatis? Ast hæc mere probabilia, minime certa sunt, ab oppositæ sententiæ fundamentis, æque probabilibus, adeo enervata, ut intellectum, a præjudiciis purum, non modo ad assensum non pertrahant; sed anxium magis, ac dubium reddant. An forsan ex principiis, ut vocant, *reflexis* certitudo isthæc moralis fluat? Ast hæc ipsa principia, velut incerta, & falsa ab ingente Probabilioristarum phalange impugnantur, velut laxa ac nociva improbantur.

Juxta Dialecticos, & Criticos illud solummodo judicium morali certitudine gaudet, quod unanimi Sapientum assensu est firmatum; illud econtra ab hac certitudine deficit, quod Doctorum

contradictionibus obnoxium cernitur. Qua igitur fronte Probabilistæ reflexa sua judicia tamquam *certa* obtrudunt, quæ tot, ac tantos nacta sunt Adversarios? (*a*)

Ne tamen iniquius cum benignis Doctoribus egisse videar, præstabit præcipua eorum reflexa principia, ad sanæ rationis trutinam appensa, nonnihil exactius examinare.

Qui probabiliter agit (inquiunt) *prudenter agit;* qui prudenter, eo ipso honeste ac licite agit. Si ita res se habet: ergo probabilitas, non veritas actionum nostrarum regula erit. Utquid ergo Christus (*Joan.* 14. *v.* 6.) viam, veritam, ac *Veritatem* & non potius *probabilitatem* se vocat? Ut quid Psaltes Regius, (*Psalm.* 23. *v.* 5.) *dirige me in veritate tua*, & non potius: dirige me in probabilitate, supplex ingeminat? Ad quid tot sumptuosa Concilia, Veritatis invemiendæ gratia a Pontificibus convocata? Satis profecto fuisset probabilitatem stabilire, qua fal-

(*a*) P. Claudius la-Croix Probabilista in sua Theol. mor. T. 1. n. 125. *opiniones*, inquit, *quas aliqui negant, alii affirmant esse certo probabiles, non sunt certo probabiles.* Cum itaque principia reflexa Probabilistarum a tot, tantisque numero & Authoritate gravissimis Theologis negentur esse certo probabilia, imo ut aperte falsa improbentur, secundum hanc regulam nec *certo* probabilia erunt, sed solum *probabiliter* probabilia, & ita multo magis inepta ad dictamen practicum moraliter certum prudenter inducendum. Ita cl. P. Gazzaniga T. 2. *de act. hum.* pag. 541. in Not.

falsis opinionibus, sive ad fidem, sive ad mores spectantibus, nunquam defuisset. Ad quid Patres adeo laborarunt, ut, quod verum esse judicarint, verbis, & scriptis traderent? Improbo labore levare se poterant, si quod est probabile, credendum & faciendum permisissent. Quis horum divinæ legis Interpretum unquam cogitavit, Pababilistarum sententiam esse sibi sequendam? Veritatem singuli investigarunt, ejus cognitionem a Deo postularunt, *interfice in me* (orabat Augustinus) *quidquid est contrarium veritati.* Singuli obtestati sunt, fidem sibi non esse adhibendam, nisi veritatem prædicarent.

At novi nostri Doctores non adeo sunt scrupulosi. Parum eorum interest, opinionem quamlibet esse veram, iis satis est, hanc esse probabilem. Non ita in morum disciplina tradenda exorbitarunt Pagani: neque Stoici, neque Epicuræi sententiam unquam mutarunt. Quæ vera crediderunt, hæc pronunciarunt, iisque adhæserunt: suis in scholis veritatem reperiri dicebant, hocque pacto homines ad eas frequentandas invitabant. Soli Pyrrhonici dubitabant; sed de physicis tantum rebus, aut speculativis; in morum siquidem doctrina hominibus incertitudine solita non assentiebant; sed opus quodlibet bonum, aut malum, justum, aut injustum, licitum, aut vetitum pronunciabant. Hodie vero, ubi de christiana justitia agitur, de salute, deque cœlorum Regno, modo hoc, modo illud recentiores Casuistæ asserunt: opinionum harum alterutra ejusdem est bonitatis; una aliave vis

æque recta tenditur ad aſtra. Miſeri, qui hoſce Doctores docentes audiunt! Beatus ille, quem Dominus erudierit, *& de ſua lege docuerit eum!* (*Pſal.* 93. *v.* 6.)

Propemodum tædet plura hujusmodi reflexa in examen vocare principia, poſtquam jam primum adeo arenoſum perſpeximus. Ne tamen gravi hac in materia ſtudioſe quidquam diſſimulaſſe videar, duo plauſibiliora adhuc adducam. *Lex dubia*, ajunt, *non obligat*, vel ut alii loquuntur: *Lex non ſufficienter promulgata non obligat*; dum duas inter opiniones hæreo, quarum una legem prohibentem exiſtere affirmat; altera æque probabiliter negat, lex iſta mihi dubia eſt, ſufficientique promulgatione caret, nullam proin obligationem inducit: liber a lege ſum. Prô Ethicam, chriſtiano homine indignam! Si lex dubia non obligat; quævis autem opinio probabilis legem dubiam reddit, Superi! quot leges naturales, divinas, humanasque velut dubias, non obligatorias humana non reſpuet temeritas? Quorſum laxatis habenis veſana non ruet libertas? Quos limites diſſoluta licentia non tranſiliet?

Sed ut liberalius cum novis hisce Caſuiſtis agam, legem illam *particularem*, divaricata probabilitate dubiam redditam, minime obligare transmitto; ab actione tamen ut quis abſtineat, alia eaque *univerſali* lege teneri contendo. *In dubiis tutius eligendum*, transgreſſionisque periculum fugiendum eſſe, Authoritas & Ratio jubet, prout infra demonſtrabo, ſicque in praxi illicita actionis poſitio erit.

Huic

Huic per totam retro antiquitatem celebratissimo principio Adversarii aliud opponunt, clamantes: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Homo natura sua liber est, hacque suæ libertatis possessione eousque gaudet, quousque lex certa, ac clara eum inde non turbat. Principium hoc perantiquum est; at extra materiam justitiæ nec a Summis Pontificibus, nec a Patribus, nec a Conciliis ad decidenda dubia usurpatum. Novi, Recentesque venerunt, qui amplissimum illius fecerunt usum: qui hominibus placentia loquentes, suavi eloquio mulcentes viam ad Cœlum ostenderunt facilem, ac latam, quam æterna Veritas arctam, spinisque horridam prædicavit. Sed, quid multis opus? An non ipsa libertatis possessio in nostro casu moraliter est dubia? An non lex universalis clara est, ad vitiandam bonam fidem, ac turbandam libertatis possessionem sat, superque sufficiens? De hac lege modo plura.

CAPUT VI.

Argumenti ejusdem Continuatio.

Mens nostra duas opiniones, æque, aut fere æque probabiles, invicem oppositas, serio perpendens, de neutrius veritate pronunciare prudenter potest. Ut quid enim unam præ altera veram judicet, cum Fundamenta utrinque æqualia, se invicem elidentia, videat? Suspendendum itaque judicium est, & ad modum dubitantis in medio persistendum. At periculum in mora est: agendi necessitas urget. Bene est: agas itaque, non tamen quod magis libet, sed quod

licet; non quod delectabilius, sed quod tutius fuerit visum, agas. Istam agendi regulam Sacræ Paginæ, Patres & Pontifices constanter inculcant.

Deum mandasse, mandata sua *custodiri nimis* Psalmista monet, *Psal.* 118. Eundem *ex toto corde, omnibusque viribus*, diligendum esse, Salvator docet. *Luc.* 10. Nimius ne, seu universalis Mandatorum custos ille sit, qui mandatum satis probabiliter sibi propositum, acsi omnino non esset, temere negligit? Cordialis Dei amator ille censendus; qui magis suæ libertatis commoda, quam supremi Domini Jura, utut probabiliter cognita, cordi habet? Tales profecto Amicos nec homines sibi optant. Deus Creator, & Pater noster est: non mere servilem, sed filialem a nobis amorem exigit. Patrem haud sincere filius amat, qui multa, patri probabiliter displicitura, illo inspectante quotidie perpetrat.

In Salutis negotio controversas inter opiniones Tutiorem eligendam esse SS. Patres, fidelissimi Scripturæ Interpretes docuerunt. D. Augustinus, de Donatista loquens, (*Lib.* 1. *de Bapt. c.* 3.) Catholicorum Baptisma velut certi, Donatistarum dubii valoris æstimante, ita resolvit: *Graviter peccaret in rebus ad Salutem animæ pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta præponeret.* Et infra: (*Ibid. c.* 5.) *Accipere* (Baptismum) *in parte Donati, si incertum est, esse peccatum; quis dubitet, certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est, non esse peccatum.* Jam inter duas æque probabiles opiniones

niones de magis tuta certo constat, eam non inducere ad peccatum: de minus tuta non certo constat, eam non inducere ad peccatum; non igitur hæc sed illa est eligenda: secus qui facit Augustino Judice certo peccat.

Magno Augustino unicum Bernardum subjungere placet, sicut vitæ mollis, ita & laxæ doctrinæ implacabilem hostem; hic autem in rem nostram ita differit: *Ut interior oculus vere sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem* (*l. de præcept. & dispens. c.* 17.) dum nempe hæc obtineri potest. In casu collisionis duarum opinionum æque probabilium, veritas cognosci distincte non potest, proin nec eligi: Caritas itaque non solum intentionem; sed etiam electionem dirigat necessum est. Vera Dei, suique ipsius Caritas omne peccandi periculum refugit; Supremi Numinis Dominio, ubi potest, se humiliter subjicit; quo igitur pacto minus tutam præ magis tuta unquam in praxi eligat?

Sunt, qui Bernardum non tam *cognitionis*, quam *actionis* veritatem, christianam scilicet in agendo sinceritatem subintellexisse autumant. Sive hæc, sive illa expositio adoptetur, præstabilitum inde nostrum magis firmabitur Principium.

Hanc ipsam Regulam Summi Ecclesiæ Præsules, Romani Pontifices in suis Rescriptis & Resolutionibus sunt secuti. Decretum, & Decretales inspice, & ubique, præprimis Cap. 5. *De Cler. excommun.* Cap. 12. *De homicid.* & Cap. 3. *De Sponsal.* in dubiis *partem tutiorem,*

ſemitam tutiorem eligendam eſſe, ſcriptum inve nies (*a*).

Minime me latet, quantas violentias hisce Pontificum Decretis Adverſarii inferant, ut ab argumenti laqueo ſeſe extorqueant. Quidam hoc axioma, *In dubiis tutior pars eligenda*, non præcepti, ſed conſilii loco habendum eſſe præ tendunt. Aſt vana hæc evaſio eſt. An non Pontifices verbis præceptivis: *debemus, tenemur &c.* utuntur? An non hanc tutioris partis ſequelam ex lege naturali faciendam ſupponunt; dum eam ceu ultimatam ſuarum deciſionum Rationem adducunt? An merum Conſilium ſit, quod qui non obſervat, peccandi periculo ſemet exponit?

Alii axioma iſtud obligatorium eſſe admittunt; ad dubium tamen *facti* illud reſtringunt. Quaſi vero non fortior ratio pro *dubio Juris* ſtaret. Tutior pars in dubio facti eligitur, ut peccandi periculum evitetur; nonne idem periculum in dubio juris timendum? Negant hoc, ac in dubio

(*a*) Quam alieni a Probabilismi dogmate Romani Pontifices fuerint, fulmina, in plurimas Probabiliſtarum propoſitiones vibrata, ſat ſuper commonſtrant. Ampliſſimum laxitatum probabiliſticarum catalogum texuere cl. D. Amort Theolog. Ec. Tom. I. Pomof. P. Concina *Hiſtor. Probabilismi*, & *Theolog. Chriſt.* celeber. P. Patuzzi Tract. *de Reg. prox. actionum hum.* T. 1. P. 2. c. 6. Quam male *Epiſtolæ Provinciales*, *Apologia Caſuiſtarum* P. Pirot, *Apologema* P. Caramuelis, *Dialogi* P. Danielis, *Concio Polemica* P. Neumayr, aliique Probabiliſtarum libelli Romæ fuerint excepti, toti literato Orbi eſt notum.

dubio facti legem certam, adeoque sequendam: in dubio juris ipsam legem dubiam, adeoque libertati, possessione gaudenti, posthabendam esse dicunt; sed quam inepte, ex præmissis constat. Prætensam libertatis possessionem in casu controverso dubiam esse jam supra monui: in dubio tutius præferendum esse hucusque ostendi. Ut quid ergo in responsis datur, de quo controvertitur?

Minus æqua eorum responsio, qui Regulam nostram in foro fori, non in foro poli seu conscientiæ obligare fingunt. Etenim Clemens V. in Vienensi Concilio distinctionem hanc dissertis damnavit verbis, inquiens: *Attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Præterea conscientiæ forum a foro exteriore non differt, quoties hoc falsæ præsumptioni non innititur. Alias Casuistarum interpretationes recensere piget, utpote quæ ex hactenus dictis satis refutatæ manent. Quod si hac super re Doctoris Angelici mentem exquiras; nullibi probabilisticas reflexiones: ubique nostrum axioma in dubiis applicasse perspicies. Quodlibeto 8. Canonicum, qui ex varietate opinionum dubitat, sitne licita præbendarum pluralitas, nihilo tamen minus plures possidere pergit, periculo se committere & peccare S. D. asserit (*a.* 13.). Similia Quotlibeto 9. *a.* 15. & alibi habet. Jam S. Antoninum, Bonaventuram, Scotum aliosque veteres Moralistas scrutare, & probabilisticarum phrasium nec vestigium; nostri econtra axiomatis continuum usum apud illos invenies.

CAPUT VII.

Inter duas Opiniones inæqualiter probabiles nunquam ſequi poſſumus minus probabilem, minusque tutam.

In ampliandis humanæ libertatis juribus ultra progreſſi Probabiliſtæ non ſolum inter duas *æquali* probabilitate pollentes minus tutam, ſed & inter duas, *inæquali* probabilitate munitas, minus probabilem, ſimulque minus tutam eligi poſſe defendunt; aſt plane infeliciter. In quærenda veritate pro viribus ut laboremus, gravi præcepto ſtringimur. *Ante omnia opera tua* (ait Sapiens) *verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile. Eccl.* 3. Idque jam Gentilis Stagyrita agnovit, dicens: *Veritatem debemus quærere, & ſequi quantum poſſumus.* (1. *Ethic.*) Bona fide procedere tenemur, Apoſtolo teſtante: *omne, quod non ex fide eſt, peccatum eſt. Rom.* 14. Deum magis, quam omnes res creatas diligere jubemur, juxta illud Chriſti: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Matth.* 10. Hocque Mandatum de Deo ſupra omnia amando *primum & maximum* in lege dicitur. *Matth.* 22. Illene omnem, *quam poteſt*, in indaganda veritate diligentiam adhibuiſſe eſt cenſendus, qui probabiliorem, & tutiorem opinionem ſtudioſe deſerit, ut minus probabilem, & minus tutam ſequatur? Illene Deum *ſupra omnia* diligit, qui ſententiam, carni indulgentem, alteri, quæ legi favet, deliberate præfert? Illene *bona fide* agere

eſt

est credendus, qui juxta eam, quam *probabilius falsam*, ac inhonestam ipse cognovit, praxi temeraria procedit.

Praxin hanc *temerariam* voco, quia nulli gravi ac moraliter certo fundamento nititur; quia Prudentiæ legibus adversatur. Casuista mollis opinionem sequitur minus probabilem, cujus principia *directa* mere probabilia, dubia, imo in concursu probabilioris magis falsa apparent; cujus principia itidem *reflexa*, uti supra demonstratum ivi, ambigua, controversa, ac falsa sunt: unde jam moralem de honestate suæ actionis certitudinem emendicabit? Qua prudentia semet ad agendum resolvet? Prudentia virtus practica est, quæ quantum potest, erroris, ac peccati periculum abesse jubet: periculum hoc abest, ubi moralis de honesto certitudo adest: adesse certitudo ista non potest in eo, cui certum videtur, quod verisimilius sit, actionem illicitam esse. Edic, quæso, istane compossibilia judicia sunt: *Mihi certum videtur, quod actus sit licitus, & simul mihi certum videtur, quod verisimilius sit, eum esse illicitum?* Istud ultimum quilibet, in minus probabilem incidens, formare sibi prudenter debet: primum ergo perpetuo excluſum maneat, necessum est.

Si venator in sylva moveri aliquid cernat, putansque hominem potius esse, quam feram, ictu feriat, hominemque occidat, homicidii revera reus est. Etenim Caritas, cujus exercitium non probabilis, sed necessaria res est, exigit, ut proximi sui vitam quisque server, ac proinde quicunque hanc illi auferendi periculo

se

se exponit, contra caritatem peccat, cum diligentiam, quam oportebat, non adhibuerit.

Si verum hoc, cum proximo nocendi periculum subest, magis id erit, cum Dei, aut Ecclesiæ præcepta violandi periculum adest; nequit tunc probabiliore ac tutiore relicta minus probabilem sequi licebit. Majore cura Dei Mandata servare, quam proximi vitare damnum Christianus debet, Deumque magis, quam proximum amare, cujus amor ex Dei amore proficiscitur.

Sane si liceret probabiliore relicta probabilem opinionem sequi, plures possemus excusare actiones, quas tamquam malas, a Deo damnatas, supplicioque mulctatas sacræ Litteræ narrant. Saul Amalecitarum Regi parcit, & nonnulla sibi ex spoliis reservat. Poterat ille probabili opinione se excusare; Samuelis nempe mandatum, quo illi jusserat: *Vade & percute Amalec, & demolire universa ejus* (1. *Reg.* 15.) ab illo non differre, quod per Moysen Deus ediderat, & quod late poterat interpretari, nempe mares tantummodo illius gentis sibi esse interimendos. Hebræa vox sic legi, & interpretari poterat, ut plures Rabbini fecerunt, qui Saulem a divini præcepti violatione excusant: certum nihilominus est, ab eo fuisse violatum. Cum vero sacrificium Deo obtulit, probabili pariter opinione sibi licere est arbitratus; Samuel enim ad horam conductam non aderat, & pugna urgebat: attamen illum Propheta reprehendit, veluti Deo inobedientem, a quo deinceps rejectus, ac punitus fuit.

Quan-

Quando Roboam juniorum consilium est secutus, asperumque illud responsam populo dedit: *Pater meus cæcidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* (3. *Reg.* 11.) nonne illi probabiles præsto erant rationes, quibus veterum aulicorum consilium rejiceret, illudque juniorum amplecteretur? A divina tamen Scriptura ille reprehenditur, & a Deo punitus est decem tribuum defectione, quæ Israelis regnum constituerunt.

Dum Christum crucis supplicio Pilatus adjudicavit, nonne rationes est secutus, quæ sibi probabiles videbantur? Videbat Pontifices, Sacerdotes, Doctores, Scribas, Pharisæos Christo crimen objicere, quod legem, cujus isti erant Interpretes, violasset, atque huic gravissimum perduellionis crimen accedebat, quod scilicet Regem se appellasset; objecta Christus crimina non refellebat, nullusque aderat, qui ab hisce illum purgaret. Quis tamen dubitet, Pilatum judicium iniquissimum pronunciasse, quale sera nunquam videbit ætas?

Taceo plures alias, easque absurdissimas Probabilismi sequelas. Horribilem unam innuisse sat mihi erit.

Caramuel ait, (*Theol. fundam.*) infidelem, cui christiana fides proponitur tamquam sua probabilior, extra mortis articulum non teneri illam suscipere, quamdiu sua secta probabilis illi appareret. Hanc exceptionem Diana excludit, asseritque infidelem neque in mortis articulo constitutum christianam fidem teneri suscipere, cum novum agendi modum circumstantia hæc non inducat.

ducat. Nonne christiana religio funditus si evertitur? Nonne Independentium secta sic stabilitur, qui religionem quamlibet tuto nos sequi posse asserunt, quæ bona nobis videatur, & quam cuique spiritus peculiaris suadet? Nonne licentiæ sic & impietati fræna laxantur? Dubie Caramuel de hoc infideli loquitur, qui idololatriam sibi probabilem potest amplecti; verum Casuistæ alii quocumque amoto limite, aperte ajunt, baptizatum non peccare, si hæresim non deserat quam à parentibus didicit, donec valida non appareant argumenta, quæ omnem sectæ suæ auferant probabilitatem; & quamdiu probabilis illa manet, non peccaturum, qui eamdem amplectatur (*a*). Hinc puellæ pleræque ceu hæreticæ non sunt habendæ, donec vigesimum ætatis annum non expleverint; quis enim affirmabit, argumenta eisdem non suppetere, quibus sectæ suæ probabilitatem tueantur? At nemo peccat probabilem opinionem sequens. Hanc sibi Caramuel objectionem opponit: Senes multi vivunt, qui hæresi addicti recte se vivere putant. Respondet, eos falli, si inter catholicos vivant, a quibus veritatem edoceri possunt; at si in Svecia aut Norvegia degant, ubi catholicæ religionis publica non fit professio nec de ea differentem aliquem audierunt, posse illos æternam salutem assequi, dummodo non peccent, aut actum aliquem

(*a*) Quid de hac Caramuelis, & Dianæ opinione sit sentiendum, Innocentius XI. docuit, dum a. 1676. hanc n. 4tam damnavit propositionem: *An infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

aliquem contritionis vel amoris Dei eliciant. Hæretici Marcionis errores recitari audiens magnus ſanctus Polycarpus exclamavit: *O Domine, in quam ætatem, in quodve me tempus reſervaſti, ut has blaſphemias audirem?* Verum erantne iſtæ horribiliores, quam nonnullorum Caſuiſtarum opiniones, qui liberum cuique docent in Chriſtum credere vel non credere, ſi probabilitatis ſpeciem quamlibet ſequatur? Et mihi conſtat hæc paradoxa non ab omnibus doceri; at a probabilitatis doctrina illationes iſtæ neceſſario promanant, & jure ait Caramuel has omnino admittendas eſſe, ſi primum probabilitatis principium concedatur. Quod ſi ethnicis, ac mahometanis, qui ſimplicem fornicationem licitam putant, in infidelitate vel hæreſi vivere licet, quousque illis videntur hæ probabiles; qui in iis degunt regionibus, ubi abominabiliora crimina, ſicut olim Spartæ, abſque ſcrupulo patrantur, tam deteſtabilia opera agentes minime peccabunt. Anne igitur probabilitas cunctis ſceleribus viam pandit? quæ enim apta inter hæc duo reperiri poteſt diverſitas, licitum id *credere*, licitumque id *agere*, quod probabile videatur?

CAPUT VIII.

Idem continuatur argumentum.

Compertum mihi eſt Caſuiſtas recentiores plurimos opinari, licitum eſſe non modo probabilem opinionem ſequi, ſed minus etiam probabilem & minus tutam, tutiore ac probabiliore relicta. Mercorus doctus Dominicanus horum octo-

octoginta ferme recenſet; ſed hujuscemodi Doctorum antiquior uno vix ſæculo ante nos vixit (*a*). Veteres contra Scholaſtici omnes ad hanc usque laxitatem numquam pervenere, & ante illos ſancti Patres de hac neque cogitarunt: Apoſtolorum doctrinam per traditionem ad ſe delatam ſecuti ſunt. Magni iſti viri dum Chriſtianos ad divinam implendam legem hortabantur, eam implendi modum quoque docebant; quod ſi probabilem, vel minus probabilem opinionem ſequi licitum eſſe exiſtimaſſent, nonne hanc praxim homines docuiſſent? Sanctus Antoninus, ſanctus Bonaventura, ſanctus Thomas, Cajetanus, Scotus, Gabriel, Henricus Gandavenſis, Comitolus Jeſuita, Sotus, Navarrus, Corduba, Gerſon, Joannes Major, aliique plures, qui novitatem hanc aperte damnant, opinionem in Eccleſia ſuo ævo receptam damnare auſine eſſent? Contraria ergo ſententia, Eccleſiæ ſententia cenſeri poteſt, quatuordecim ſeculorum traditione firmata, ab Auctoribus propugnata longe ſanctioribus, doctioribus, ac fide dignioribus, quam novi iſti, licet hi haud exiguo ſint numero (*b*).

Joan-

(*a*) Caramuel, Terillus, aliique Probabilismum Sæculo XVII. anteriorem, ac mundo coævum finxerunt, ipſumque Salvatorem Chriſtum velut Probabiliſtam imperitis depinxerunt. Horum temeritatem Clemens XIII. compeſcuit, dum d. 26. Febr. 1761. ceu *erroneam, & hæreſi proximam* hanc damnavit propoſitionem: *Probabilismus Chriſto Domino ſumme familiaris fuit.*

(*b*) Vaſtiſſimum hodie Probabiliorismi eſt Regnum. Univerſo Luſitaniæ, Hiſpaniæ, ac Galliæ Clero domi-

Joannes Major, & Comitolus expreſſe docent in rebus moralibus haud ſpectandum Auctorum numerum, quorum primos alii veluti irrationabilia pecora ſequuntur; ſed præ communi opinione illam ſequendam, quam docent ſex vel ſeptem Auctores claſſici, qui accurate quæſtionem exa-

---

dominatur. Plerique Religioſi Ordines ſuis in ſcholis de illius nomine gloriantur. Ordo Prædicatorum in Capitulo generali 1656. Romæ celebrato Alumnos ſuos omnes Probabilioriſtas eſſe juſſit. Idem Ordo Carmelitarum r. p. Conſtit. c. 22. Ordo Theatinorum Capit. Gen. 5. Ordo Trinitariorum Conſtit. c. 3. Ordo Franciſcanorum ſtrict. Obſervantiæ in Capit. Gen. 1762. Mantuæ habito, aliæque plures Regularium Congregationes pro ſuis ſtatuerunt. *Probabilismum* (inquit P. Antoine S. J. Theologus Tract. *de Conſcient. prob.* Reſp. ad object. 15.) *Congregatio generalis* 13. *an.* 1687. *declaravit non eſſe doctrinam Societatis. Et S. Ignatius Societatis noſtræ Inſtitutor hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Profeſſoribus præſcribit, ut ſequantur in quavis Facultate ſecuriorem & magis approbatam doctrinam.* Conſtit. p. 4. c. 5. Conſtitutionem hanc graviſſimam Alexander VII. P. Generali Goswino Nikel noviter ſuis inculcandam demandavit, eamque e Societate multi uti Rebellus, Comitolus, Blancus, Conzalez, Oliva, Vitelleſchius, Bellarminus &c. ad amuſſim obſervarunt, dum junctis viribus contra Probabilismum, *chriſtianæ Reipublicæ non minus, quam ipſi Societati perniciosum* calamos acuerunt. Ut quid glorioſa Confratrum obedientium veſtigia premere diutius detrectant; qui obedientiam ceu præcipuam Societatis notam deprædicant?

examinant. Idem sacræ Litteræ præcipiunt: *Ne sequaris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies* (*Exod.* 23.). Patres quicumque adversus hæreticos disseruere, nonne ad illorum refellendos errores hoc uno usi sunt argumento, accusantes nempe illos novitatis? Hoc Origenis libris sanctus Hieronymus objiciebat: *Cur post quadringentos annos nos docere niteris, quod antè nescivimus? Cur profertur in medium; quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine hac doctrina mundus Christianus fuit.*

Sanctus Bernardus adversus Abaillardum scribens, qui periculosas contra Trinitatis mysterium Ethicamque Christianam novitates docebat, verba nobis suggerit, quæ ad recentiorum horum Casuistarum illuviem deplorandam sunt accommodatissima. *Volant libri* (inquit *Ep. ad Innocent. Pap.* 189.) *pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur; novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est; de virtutibus & vitiis non moraliter, sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præter quam accepimus, ministrantur.*

Magni hujusce Sancti verba hæc nonne adversus hosce recentiores Casuistas scripta videntur? De peccatis isti jam non loquuntur, sicut Patres nostri locuti sunt; novas reperere conditiones ad mortale committendum peccatum; de diligendo Deo præceptum subtilius docuere, ut homi-

homines eo liberarent; novas asserendi jurandive formulas invenerunt, novas edidere doctrinas de modo audiendi Missam, divinique Officii recitandi; de adulterio, reliquisque impudicitiis, de homicidio, de furto, de usura, de creaturarum amore, de terrenorum bonorum usu, de vindicta: nihil tandem in Ethica Christiana intactum reliquere, illamque adeo deformarunt, ut neque Apostoli, neque Sancti Patres eamdem modo agnoscerent. Ad illos igitur hæc sancti Bernardi adversus Abaillardum verba convertamus (*Epist. ad Innoc. Pap.* 160.). *Tibi proinde sint quæ tua sunt; ego Prophetas, & Apostolos audio; obedio Evangelio; sed non Evangelio secundum Petrum: tu nobis novum condis Evangelium.*

Unitas nota est & caracter veritatis, quæ ab uno Deo proficiscitur. Sicuti una est fides, ita in ejus dogmatibus nulla potest esse diversitas. Sicuti una est Ecclesia, ita una est cum eadem communio, eademque in ipsa Sacramenta sumuntur. Doctores, quicumque docent, non licere minus probabilem, minusque tutam opinionem sequi, probabiliore ac tutiore relicta, hoc nituntur principio, numquam licere animam suam periculo exponere, illumque peccare mortaliter qui huic periculo eamdem exponat. At probabilitatis Doctores diversimode loquuntur, diversis reguntur principiis, diversasque statuunt conclusiones.

Nonnulli dicunt generatim in omni re morali licitum esse sequi probabilem opinionem, quæ

tenuem habeat probabilitatem, & inter minus probabiles illam etiam eligere, quæ probabilitatem minimam habet.

Generalem hanc assertionem alii limitant, docentque licere minus probabilem sequi opinionem, dummodo evidens sit ejus probabilitas. Docent quoque tunc licitum esse minus probabilem opinionem sequi, quando secus proximi damnum vitari nequit.

Volunt aliqui minus probabilis opinionis usum in foro conscientiæ esse permissum, non autem in foro fori.

Alii docent non licere minus probabilem opinionem sequi in Sacramentorum administratione, neque in iis, quæ ad fidem, aut commutativam justitiam pertinent; id est cum de proximi damno agitur. Aliqui tamen neque Sacramentorum administrationem, neque justitiam excipiunt.

Docent nonnulli ad consilii dumtaxat opera spectare probabiliorem opinionem sequi. Affirmant alii hoc neque præcepti esse neque consilii. Adsunt, qui putant minus probabilem esse sequendam, cum gravis infamia vel grave damnum vitari hoc pacto potest, aut cum damnum prudenter vitandum non imminet, si contraria opinio eligatur.

Nonnulli denique dicunt hanc propositionem: *Licitum est probabilem opinionem sequi,* esse tantum probabilem; alii vero verissimam esse affirmant. Neque inter Babelicam turrim ædificantes tanta fuit confusio, quam inter hos probabi-

babilitatis Doctores, qui ædificium conſtruere velle videntur, quod homines a peccatorum diluvio ſervet, quo terra alluitur; quod numquam tamen poterunt perficere: imo vero Evangelii, veræque Moralis Chriſtianæ aggeres demoliuntur, intra quos tuti degere homines poſſent.

At rationes illas perpendamus, quibus opinionem ſuam Doctores iſti firmant, nempe minus probabilem minusque tutam opinionem licere ſequi, tutiore ac probabiliore relicta; hujusque ſententiæ imbecillitatem ac falſitatem demonſtremus.

CAPUT IX.

Quædam Probabiliſtarum diluuntur Objectiones.

Prima Caſuiſtarum ratio, qua probare nituntur, licitum eſſe minus probabliem minusque tutam opinionem ſequi, & probabiliorem tutioremque relinquere, hæc eſt, nulla nos lege compelli ad probabiliorem opinionem ſequendam, quamvis in hoc major ſita ſit perfectio.

Rationi huic Sanctus Paulus reſpondet (1. *Theſſ.* 5.) *Quod bonum eſt, tenete: æmulamini charismata meliora,* clare inſinuans Chriſtiani hominis eſſe perfectionem ſemper quærere, & quidquid illi ſit agendum, meliore pro virili modo agere: cumque omnia ejus opera in caritate ſint facienda, ſi hic minus, plus ibi caritatis adeſſe videat, id illi eſſe eligendum, in quo majorem exercere poſſit caritatem. Verum aptior reſponſio eſt, non hic agi de majori perfectione, ſed de æter-

na salute, & de mortalis peccati periculo. Quis neget teneri nos semper & ubique illud vetare, quoties illius adesse periculum suspicamur?

Secunda ratio est, posse Doctorem in schola minus probabilem opinionem docere, & probabiliorem deserere. Potest igitur illam alteri suadere, dum consulitur.

Respondeo, veritatis Doctorem, si hanc docere studet, non autem suum proferre ingenium, aut vile aliquod captare emolumentum, non posse in christiana schola opinionem relinquere, quam veriorem credit, ut aliam doceat, de cujus veritate dubitat; secus discipulorum suorum, qui veritatem ab eo discere cupiunt, ingenio & conscientia abutitur. Præterea quomodo potest quis propositionem docere, ex qua certam opinionem nequeat elicere? Porro juxta Aristotelem, ut jam innuimus, nequit intellectus opinioni firmiter adhærere, quæ ex minus probabili, probabiliore sententia relicta, proficiscitur. Cum hoc in rebus fidei verum sit, quomodo possunt recentiores Casuistæ novitates in Ecclesiam invehere, quæ veterem doctrinam evertunt, & tumultus cient, & inde se tueri, quia suæ sibi probabiles opiniones videntur? Idemne in theologicis licet quæstionibus, quod permittitur in physicis? Liberum sibi religiosus homo non putabit ingenii sui inventa veluti certas veritates docere, & in scientiis ipsis humanis colendam esse veritatem existimabit, ne hominum mentes fallat.

Tertia ratio est, ut minus probabilem opinionem sequentes plures animæ e scrupulis liberentur.

Sed

Sed qui a legitimis ſcrupulis animas liberare hoc pacto nititur, falſa illas ſecuritate decipit, malamque eisdem pacem tribuit: *Dixerunt pax pax, & non erat pax*, inquit Propheta Jeremias c. 6. Lethalis ſic ſomnus, ſeu potius mors ipſa eisdem conciliatur.

Quarta ratio eſt, non poſſe nos integram rerum habere certitudinem, ad quam proinde nos Deus non obligat, ſed ſolum cum morali certitudine ad operandum, quæ in probabili opinione reperitur, & ad prudentiam ſequendam, quæ minus bonum tute poteſt eligere, quando ex aliqua vel ratione vel auctoritate honeſta illi actio & licita videatur.

Reſpondeo certum eſſe, minus probabilem opinionem morali certitudine carere, quando contraria opinio eſt probabilior; ſed revera intellectum metuere & practice dubitare, quamdiu in hoc ſtatu manet. Porro in hac diſpoſitione nequit homo opus agere, de quo dubitat, peccandi enim periculo ſe exponeret.

Si juxta *moralem* prudentiam, quæ humanorum actuum certa & determinata eſt regula, hoc non licet; id multo minus permittit *chriſtiana* prudentia, quæ Dei lumine ducta, Deumque ut finem ſuum ante oculos habens, in obſcuritate vel dubio nequit operari, neque ſinit ut Chriſtianus cum finis ſui obtinendi incertitudine operetur. Prudentia juxta Sanctum Auguſtinum eſt amor, qui ea diſcernit, quæ hominem ab amato bono obtinendo impedire, aut ad illud obtinendum hominem poſſunt adjuvare. Minus

probabilis opinionis electio hac prudentia non fit; hujusmodi enim electio hominem impedire poteſt, ne Deum obtineat, & ad peccatum impelliere.

Dicet tandem fortaſſe aliquis: cum hanc opinionem tot Caſuiſtæ doceant, nec illos Eccleſia damnet; ſed eorum libros inter omnium manus verſari ſinat, eorum ſententia tacite ab Eccleſia videtur probari, & poſſeſſionis ſeu præſcriptionis ſpecie quadam gaudere.

Probabilitatis equidem opinionem a centum ferme annis Caſuiſtæ plures docere ac pro viribus tueri aggreſſi ſunt; at non idem de chriſtianis circa mores dogmatibus, & de philoſophiæ placitis ferendum eſt judicium. Mutari illa non poſſunt, quoniam immutabili nituntur principio, ut jam diximus, & validioribus deinceps probabimus argumentis; iſta vero cum indubitatis haud nitantur principiis, mutari facile poſſunt. Ad Sancti Thomæ uſque tempora Platonis philoſophia in Eccleſia viguit. In ejus locum Ariſtotelis philoſophiam Sanctus Thomas invexit, quam veteres nonnulli Patres veluti impiam deteſtabantur; verum hoc Religioni diſcrimen nullum attulit. Modo poſſumus, ſicut antea Platonem ſequi, & Chriſtiani permanere, dummodo cum Chriſtianis veritatibus Platonis placita non miſceamus. At cum de chriſtianis dogmatibus ſermo eſt; vel ad fidem illa, vel ad mores pertineant, non quoscumque, ut occurrunt, Auctores, ſequi licet; ſed in dubiis adhuc quæſtionibus Evangelium, ſanctorum Patrum traditio, & priſci Doctores ſunt conſulendi.

De

De conſcientiæ caſibus Librorum illuviem, quæ per chriſtianum orbem a pluribus jam annis ſe diffudit, Eccleſia paſſa eſt; illam tamen numquam calculo ſuo probavit. Optandum profecto erat, ut initio hoc malum manu valida abſcinderetur, promptumque remedium forſan prohibuiſſet, ne tam late contagio ſerperet. Remedium aliquod tanto malo ſummi Pontifices adhibuere. Clemens VIII. opinionem proſcripſit, quæ aſſerebat validam eſſe Confeſſionem per epiſtolam, pluresque alias de matrimonii uſu. Alexander VII. pernicioſas plures propoſitiones ex recentiorum Caſuiſtarum libris excerptas, ut innuimus, damnavit ejusque Bulla omnium manibus teritur. Multi in Gallia Epiſcopi (*a*) illas pariter

(*a*) Haud impari zelo multi Germaniæ Epiſcopi contra probabiliſticas laxitates inſurrexerunt. Libellos, e Probabilismi Familia oriundos, a Summa ſede dudum confixos, temere recuſos, ac in Nobilium præprimis ædibus diſtractos Illuſtriſſ. Archiepiſcopus Vienenſis Migazzi ſuppreſſit. Ut non niſi certiorem, ac tutiorem partem in Moralibus ſequantur Celſiſſ. Princeps, & Epiſcopus Paſſavienſis data a. 1764. paſtorali Epiſtola ſuos admonuit. Publicam Probabiliorismi defenſionem Celſiſſ. Franciæ orientalis Dux, & Epiſcopus Herbipolenſis Adamus Fridericus ſuis Clericis Seminariſtis injunxit. Simili præcepto Sereniſſ. Princeps, ac Epiſcopus Auguſtanus Joſephus Fel. Recordat. ſuos Clericos, Alumnos Pfaffenhuſanos obſtrinxit. Sed quid eſt, quod non obſtante Epiſcoporum vigilantia adhuc tam late per Germaniam Probabilismi malum ſerpat? Ni memoria me fallat, ad quæſtionem hanc, aliquando propoſitam,

riter damnarunt, quibus librum, qui Casuistarum Apologia vocatur, mulctarunt, qui liber errores omnes complectitur; quos per centum ad nostros usque annos Casuistæ suis in libris docuerunt. Eumdem librum pessimum privati plerique Doctores confutarunt: Theologica Parisiensis Facultas die 16. Julii 1658. censura sua illum damnavit. Ex editis igitur scriptis norunt Fideles horum pernicioſarum opinionum enormitatem, ita ut nequeat ignorantia illos excusare. Antiqua dissimulatio, quæ afferri posset, licitas reddere nequit actiones, quas naturæ lex condemnat, divina, contra quas leges consuetudo nulla præscribit. Hæc dissimulatio ab eorum silentio profecta est, qui abusum compescere debuerant. quod si statim hæ propositiones ad sanctam Sedem fuissent delatæ, aut ad nationale vel provinciale Concilium, aut ad particularem Synodum dubio procul damnatæ fuissent. Quis igitur illas ex hoc silentio jure probatas dicet? Væ Pastoribus, qui silent, dum lupum ad devorandas oves venientem vident! At lupus mores suos non mutat

---

positam, Vir admodum Gravis hæc respondit: *Probabilismi quæstum Germaniæ Episcopi necdum sublatum vident; quia Christi Zelum in uno non in altero imitantur. Christus in Templi profanatores necdum flagello animadvertit; sed & eorum mensas ac cathedras subvertit. Si hi Episcopi Flagello Consorio Cathedrarum probabilisticarum subversionem superadderent, suisque in Lyceis nullum nisi Probabilioristam ad Theologiam Moralem juvenibus tradendam admitterent, brevi Sacratioris Disciplinæ profanatio desineret in Germania, quemadmodum desiit in Gallia.* Hæc quidem ille.

mutat; nec ideo gregis cladem Paſtor ſupremus approbat. Quare igitur lupos quiete, ut interdum evenit, agere patitur? Dei judicia hæc ſunt erga homines, qui illos a cæcis ducibus regi, & in præcipitium agi ſinit. Mendacii ſpiritum in Prophetarum Achab ore Deus poſuit, (3. *Reg.* 11.) quia ſic puniri Princeps ille merebatur. Phariſæos ideo arguit, quia traditionibus ſuis legem Dei corruperant; nihilominus eorum dogmata per plura ſæcula populus eſt ſecutus, Pontificibus & Doctoribus non contradicentibus, imo eadem amplexantibus. Qui ut illa ſequerentur, divina mandata violabant, erantne excuſabiles? Nonne Chriſtus hæc dogmata veluti vana & divino cultui contraria condemnat? *Sine cauſa autem*, inquit, *colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum* (*Matth.* 15.). Particulares rationes plane cognoſcere nequimus, ex quibus poſt malos duces homines ire Deus interdum permittit; ſed cum Sancto Auguſtino affirmare licet, id plerumque evenire, ut perverſæ hominum cupiditates puniantur. Veritatem audire nolunt, & ad illos Deus mendacii doctores mittit, *Coacervant ſibi magiſtros prurientes auribus*, inquit Apoſtolus (2. *Tim.* 4.) & Deus *ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*. De Balaamo loquens idem Auguſtinus inquit: *Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permiſit eum ire, hoc ipſo confundens ejus dementiam, quod prohibitionem Dei tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore ſupprimeret.*

CA-

CAPUT X.

Inter duas opiniones quandoque licet seq probabiliorem minus tutam.

Erroris unius impugnatores, nimio disputati nis fervore abrepti non raro in errorem o positum sunt prolapsi. Id certe in Probabilism controversia contigit. Dum nonnulli indiscre zelo contra laxitates dimicabant, rigoris exce sum, delicatis præsertim animabus nocivum i vexerunt, contendentes, Christianum homine Probabilitati, licet maximæ, acquiescere nunqua posse, sed ad omnino certa, vel saltem tution quærenda eumdem adstringi.

Hisce, Rigoristis, seu Tutioristis dictis, (a nedum Probabilistæ; sed & Probabilioristæ re fragantur, dumque de sola *actionis honestat* emergit quæstio, probabiliorem minus tutam tutio

(a) Immane hosce inter Rigoristas, & Probabilior stas intercedit discrimen. *Rigoristæ* nunquam probabilitati assurgunt: in defectu certitudinis directæ semper & ubique *Tutiora* eligenda esse contendunt, sicque obligationum onera admodum multiplicant. *Probabilioristæ* plerumque probabiliorem etiam *minus tutam* velut absolute tutam approbant, solumque minus, vel æque probabilem, & minus tutam prudenter in praxin deduci posse ex fundamentis supra adductis negant. En quam injuste Probabilistæ Rigorismi labem Probabilioristis affingant! Ast necessaria illis hæc fictio est, ut juvenes nudo *rigoris* nomine perterriti solida Probabilioristæ principia examinare negligant, cæcoque impetu, quoad vinxerint, pos Probabilismum eant.

tutiori minus probabili præferri posse, sequentibus rationibus, mea quidem opinione gravissimis, evincere videntur.

Homo duas inter Sententias minus tutam, multo tamen probabiliorem sibi visam in praxi sequens simile præmittere judicium potest: *Qui agit, quod post sufficiens examen sibi videtur veritati propinquius, vel omnino verum, is prudenter agit: acturus ego jam sic agam; prudenter itaque agam.* Iudicium istud de honestate actionis ponendæ moraliter certum est, unanimi Sapientum consensu adeo firmatum, ut paucorum Tutioristarum merito negligi dissensus possit.

Homo juxta minus tutam, sibi multo probabiliorem, procedens Prudentiam gubernatricem Sinceritatem comitem, Charitatem amicam habet. Prudentia de honestate actionis certa esse cupit: Sinceritas seu bona fides vera aut certe verisimiliora amplectitur: Charitas divinam legem zelat, de cujus existentia vel certa est, vel prudenter dubitat. Qui probabiliorem minus tutam sequitur, de legis existentia dubitare prudenter non potest; quia altera minus probabilis juxta probabiliorem posita solide & expedite probabilis esse desinit, sicque veluti minus habens inventa suo pondere intellectum in æquilibrio servare, aut omnino suam versus partem inclinare nullatenus valet, nisi liberum voluntatis unde unde permotæ imperium ponderis defectum suppleat.

Ast Patres, Pontifices, Concilia in dubio tutius eligendum esse docent; in Salutis negotio dimit-

dimittenda incerta, ac ubique certa tenenda e
monent. Ita ſane. Sed numquid notabili pr
babilitatis exceſſu æquilibrium rationis impedi
prudensque dubium ab intellectu arceri, jam
pra oſtendi? Numquid opinionem minus tut
ipſa probabilitas multis gradibus major, ac
ctamen reflexum moraliter certum adhuc ſimp
citer tutam efficit? Certitudinem phyſicam,
metaphyſicam Patres nullibi requirunt; mor
Contenti ſunt. *Quisquis* (inquit Auguſtinus *l.*
cont. Academ. c. 3.) *tantum, quantum poteſt,*
debet, dat operam inveniendæ veritati, is, etia
non inveniat, beatus eſt; totum enim facit, qu
ut faciat, natus eſt. Aurelio Aquinas ſuccin
ſua in Summa docens: *In actibus humanis - - ſu*
cit probabilis certitudo, quæ in pluribus veri
tem attingat, etſi in paucioribus a veritate de
ciat (2. 2. 9. 70. *a.* 2.). Notiſſima quoque i
Iuris ſacri Regula: *Inſpicimus in obſcuris, qu*
eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevi
(*R.* 45.) quæ prorſus inutilis foret, ſi univerſa
tutiora ſequendi daretur obligatio (*a*).

Age jam, Summorum Pontificum facta,
communem Fidelium, etiam timoratorum, pr
xin critico oculo perſcrutare, & frequentiſſimu
huju

(*a*) Alexander VIII. a. 1690. iſtam n. 3. damnav
propoſitionem: *Non licet ſequi opinionem vel int*
probabiles probabiliſſimami ex qua juxta leges o
poſitarum optime infertur: ergo quandoque ſeq
licet opinionem reſpective probabiliſſimam ſci
probabiliorem, etiam *minus tutam*, quia huj
præciſe ſequelam propoſitionis damnatæ negav
defenſor.

hujusce Regulæ usum deprehendes. Quidam Pontifices in Matrimonio rato, in votis &c. non obstante quorumdam Scholasticorum contradictione dispensarunt; quia hanc dispensandi potestatem sibi competere longe probabilius ipsis erat. Fideles, quod probabilius suum esse putant, retinent. Ad Sacrum Tribunal accedentes primæ vel secundæ contritioni, probabilius validæ, aliam, et aliam novam non substituunt &c. Nonne D. Bonaventuræ, et Guillelmi Parisiensis sententia, hominem statim ac peccavit, ad Confessionem obligans, tutior erat? Et tamen D. Thomæ opinio multo probabilior velut simpliciter tuta in praxi servatur. Idem de aliis tene.

Ne tamen peroraſſe pro iis videar, qui non tam argumentorum merito, quam pravorum affectuum suffragio opinionem quamdam libertati faventem ceu probabiliorem proclamant, illam solum, quæ vere, & sincere, quæque, post examen rei gravitati proportionatum probabilior inventa, tutiori minus probabili præhaberi posse dixi. Imo, si non de sola actionis honestate, sed de necessariis necessitate medii ad Salutem, de Sacramenti valore; de vitando proximi damno agatur, tutiorem minus probabilem cuivis probabiliori præferendam esse contendo (*a*). Major etenim pro-

(*a*) In materia Sacramentorum, extra casum necessitatis semper tutiorem, posthabita quavis probabilitate, assumendam esse, Innocentius XI. declaravit 1679. hanc n. 1. damnans propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutio-*

probabilitas, & invincibilis exinde nata legis igno rantia nec mediorum aut Sacramenti defectum ſuppleat, nec damnum impedit, licet cæteroquin a ſimplici legis transgreſſione operantem excuſet caſu, quo lex, probabilius negata, re ipſa forſan exiſteret. Sed de probabilitate ſatis (*a*).

---

tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabilis tantum utendum non eſt in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

(*a*) Plura qui de Probabilismi *Origine, Incremento* &c. ſcire deſiderat, legat P. Concinam Tom. 2 Apparat. ad Theol. Chriſt. P. Vincentium Patuzzi *de Reg. prox. act. hum.* P. Vinc. Contenſon Tom. 3 Theol. mentis & cordis, diſſert. 3. *de novello probabilitatis commento*, P. Billuart Tract. *de act. hum.* diſſert. 6. P. Antoine Tract. *de Conſcient.* Cap. 4. P. Gazzaniga Tom. 2. Cap. 3. *de Conſcient. prob.* Qui confutato probabilismo ad Probabilioriſtas ſe convertens amice rogat, ne ſaniorem, ac probabiliorem doctrinam, quam verbis profitentur, factis negent, neve onera, quæ diſputando, conſulendo &c. aliis imponunt, Phariſæorum more vel digito movere detrectent, in præjudicium doctrinæ, ac damnum animarum irreparabile.

SECTIO

SECTIO II.

DE FONTIBUS MORALIS SANÆ.

CAPUT I.

Ostenditur ab Evangelio Christianæ Moralis Regulas esse petendas.

De recentioribus Casuistis plerisque conqueri mihi jure licet verbis iisdem, quibus olim Deus per Prophetam suum de Judæis querebatur: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (*Jerem.* 1.). Vivum veritatis fontem, sacras videlicet Litteras, Traditionem, Concilia, sanctosque Patres dereliquerunt, ut novos sequerentur Auctores, qui cisternis dissipatis, quæ continere non valent aquas, vel unde corrupta tantum hauritur, comparari merito possunt. Hinc pro salutari potu venenatum Lectoribus suis propinant, qui pro refectione mortem illis affert, aut veræ pietatis ignem in ipsis extinguit. At illud magis deplorandum, adeo illos errorem suum non agnoscere, dum veteres tutosque duces deserunt, ut potius errorem suum prædicent jactentque. Hinc omnes prodiere errores, quibus Ethicam Christianam corrumpere diabolus nititur. Auctor quilibet dum certas regulas deserit, nec sibi necessario sequen-

das arbitratur, chimæras quascumque nugasqu excogitat, quibus aliorum inventa ſuperet.

Non hanc Apoſtoli veteresque Patres inier viam: norunt Chriſtum in Evangelio teſtan a ſemetipſo non loqui quidquam: *A meipſo no loquor* (*Joann.* 14.) ſed id loqui, quod a Pat didicit, ſuamque non eſſe illius doctrinam, ſe ejus qui eum miſit. Prophetarum ſententia ille affert, non modo ut ſe Meſſiam probet, v rum etiam ut morum doctrinam explicet: quem admodum de divortio, circa quod quæſtionem illi proponebant Scribæ & Phariſæi, Geneſeo verba allegat. Sanctus Paulus, reliquique Cano nici Scriptores ſacris litteris paſſim utuntur: d qui Apoſtolos ſunt ſecuti, eorum Epiſtolas reſe runt; nullusque apoſtolicus Concionator fidele vehementius ad pietatem ſe inflammaturum pu tabat, quam ſi Apoſtolorum verba proferret eorumque doctrinam ſectaretur. Sancti Cypriani Doctrina moralis, ſancti Gregorii Nazianzeni, ce terorumque Græcorum Latinorumque Patrum non eſt eorum inventum; Evangelio, Traditione ſacrisque Canonibus illa nititur. Omnes iden ſentiunt de cupiditate, de mundi amore, d ambitione, de avaritia, de uſura, de luxuria a ſemetipſis numquam diſcrepant, neque actio nem eamdem modo licitam, modo vetitam docent.

Certum eſt nobis Dei Filium non modo cre dendi certam & indubiam regulam tradidiſſe, verum etiam recte operandi. Non enim ſolo Chriſtiano fides ſufficit; ſed oportet ut fides

hæc per dilectionem operetur, quemadmodum inquit ſanctus Paulus: *Fides quæ per caritatem operatur* (*Gal.* 7.). Sicut noſtræ fidei Scriptura ſancta norma eſt, ita & morum. Id ſanctus Paulus ſcribens ad Timotheum, in cujus perſona Epiſcopos omnes, Doctores, animarumque Rectores monebat, paucis verbis docet: *Omnis Scriptura* (inquit 2. *Timoth.* 3.) *divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia:* ſive juxta Græcum textum: *Utilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correptionem, & ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia.* Omnia verba hæc oportet perpendere. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata eſt canonicis Scriptoribus;* id eſt a Spiritu ſancto, qui nihil a ſemetipſo loquitur, ſed quod a Filio accepit: *Ille de meo accipiet* (*Joan.* 16.). Si Scripturæ ſanctæ Spiritus ſanctus eſt Auctor, divina illa eſt regula. Quomodo igitur recentiores Caſuiſtæ illam negligere & deſerere poſſunt, ut Caſuiſtas alios, ſicuti ſolent, tantummodo conſulant? Non enim frequenter vetus vel novum Teſtamentum in eorum libris citatur. At ſacrarum Litterarum auctoritate eorum ſententiæ niti deberent, ut eas Lectoribus ſuis perſuaderent; verum pro Evangelio vel ſancto Paulo novos Caſuiſtas allegant, & auctoritatum numerum potius quam pondus exquirunt (*a*).

Præ-

(*a*) *Quid iniquius, quam impia ſapere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui, cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad prophe-*

Præterea notandum, hoc loco ſanctum Paulum veteris Teſtamenti libros præcipue commendaſſe; nam præterquam quod non cuncta adhuc Evangelia prodierant, libros illos Apoſtolus commemorat, in quibus ab infantia ejus diſcipulus fuerat eruditus, quod ad veteris Legis libros tantum pertinet. Verum quamvis Teſtamenti veteris libri noſtrorum morum ſint regula; tamen peculiari quodam modo novi Teſtamenti libris id convenit. Ultra Scribarum & Phariſæorum juſtitiam abundet juſtitia noſtra neceſſe eſt, ut inquit Chriſtus: *Nihil ad perfectum adduxit lex (Hebr. 7.); perfecta autem lex eſt* Evangelium. Debent igitur chriſtiani Doctores novum Teſtamentum diſcere, hincque regulas regendarum animarum ſumere, ſi fideles & videntes duces eſſe cupiunt, non cæci & cæcorum duces; etenim ſi vetus tantum Teſtamentum legerent, non autem novum, bonos fortaſſe Hebræos, non veros Chriſtianos efformarent. Quid igitur ſperandum ſupereſt, ſi a Philoſophis tantummodo Moralia Principia ſumunt, aut ab Auctoribus, qui ſolum hos ſequuntur humanæ ſapientiæ doctores tam ſæpe a Chriſto damnatos? Honeſtos tandem Ethnicos dumtaxat efficient. Verum etſi juxta Stoicorum regulas illos effingerent,

---

ticas voces, non ad apoſtolicas litteras, nec ad evangelicas Auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt; & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia Veritatis diſcipuli non fuere. S. Leo *Epiſt.* 24. alias 10. *ad Flavian. Epiſc.* Quis novos quosdam Caſuiſtas a Magno Leone prophetice correptos non putet?

gerent, melior in eorum actibus adeſſet ordo, magis a voluptatibus temperarent, magis mundi pompas & divitias aſpernarentur. Etenim neque Zeno, neque Philoſophus quilibet alius, neque Epicurus ipſe, ſi bene explicetur, hominum cupiditatibus fræna laxarunt, ut poſtremi ſæculi Caſuiſtæ peregerunt. Senecæ libri longe magis ad virtutem excitant, & chriſtiane magis (ut ita dicam) loquuntur, quam recentiores iſti Caſuiſtæ.

Novum Teſtamentum non utile modo eſt ad ea docendum, quæ ad fidem moresque pertinent, ad corripiendum, ad arguendum; ſed omnio eſt neceſſarium, unusque hic liber eſt, qui hæc omnia auctoritate ſumma docere poteſt. *Multifariam* (inquit Apoſtolus *Hebr.* 1.) *multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio:* cujus verba adhuc permanent, nobisque ab Evangelii Scriptoribus ſunt tradita, & hæc credendi ac recte vivendi lex eſt, quam Eccleſia accepit, fidelibusque proponit. Propterea ubi antiqua habebantur Concilia, thronus erigebatur, ſupra quem ſtatuebatur Evangelium, ut hoc pacto palam teſtarentur Patres, ſe juxta illud fidei, morumque quæſtiones velle decidere. Ad harum hodie deciſionem, ſi recentiores plerosque Caſuiſtas audiamus, ſufficeret alicujus ex ipſis librum habere præ manibus, & juxta eumdem cunctas diſputationes fieri. Non ita ſane ſanctus Auguſtinus exiſtimat, dum ſic ſcribit *Tract.* 3. *in Joan.*: *Nos itaque ſic audiamus Evangelium, quaſi præſentem Dominum.*

Non ideo ſolum ſcriptum eſt Evangelium, ut quid nobis *credendum* ſit intelligamus, verum etiam ut quid nobis ſit *agendum* diſcamus; imo vero bonos mores apertius, quam veram fidem docere videtur. *Cœpit Jeſus facere, & docere* (*Act.* 1.). Et ſe nobis exemplum dediſſe teſtatur, ut ejus ſequamur veſtia: *Ut quemadmodum ego feci, ita & vos facietatis* (*Joan.* 17.). Inſtitutionem noſtram & exempla ab Evangelio, non a Caſuiſtarum libris petere debemus: ibi quid ſingulis conveniat, ut ſuis quisque recte fungatur officiis, cunctasque acquirat virtutes eſt intuendum. *Evangelium*, ait ſanctus Ambroſius, *non ſolum fidei doctrina, ſed etiam morum eſt magiſterium.* Eſt illud veluti ſpeculum, inquit ſanctus Gregorius magnus; *ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus quantum proficimus, ibi, a profectu quantum longe diſtamus.* Sanctus Bernardus ita pariter de Evangelio loquitur: *Speculum veritatis nemini blanditur, neminem ſeducit; talis in eo ſe quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet, ubi non eſt timor, nec male lætetur cum male fecerit.*

Peccatores oportet arguere, eisque ſuam in Deum ingratitudinem, infidelitatemque exprobrare. Quo aptius modo, quam Evangelii verbis hæc omnia præſtabimus? Vim quamdam, robur, & energiam Evangelica habent verba, qualem nulla ſanctorum quorumlibet hominum verba poſſunt habere. Quamdiu homo cum homine loquitur, poteſt hic alteri reſiſtere, & argumenta argumentis opponere; at Jeſu Chriſti voci,

voci, qui per Evangelium loquitur, nullus hominum potest resistere.

Neque præcepta solum virtutis ac sapientiæ Evangelium docet, verum etiam ad altiorem sapientiam, perfectioremque virtutem assequendam consilia nobis suppeditat. Quis liber alius hanc assequendæ perfectionis viam docet, videlicet sua vendere, pauperibusque elargiri, Christum sequi, ejusque crucem ferre? *Sunt verba*, (inquit sanctus Bernardus *Serm. in hæc verba Ecce nos &c.*) *Ecce nos reliquimus omnia, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis.* Denique *Evangelium est mare* (ait sanctus Ambrosius) *in quo divinæ gratiæ plenitudo est; Evangelium est mare, de quo Martyr ascendit; Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, & Ægyptius submersus est.* Recentiorum Casuistarum volumina tam ingentia mare quidem vocari possunt; sed *ibi reptilia, quorum non est numerus* (*Psalm.* 103.).

CAPUT II.

In Conciliis Moralis Christianæ sunt quærendæ Regulæ.

Post sacrarum Litterarum auctoritatem Ecclesia semper veluti suam regulam Traditionem est secuta, quæ in Conciliis & sanctis Patribus reperitur. Generalia Ethicæ Christianæ principia, quæ immutabilia semper sunt, sacræ Litteræ tradunt; sed cum augeretur fidelium nu-

merus, & disciplinæ sanctitas, morumque innocentia per varios casus in deterius labereturoportuit ut exorientibus malis Concilia mederetur, & ad tollenda, impediendaque crimina legestatuerent.

Apostolorum tempore Concilium Jerosolymis est habitum, quo tria disciplinæ morumquecapita ordinata sunt: declaratum est circumcisionem non ultra esse necessariam, suffocatorumque & sanguinis usus fuit vetitus, similiter & fornicatio, quam esse licitam Ethnici putabant. Porro de singulis hisce capitibus id statuisse Apostoli asserunt, quod Spiritui sancto & sibi visum est: *Visum est Spiritui sancto & nobis* (*Act.* 15.). Plures Canones eorum successores edidere, qui Apostolici dicti sunt. Antiquissima hæc est Canonum collectio, quamvis ad sanctum Clementem referendam illam non putem. Tertio aut quarto sæculo editam fuisse vero est similius. Hujus in Ecclesia tanta fuit auctoritas, ut ad suos stabiliendos errores horum Canonum aliquos hæretici corruperint, ut sanctus Epiphanius queritur; in iis nihilominus canonicum omnem ordinem contineri asserit.

Eorum statim in Oriente usus viguit, ut ex Theodoreto discimus, qui Alexandri Alexandrini Episcopi narrat querimonias adversus Episcopos illos, qui Clericos, quos a sua ipse communione rejecerat, suscipiebant, contra duodecimum Apostolicum Canonem. Ad Cæsarienſem Eusebium, qui Antiochenam Sedem recusaverat, Constantinus scribens illum laudat, quia Sedem noluit

noluit mutare, & Apostolicum Canonem decimumquartum, qui translationes hujusmodi vetat, adamussim servare maluit. Hasce ordinationes, veluti *præter Canonem* factas damnans Nicænum Concilium, ad hos fortasse Canones respexit; sicuti Canone quinto & decimo Apostolicos Canones duodecimum, trigesimum sextum, & sexagesimum secundum innuit. In Ephesino Concilio narratur, Antiochenum Episcopum Cypri Episcoporum ordinationes usurpare voluisse, contra Ecclesiasticas leges, & Apostolicos Canones, nempe trigesimumquartum & trigesimumquintum. A suo Episcopatu Imperator Theodosius Irenæum quemdam expulit, qui bigamus existens *præter Apostolicos Canones* ordinatus fuerat. Iisdem utitur sanctus Athanasius (*Epist. ad Orient.*) asseritque Georgium Cappadocem, qui Sedem suam usurparat, Canones ecclesiasticos violasse, tertium scilicet Apostolicum, quo depositionis pœna in eum pronunciatur, qui sæcularis potestatis auxilio ad Episcopalem cathedram conscendendam usus fuerit. Sanctus Basilius Diaconum, qui fuerat depositus, a communione non amovit; nam, inquit, antiqua regula, Apostolorum nempe canone vigesimoquinto, præcipitur, ne depositus alia pœna mulctetur.

Adversus horum Canonum auctoritatem objici potest, Gelasium Pontificem Decretali sua illos damnasse. Verum non ideo illos Gelasius damnavit, quia singuli errores docerent, sed quia Clementis Papæ nomen falso præferebant; præcipue vero propter postremos triginta sex, qui

nonnulla Romanis ingrata continebant, veluti j
junii ſabbathini prohibitionem. Propterea Di
nyſius Exiguus horum tantum quinquaginta Co
lectioni ſuæ inſeruit; neque hunc hodie num
rum excedunt. Libenter illos Eccleſia ſuſcepit
& eorundem auctoritate Joannes Papa II. Co
tumelioſum Rejenſem Epiſcopum damnavit
eosdem Cæſario miſit, qui Synodo præerat, i
qua Epiſcopus iſte fuit depoſitus; hisque Cæſa
rius Canones addidit Gallicarum Synodorum
Valentinæ, Aurelianenſis, Arauſicanæ, Epa
nenſis. Antiqua Galliæ Eccleſia vetere utebatu
Collectione, quæ a Chalcedonenſi Concilio pro
bata fuerat, ut ab Agathenſi Concilio diſcimus
cujus primus Canon ita loquitur: *In primis i
placuit, ut Canones & Statuta Patrum per or
dinem legerentur.* Aurelianenſe primum Co
cilium vetera Statuta canonum ſervari jube
Idem in Hiſpania fiebat, ut ex Braccarenſi i
Luſitania Concilio novimus. Martinus urbi
ejusdem Epiſcopus novam Collectionem edidit
ut corrupta quædam latinæ verſionis loca corri
geret, eamque in partes duas diviſit. In prim
illa exhibet, quæ ad Epiſcopos & Clericos per
tinent; in altera quæ ad Laicos: probata hæc
fuit in Synodo Galitiæ habita anno Domini 57
Galliarum quoque Conciliis Eccleſia Hiſpan
utebatur; Synodus enim Tarraconenſis anni 51
ait, Gallicorum Canonum Statuta in primis eſſe
ſervanda.

Cum in Gallia Eccleſiaſtica diſciplina eſſe
corrupta, Pipinus Palatii Magiſter ut eam corri
geret, Zachariæ Pontifici dubia nonnulla pro
poſuit.

posuit. Ad proposita dubia Zacharias septem & viginti capitibus respondit, quæ ex Abbatis Dionysii collectione deprompsit; & in quibus Apostolorum Canones, Ancyranos, Neocæsarienses, Antiochenos, Chalcedonenses, Africanos allegat, & Pontificum Siricii, Innocentii, Leonis, & Gelasii decreta. Collectionem hanc Carolo magno misit Adrianus I. illumque admonuit, ne umquam ab hac lege discederet, sed Statuta illa omnia servaret: quod quidem sua edens Capitularia peregit Carolus.

Adriani Papæ Capitula ad Carolum magnum missa inquiunt. *Ut laici contemptores Canonum excommunicentur; clerici vero honore priventur.* Canone vero 90. ita decernunt: *Item generali Decreto constituimus, ut execrandum anathema, & velut prævaricator catholicæ fidei apud Deum reus existat, cuicumque Regum vel Potentum deinceps canonicam censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.*

Denique postremum generale Concilium, Tridentinum scilicet, antiquos omnes Canones renovat, qui ad Clericorum vitam pertinent, & honestatem, illosque sequendos decernit. Hinc ergo morum regula est sumenda, non a recentibus Casuistis, qui tantam in distributione redituum, in beneficiorum numero, eorumque officiis docent licentiam.

CAPUT III.

Idem continuatur Argumentum.

Hoc sane pacto per sacros Canones Ecclesia regebatur, quorum executionem Episcopi zelabant,

labant, nec pro animarum regimine Casuis alios consulebant.

Caroli Calvi tempore Clerici plerique a pr priis Episcopis damnati, quia contra Canones f minas secum habuissent, Metropolitanis suis i sciis Romam petierunt, & citationes a Pontif obtinuerunt adversus Episcopos suos, aut eoru Vicarios. Galliæ Episcopi novitati huic obsti runt, eorumque nomine Carolus Joanni VII longam dedit epistolam eorumdem querelis r fertam. In hac post expositam veterem disciplinam Canonibus firmatam, hæc verba subjici *Hæc igitur servemus nostris temporibus tan gratius, quanto & Ecclesiæ & imperio erit capa cius; & servando quæ legaliter ac regulariter ge sta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter ac regu lariter gesserimus.*

Adeo olim Pontifices Canonum observantiam zelabant, ut in Sancti Joannis Chrysostomi con tra canones damnati negotio Innocentius I. me moranda hæc verba protulerit: *Nam longe præ stiterit vel ea condemnare, Fratres, carissimi, quæ recte facta sunt, quam ea robur velle sortiri, quæ adversus Canones gesta sunt.*

Zosimus Papa in sua ad Arelatensem & Vien nensem Episcopos epistola ita loquitur: *Apud nos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui sta tuta Patrum sanxere reverentiam.* Et in epistola ad Africæ, Galliæ, Hispaniæque Episcopos in quit: *Cum adversus Patrum statuta venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, quæ in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo Fi-*

dei

dei & catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Instituta velut quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus?

Magnus Pontifex Leo de Nicæni Concilii decretis loquens, quæ ad Patriarcharum distinctionem & ordinem pertinent, ait: *Nulla possunt probabilitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum me, quod absit, connivente, violentur.* Eadem repetit in epistola ad Chalcedonenſis Concilii Patres; seque exactum semper ac fidelem catholicæ Fidei, & paternarum Traditionum custodem futurum promittit.

Hilarius ejus successor cum Auxanio Cemeli Episcopo nonnulla concessisset quæ Ingenuo Ebrodunensi Metropolitano oberant, apud eumdem Hilarium hic conquestus est, qui tribus Galliæ Episcopis negotii hujusce cognitionem mandavit. En Pontificiæ epistolæ verba: *Ita vestræ caritati cognitionem adnexæ querimoniæ deligimus, ut nihil adversum venerandos Canones valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi, quia per hoc non minus in sanctarum Traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur.*

Gela-

Gelasius Papa Romanam Sedem Canonum præcipue custodem esse testatur: *Cum nobis* inquit, *contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere.* Idem quoque in epistola ad Dardaniæ Episcopos affirmat; *Confidimus quod nullus veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ unamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Symmachus Pontifex ad Aeonium Arelatensem Episcopum scribens idem asserit: *Dum ad Trinitatis instar, cui una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta convenit violari? Huc accedit, quod si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam credimus Religionem pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sunt.* Ait summos Pontifices, si Canones violari permitterent, a Deo acceptam pro Ecclesiæ regimine auctoritatem pessumdaturos. Non adeo tamen stricte hoc est intelligendum, ut numquam iis liceat ab jam editis Canonibus recedere; temporum enim & personarum mutatio exigit, ut mitius aliquando interpretentur, aut ab eisdem dispensatio fiat. Neque in dubium est revocandum, summum Pontificem, cui Canonum executio præcipue commissa est, posse quandoque ab iis dispensare; verum oportet ut id pro Ecclesiæ bono fiat, pro animarum salu-

salute, & ex convenienti ratione, cum non in destructionem, sed in Sponsæ suæ ædificationem auctoritas sit illi a Christo tradita. Id sibi esse faciendum Leo IV. ita significat: *Ideo permittente Domino Pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agemus instituta, si quod ipsi divino instituerunt consilio, intactum non conservamus.* (*Can. quod vero.* 23. *d.* 2.) Apud Yvonem Carnotensem (*Part.* 4. *& Ep.* 6.) & apud Gratianum fragmenta habemus professionis fidei, quam in consecratione sua Pontifices olim præstabant, in qua Prædecessorum suorum Statuta, & antiquos Canones promittebant servaturos.

Casuistæ, quos insectamur, sacrorum Canonum jugum excutiendi miram invenere rationem, dum ajunt abolitos jam illos esse, & in desuetudinem abiisse, Ecclesiamque nunc novam sequi disciplinam; hocque jactant axioma, *Per desuetudinem Leges abrogari.* Hinc ecclesiasticæ corruptioni lata aperitur via, & morum licentiæ. Quamobrem diligenter mihi hæc quæstio est examinanda.

Observandum est primo inter ecclesiasticas Leges, pure cæremoniales nonnullas esse, & alias mere positivas, quæ Fidelium mores moderantur. Hæ pariter bifariam partiuntur; aut enim novam obligationem inducunt, aut id solum præcipiunt, quod naturalis juris est & divini. Cæremoniales leges profecto mutari possunt, & mutatæ

tatæ ſunt; deſuetudo abolore illas poteſt, & juxta ſanctum Auguſtinum (*Epi. ad Jan.*) ſervari illas decet, quæ in ſingulis vigent Eccleſiis. At Leges, quas priſca Concilia ſanxerunt, quæ illa præcipiunt, quæ divini aut naturalis ſunt juris, aut Evangelii principiis ſunt convenientia, deſuetudine, vel contrariis moribus aboleri nullo modo poſſunt; tunc ſiquidem mos pravus, antiqua corruptio juxta Sanctos Patres cenſendus eſt. Porro hujusmodi Leges, talesque Canones antiqua ſanxere Concilia, quæ Fidelium mores correxerunt. Hos ſanctus Leo (*Epi.* 89.) ejusque ſucceſſores Pontifices appellant *Canones ſpiritu Dei conditos, & totius Orbis reverentia conſecratos.* Noviſſimum Tridentinum Concilium perſpicue ait, ſe veterum Conciliorum canones de vita & honeſtate clericorum renovare, & variis in Seſſionibus iisdem ſe inhærere dicit. Non ſane hi Epiſcopi putabant Canones deſuetudine aboleri: hanc deſuetudinem Eccleſiæ malam exiſtimabant; cui malo haud aptius remedium allaturos ſe putabant, quam ſtatutas tam ſancte regulas ad robur priſtinum revocare. Optat jugiter Eccleſia veterem denuo ſtatuere diſciplinam, quæ fideles a peccatis coercebat, & rigido pœnarum fræno a gravioribus retrahebat delictis.

Malam conſuetudinem in medium afferre non oportet, cum hæc legi divinæ adverſantem actionem excuſare non poſſit. Præſtat imo interdum conſuetudinem licet paſſim ab Eccleſia ſervatam relinquere, ut veterem morem iterum amplectamur. Exempli gratia: Quadrageſimæ die-

diebus olim fideles semel tantum cibum sumebant, idque fiebat vespere. Tempore Sancti Thomæ tribus post meridiem horis cibus sumebatur. Bellarminus aperte ait, posse quemlibet, si velit, laudabiliter antiquum, servare jejunium.

Consuetudinem fugiamus, ait Clemens Alexandrinus, (*Orat. adverſ. gentes*) veluti difficilem scopulum, aut periculosam charibdim, aut fallacem sirenem: hæc hominem suffocat, a veritate illum avertit, a via abducit: hæc laqueus, hæc abyssus est. Malus est ventus consuetudo, inquit Sanctus Cyprianus: veritati & rationi hæc debet cedere, quibus est postponenda: peccatum consuetudo auget, & sine veritate antiquus est error.

Suessionense tertium Concilium ait: *Mala consuetudo, quæ non minus quam pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegium juris ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari.*

CAPUT IV.

Ejusdem Argumenti Continuatio.

Si in temporali regno, quod mutationi subjacet, adversus fundamentales leges malæ nequeunt præscribere consuetudines, quamvis legum violatio passim dominari videatur; quomodo in Ecclesia, in qua nullæ sunt vicissitudines, Christianorum cupiditas, malitia, & impœnitentia pro eorum correctione edita Statuta poterunt abolere? Hæc contemni jugiter Ecclesia dolet, & de

filiis Belial, qui ferre jugum recuſant, conqueritur. Verum illos ſæpenumero Chriſtus eidem dedit Epiſcopos, qui vetererem denuo diſciplinam pro ſæculi ſui conditione ſtabilire curarunt. Pulchra hæc Joannis VIII. Pontificis verba ſecum reputarunt: *Enimvero Sacerdotes non ad gratiam, ſed ad pompam immerito dici cognoſcimur, ſi quos docere nobis convenit, ſequi contendimus.*

Talis elapſo ſæculo erat magnus Sanctus Carolus Borromæus. Epiſcopali ſpiritu a Deo repletus miram in eccleſiaſticis negotiis habebat dexteritatem, zelumque pro domo Dei vehementem. Novum in eo exemplar apparuit, Pontificis nepos, ſummo loco natus, divitiis affluens, dignitate conſpicuus, qui neque divitias neque dignitates amavit, ſed Eccleſiam unice diligebat. Pium IV. avunculum ſuum hortatus fuerat, ut Tridentinum Concilium proſequereretur, & ad optatum finem adduceret. In eo non omnia, ut oportebat: exacte ſunt definita; ſed tempori ſerviendum fuit. Finito vix Concilio, ejus exacte Canones ſibi ſervandos Sanctus Carolus propoſuit, veteremque diſciplinam in ſuam Provinciam pro virili reducendam. Conciliis ſuis provincialibus, Synodis, crebrisque Viſitationibus id præſtitit, Hinc Mediolanenſi Eccleſiæ & Provinciæ nova extemplo facies: abolitorum Canonum uſus eſt innovatus, & antiquorum temporum pietas refloruit. Presbyteri, Clerici, Religioſi, & Laici, quos corrigere ſatagebat, ea proferebant, quæ recentiores plerique Caſuiſtæ proferunt, antiquos Canones eſſe abolitos, nec poſſe modo homi-

homines illorum ferre severitatem. Id ipse declarat in Allocutione, quam in secundo suo provinciali Concilio habuit: *Nec vero populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur: Non ferunt hæc tempora veterum Canonum severitatem: Sic jam diu vixímus: Sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quod mutemus: At nos hæc atque adeo alia ejusmodi contemnamus.* Atque hæc revera strenue adeo contempsit, ut Statuta quæcumque stabilierit, quæ ad tollendas corruptelas, in populi sui mores paullatim illapsas, opportuna judicavit. Plures edidit instructiones, ut ea corrigeret, quæ ad Dei cultum pertinent; sed locum illæ primum obtinent, quas suæ diœcesis Sacerdotibus proposuit, ut Pœnitentiæ sacramentum rite administrarent. Hisce antiquorum Canonum pœnitentialium collectionem addidit, ut ex istis satisfactionum, quæ pœnitentibus imponerentur, norma peteretur, non ut exacte omnino hi servarentur, sed ut nimia, quæ invaluerat, facilitas compesceretur, & justum, sanctumque veterem inter severitatem, & novam indulgentiam moderamen servaretur.

Magni hujusce Archiepiscopi exemplo Episcopi alii excitati provincialia plura habuere Concilia in Italia, in Gallia, & in Hispania; juxtaque veteres Canones, & ecclesiasticam disciplinam restituere conati sunt, quoad illorum temporum infelicitas pati poterat. Gallicani Cleri synodus anni 1655. Sancti Caroli Instructiones & Canones imprimi voluit, & per Diœceses distribui:

Parochis ſuis & Confeſſariis horum obſervan tiam Epiſcopi plerique præcepere.

Haud illico hæc Canonum deſuetudo invaluit: Chriſtianorum frigeſcente paullatim caritate, & increſcentibus vitiis, ſanctæ hæ regulæ, ad fidelium regendos mores inſtitutæ, paullatim ſunt abolitæ. Verum quolibet Eccleſia tempore hasce regulas ſartas tectas ſervare ſtuduit; & viri pietate ac doctrina illuſtres abuſum, de quo conquerimur, condemnarunt. Quomodo igitur affirmari poteſt, Eccleſiam pro Caſuiſtarum doctrina, de qua loquimur, eam tolerantiam, indulgentiamque habuiſſe, quæ formalis conſenſus cenſeri poſſet? Obſervare inſuper oportet, hanc deſuetudinem vel ſecretam fuiſſe vel publicam. *Secreta* exempli gratia in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento potuit reperiri, in quo inter confeſſarium & pœnitentem dumtaxat cuncta peraguntur. Quomodo ſcire poteſt Eccleſia, utrum Confeſſarius canones ſequatur, an negligat? Præcipere quidem poſſunt Epiſcopi ſuæ diœceſeos confeſſariis, ut pœnitentibus in quibusdam caſibus abſolutionem vel differant, vel negent, quemadmodum fecit Sanctus Carolus; verum hæc juſſa exequi pendet a confeſſariorum fidelitate. Circa *publicam* deſuetudinem advertendum eſt, an adeo ſit publica, ut communis ſit toti Eccleſiæ; etenim ſi veteres Canones palam a plerisque ſerventur, nequit aliorum numerus eosdem abolere, dum in aliquibus priſca viget diſciplina. Jam vero plures ſemper in Eccleſia vixere, qui ejusdem Canones ſervarunt.

Pari

Parisiense sextum Concilium anno Domini 829. habitum ita circa hanc quæstionem diserte loquitur: *Quorumdam perversissimæ consuetudines, propriæque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculosum est, efficiunt ut opera fidei magna ex parte negligantur; qui dum legis divinæ transgressores existunt, easdem consuetudines sibi legem faciunt, & secundum eas se vivere absque sui discrimine, & posse & debere contendunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quod quantum Auctoritati divinæ contrarium sit, aut non advertunt, aut saltem animadvertere detrectant: quantum etiam ob hoc Religio christiana in eis periclitetur, facile qui sapit advertit. Quapropter uniusquisque fidelis, si salvus esse vult, oportet ut remotis perversis consuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Christi, quam percipit, bonis operibus exornare non negligat.*

Si Concilium modo haberetur, aliterne de pravis, quæ irrepserunt, contra Canones consuetudinibus esset loquendum? Ecclesia, ait Sanctus Augustinus, inter paleas & zizania constituta multa tolerat; sed ea neque probat, neque operatur, quæ fidei vel bonis moribus adversantur.

CAPUT V.

A Sanctis Patribus Moralis Christianæ sunt discendæ Regulæ.

In suis regendis filiis sanctos etiam Patres, quorum Scriptis illustratur ac locupletatur, Ecclesia duces sequitur. Eorum in fidei controversiis

auctoritatem omnes fatentur: recentes dumtaxat hæretici hanc negant. Quare autem quemadmodum doctrina, ita & disciplina a sanctis Patribus non hauriatur? Quare in tam necessario regendorum morum officio Traditio deficiat? Si in fidei tradendis dogmatibus non errarunt sancti Patres; numquid in iis tradendis regulis errarunt, juxta quas Fidelium mores instituerentur? Profecto ingenii sui inventa haud tradiderunt; sed recentiores veterum sententias sunt secuti, & veteres ab Apostolis, vel eorum successoribus, quæ alios docebant, didicere. In tertio, quarto & quinto sæculo eadem patrabantur peccata, in quæ modo Christiani prolabuntur: usurarii tunc vivebant, simoniaci, homicidæ, fures, & impudici; numquid ut eorum impœnitentiam fovérent, recentiorum Casuistarum more Canones mutarunt, aut mitius interpretati sunt Episcopi? An intentionis directionem, aliasque nugas excogitarunt, ut jam non esset peccatum, quod olim peccatum erat, quemadmodum Dianam laudabiliter feciſſe narrat Caramuel? Qui primis Ecclesiæ sæculis ad Cœlum via erat, novissimis istis an Cœli via non est Christus? vel uno tunc modo, alio nunc via est? Affirmare tamen novi Doctores non erubescunt, morum doctrinam non esse a sanctis Patribus petendam, imo vero novos, ubi de moribus, consulendos Auctores. In veterum lectione tempus se terere noluisse gloriatur Caramuel, & sane ab hac illum lectione abstinuisse scripta ejus declarant. In tam absurdos, ridiculos, a communi sensu remotos, atque a philosophiæ & religionis principiis, alienos errores profecto

non

non incidisset, si attente Veterum lectioni incubuisset. Quam ille nobis exhibet, haud casta est & immaculata Christi sponsa Ecclesia; sed inverecunda Babylon, purpura induta, vultum fuco minioque delinita, veneno plenum calicem propinans, quo orbem inficit universum. Nonne hujusmodi Casuista Scripturæ minas jure timebit, quas in ejusdem farinæ homines prolatas asserit sanctus Hieronymus: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ?* Venerabilis est ista senectus, & rugæ sanctæ, ac decoræ. Augustini librum de catholicæ Ecclesiæ moribus, aut sancti Gregorii de Cura pastorali cum recentiorum Casuistarum libris compara, qui de moribus agunt: si veritati habendus est honor, vel nisi oculos nobis eruimus, aut cæcitate Deus nos punit, dices profecto adeo inter se libros hosce distare, quam ab honesta & pudica virgine mulier effrons & inverecunda; in veterum enim libris Dei spiritus cœlestisque sapientia cernitur, in Casuistarum vero libris mundi spiritus & humana ratio. Quod de sanctorum Augustini & Gregorii libris dico, idem de reliquis sanctis Patribus asserere licet, quorum scriptis solidus cibus continetur, non illusiones vel nugæ ab ingeniis natæ, quæ Evangelii spiritu, quo Veteres abundant, omnino carent.

Haud frustra, inquit sanctus Gregorius magnus, debebat Pontifex duodecim Patriarcharum nomina in suo Rationali semper gestare; nam Patrum nomina in pectore semper gestare, est

eorum actus jugiter meditari; & tunc Doctor sine reprehensione operatur, cum veterum Patrum exempla jugiter respicit, & Sanctorum vestigia semper considerat.

Generalia Concilia, quæ jam attulimus, aliaque plura quæ afferri possent, *Sanctorum regulas* sectari se affirmant.

In Moguntino Concilio anno 813. habito tres aderant personarum ordines, quorum primi erant Episcopi *legentes & tractantes sanctum Evangelium, necnon Epistolas & Actus Apostolorum, Canones quoque ac diversa sanctorum Patrum opuscula.*

Synodus Lemovicensis hæc aurea verba profert: *Observandum nobis magnopere est ante omnia & super omnia, uti mandatum Dei, & non nostras traditiones populo observandas tradamus, & nihil nisi Scripturarum divinarum auctoritate fultum statuamus agendum, nihilque de cordibus nostris, nihil extra præceptum Domini & sanctorum Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumanus.*

Leo I. Papa e sacris Litteris sanctisque Patribus responsa sumebat, quæ propositis difficultatibus daret. *Frequentur quidem*, ait, *in diversarum quæstionum ambiguo fratrum corda titubantia spiritu Dei instruente solidabimus, responsionum formas vel ex sanctarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.*

Adrianus II. in suo, quod in VIII. Concilio lectum est, scripto inquit: *Prima salus est rectæ fidei*

fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei, & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum.

Gregorius VII. ad Henricum Regem scribens ait: *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinam recurrimus, nihil novi, nihil ab inventione nostra statuentes.*

Nicolaus II. Pontifex in sua ad Hincmarum Rhemensem epistola inquit: *Ridiculum est & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel leges sanctas & traditiones, quas antiquitus a Patribus nostris suscepimus, pro libito semper errantium infringi patiamur.*

Tridentinum Concilium sessione quinta, ubi de disciplina non minus quam de doctrina agit, cum de doctrina dixerit: *Sacrarum Scripturarum, & sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia secuta* (Synodus) *hæc statuit ac declarat:* nonne de disciplina agens inquit: *Piis summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens. easque amplectens.* En! quomodo hæc sancta Synodus sacrarum Litterarum auctoritati sanctorum Patrum auctoritatem adjungit. Ecquis deinceps dubitare poterit, num ex salutaribus hisce fontibus Ethica Christiana sit petenda? Ecquis tam cæcus, ut ignobilium Casuistarum turbam illis anteponat (*a*)?

San-

(*a*) Anteponit tamen Caramuel, aliique Casuistarum modernorum gregales. Quibus sententiam dixit

Sanctus Carolus, qui in cogendo ac finiendo hoc Concilio adeo laboraverat, atque tam exacte Canones ejusdem servavit, in Oratione, quam in primo suo provinciali Concilio habuit, potentius nullum remedium agnovit ad mala cohibenda, quibus Ecclesia afflictabatur, quam veterum Canonum observantiam. Ecce ejus verba: *Morum autem disciplinam facile restituemus, si qua ratione quibusve factis primum constituta, deinque conservata est, eamdem nos in restituenda adhibemus, illorum vestigia prosequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis Deo Auctore peperterunt. Proponamus nobis, quæso, Patres, illorum vitæ sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam.* A novis hisce Casuistis peto, quomodo recte vivendi regendique animas potest iniri

---

Clerus Gallicanus 1700. istam P. Moya damnans propositionem n. 117. *Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in morali libentius juniores, quam antiquiores lego, & sequor - - - Doctrina fidei a veteribus; doctrina morum magis a junioribus petenda.* Censura Episcoporum talis erat: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, pernicioſa, erronea, SS. Patribus, & antiquis Doctoribus contumelioſa; spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis auctoritate, & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.* Nedum Dogmata sed & Mores ex Scriptura & SS. Patribus disci oportere præter nostrum Godeau Alexander Nat. Concina, Genetus Ep. Vasionens. Elizalde aliique illustres Moralistæ re ipsa ostenderunt.

iniri ratio, quam ſancti Patres inibant, niſi eorum legantur ſcripta, quibus populos docent, vel corrigunt, aut propoſita dubia expediunt, aut opportune varia ſingulis præbent conſilia. Sancti Auguſtini, vel ſancti Gregorii Magni epiſtolas legere ſufficit, ut pura morum diſciplina reperiatur, & vera conſcientiæ caſuum ſolutio, quos novorum Caſuiſtarum plerique ita explicant, ut vitæ periclitetur innocentia, quam pro virili tueri debent.

Galliæ Epiſcoporum Meloduni habita Comitia anno 1579. hisce verbis Prælatos omnes hortantur: *Hortamur ergo, & veſtram in Domino fraternam obſecramus caritatem, ut veſtri ſemper, gregisque vobis a Domino commiſſi memores, ex ſacris Bibliis, Eccleſiæ univerſalis Conſtitutionibus, ac Patrum teſtimoniis obſervationes ſuſcipiatis.* En Epiſcopi omnes ad ſanctos legendos Patres excitantur, ad mores ſuos juxta illorum monita componendos, & ad hinc petendam regiminis vitæque normam. Et novi Doctores ſine fama, ſine experientia, ſine auctoritate, absque ſcientia illos aſpernabuntur, ab illorum lectione alios avertent, aliamque conſcientiarum regendarum viam inibunt? Temeritas hæc eſt non ferenda; imo vero cæcitas eſt ſanguineis potius lacrymis deflenda, quam adverſus illam ejusque pericula, declamandum. *Nolo plura dicere* (inquit ſanctus Auguſtinus) *de re tanta; quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam ſermonibus meis.*

Deni-

Denique ut hunc de probabilitate Tractatum finiam, quem hisce temporibus maxime necessarium existimavi, verbis vos alloquor, o Animarum Pastores, Directores & Confessarii! quæ olim per Prophetam Deus Judæis est locutus: *Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris, Jerem.* 6. Ne sequamini novos duces, qui sectatores aucupant; post illos euntes errabitis, & in præcipitia cadetis. A Deo acceptos duces sequimini, sacras nempe Litteras, & sanctorum Patrum libros.

TRA-

TRACTATUS II.

DE SUBJECTO, ET FUNDAMENTIS MORALIS CHRISTIANÆ.

SECTIO I.

DE SUBJECTO MORALIS CHRISTIANÆ.

CAPUT I.

Hominis lapsi miser exponitur Status.

Homo interim non amplius illud illustre manuum Dei opus est, non ille omnium creaturarum Rex, non imago illa viva & intelligens sui Creatoris, quemadmodum ab initio inter Dei manus extitit. Opus est modo pene destructum; mancipium est, contra quod omnes pugnant creaturæ, ut ejus sui Creatoris præcepto inobedientiam puniant; imago est penitus fere delera, quæ prioris pulchritudinis vix servat vestigia. *Ex quo Adam,* (inquit sanctus Augustinus *Lib.* 1. *de nupt. c.* 32.) *ex olea tali, in qua nec semen erat hujusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est, quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleastrum.*

Aure-

Aurelianense secundum Concilium, ab universa Ecclesia receptum, Canone primo ait: *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum ideſt secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ.*

Tridentinum Concilium sessione quinta eamdem doctrinam adversus nostri temporis hæreticos tradit: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Hæc igitur in homine mutatio in deterius secundum corpus & animam facta est. Corpus per illam morti subjicitur: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, inquit Apostolus, *Rom.* 5. Pelagiani affirmant, etiamsi non peccasset, Adam nihilominus interiturum fuisse; sed hunc errorem Ecclesia damnavit. *Si mors*, (inquit Pelagianis sanctus Augustinus *Lib.* 2. *oper. imperf.*) *pœnalis non est, quæ a corpore animam separat, cur eum timet natura, quam sic laudas, ut neges esse vitiatam? Quid causæ est, ut infans ubi paululum ab infantia progredi cœperit, jam formidet occidi? Cur non ita ut in somnium, sensus est proclivis in mortem? Si ergo frustra mors timetur, ipse timor ejus est pœna; si autem anima separari a corpore naturaliter non vult,*

ipsa

ipsa mors pœna est, quamvis eam in usum bonum gratia divina convertat. Dolores, morbi infirmitates, quæ corpus affligunt; miseriæ sunt, quæ peccatum supponunt; quas miserias vos cum sine illo peccato accidere dicitis parvulis, injustum Deum versus illos facitis. Menti ac rationi hominis corpus tunc subdebatur; imprudens nunc, furens, ac rebellis est servus, qui tum mentis tum rationis jugum pati recusat. *Caro* (inquit Apostolus *Gal.* 5.) *concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Morte tantum hæc pugna cessat. Cuncti corporis sensus id moliri videntur, ut spiritum fallant, qui illorum testimonio innititur. Oculo nil nobilius; de oculo tamen inquit Ecclesiasticus: *Nequius oculo quid creatum est (Eccl. 31.)?* de auribus vero ait: *Sepi aures tuas spinis (Eccl. 28.):* facile siquidem pravis sermonibus patent. A sancto Jacobo lingua vocatur *universitas iniquitatis (Jac. 3.). Omnis enim,* inquit ille, *natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* De gulæ vitiis non loquar, quæ sanitatem corrumpunt. Tactus quoque vitia prætereo, cujus voluptates hominem belluis similem efficiunt. Verum quam animæ hominis peccatum attulit, longe deplorabilior est mutatio: intellectus enim, qui lucis olim fons erat, nunc tenebrarum est sedes, & jam quæ sibi sint agenda homo ignorat. *Approbare falsa pro veris,* (ait sanctus Augustinus *Lib. 3. de lib. arb. c. 18.*) *ut quis erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna dam-*

damnati. Ab hoc intellectus vulnere humani omnes prodeunt errores, nec ulli umquam adeo absoni fuere, quos non plerique hominum amplecterentur. Inter idololatras, & felium, & murium, & crocodilorum, & cæparum adoratores extitere. Apud Romanos, qui tam prudentes erant, & docti, *Felicitas colebatur, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera, non Numina, sed crimina,* inquit sanctus Augustinus. Inter Christianos vero hæreticorum secta fuit, Ophitarum dicta, quæ teste sancto Epiphanio serpentem colebat: & supra aram servabat, quemadmodum apud nos sanctissima Eucharistia hodie asservatur: cum autem apud hos sacra mysteria celebrabantur, educebatur serpens, qui supra panem reptabat, & hoc contactu consecratio fieri credebatur. Absurdiusne aliquid, aut risu dignius potest excogitari? hunc tamen errorem plerique suscepere. Sancti Augustini, cujus miras recitamus sententias, & vere cœlestem doctrinam sectamur, perrarum erat ingenium; in Manichæorum tamen secta, cujus dogmata recte rationi & Philosophiæ non minus, quam Evangelio adversantur, novem ille transegit annos. Integræ demum visuntur adhuc nationes iis erroribus obvolutæ, qui ex hoc dumtaxat ignorantiæ fonte possunt proficisci. *Id est autem æquum,* (inquit hic sanctus Doctor *L.* 1. *de Lib. arb. c.* 18.) *ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum sit.*

Attamen intellectus vulnus, quantumlibet magnum, voluntatis & liberi arbitrii vulneri non

non est comparandum. Graviora hic peccati damna manent. Cum ad Dei amorem ante peccatum voluntas unice inhiaret, creaturarum amore tota modo est repleta; tantoque impetu ac vi ad sui, inferiorumque bonorum amorem fertur, ut Jesu Christi dumtaxat gratia ab hoc illam amore valeat liberare. Verum ne longior sim, pauca solum de liberi arbitrii damnis verba faciam. Certum est nos liberum arbitrium non amisisse; sed æque certum est per peccatum fuisse debilitatum illud ac imminutum. Pari facilitate bonum vel malum poterat in Adam eligere; modo autem adeo sub peccato est captivum, ut sine Dei gratia nullum meriti capax opus facere possit. Ita sanctus Augustinus docet: *Arbitrium voluntatis, tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod amissum proprio vitio, nisi a quo dari potuit, reddi non potest. Unde veritas dicit: Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis.* In terrestri Paradiso ea libertate Adam fruebatur, ut victrici gratia non indigeret, ne peccaret, & ut illum nihil ad peccandum impelleret; quoniam vero voluntarie peccando libertatem illam amisit, *pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem* (*de Nat. & grat. cap.* 66.). Sine Jesu Christi namque gratia nequit nunc homo peccatum vitare; atque hæc peccandi necessitas, quæ penitus tamen libertatem non aufert, non cessabit, *donec tota sanetur infirmitas;* in altera etenim vita sic in bono firmabimur, ut peccare numquam possimus, & bene vivendi, semperque gaudendi beatam necessitatem habeamus.

Antequam igitur Christi gratia nos liberet, d
libero nostro arbitrio ne gloriemur; neve nimiu
ejus fidamus viribus, postquam libertatem fi
mus adepti. Liberi arbitrii nomen libertate
significat; & *Ubi spiritus Dei, ibi liberta*
(2. *Cor.* 3.). *Si ergo* (inquit sanctus Augustinu
*de spirit. & lit. c.*13.) *servi sunt peccati, quid*
jactant de libero arbitrio? A quo enim quis dev
ctus est, huic & servus addictus est. Si autu
liberati sunt, quid se jactant velut de opere pro
prio, & gloriantur quasi non acceperint?

Homo igitur in hoc statu constitutus, nemp
Jesu Christi gratia liberatus, Ethicæ Christian
est *Subjectum;* ad illum siquidem hujusce disc
plinæ præcepta pertinent. Hujus autem sanit
tem cognoscere plane non possumus, nisi ejus
noverimus infirmitatem; quæ ideo noscenda
nobis est, ut medici & medicinæ necessitatem in
telligamus. Duo nobis extrema sunt vitanda
ne hominem vel magis infirmum, vel sanum
magis, quam revera sit, arbitremur. Si *nimis*
infirmum credimus, ad bene agendum ineptum
reddimus, & in desperationem conjicimus; si
vero *nimis sanum* dicimus, superbum reddi
mus, & necessitatem medici, qui est Christus
Jesus, excludimus. In horum extremorum
unum lapsi sunt Manichæi; in alterum Pela
giani. Medium tenet Ecclesia, quæ veritatis
est sedes: quod in homine restat, agnosci
Ecclesia, nec illi tribuit, quod amisit; hinc
gratiæ Christi, & præceptorum fatetur ne
cessitatem, ut antiquam homo innocentiam
acqui

acquirat, quantum præsentis vitæ conditio patitur.

CAPUT II.

Concupiscentia omnium malorum origo describitur.

Originalis peccati acerbior & gravior pœna illa est, quam concupiscentiam, seu cupiditatem appellamus. Hæc pondus juge est, quod animam ad fruendum impellit creaturis, infimisque rebus, quibus corrumpitur. In innocentiæ statu pondus sentiebat Adam, quo in Deum ferebatur; ubi vero Dei præceptum violavit, ut suæ infidelitatis & ingratitudinis puniretur, ponderi alteri se subjecit, quo in sui, creaturarumque amorem deprimitur. Ajunt Theologi aliqui nil aliud esse concupiscentiam, quam sensitivum appetitum, & voluntatem, quoniam hæ duæ potentiæ, si gratia illas non attollat, pondere suo & gravitate perdite in creaturas feruntur; vel concupiscentiam esse appetitus voluntatisque effrænem impetum, quo frui creaturis anhelant. Sanctus Augustinus existimat concupiscentiam esse harum ambarum potentiarum vitium, quod veluti vetus consuetudo hominem ad creata bona valide pertrahit. Id esse ait originale peccatum, cujus licet per Baptismum deleatur reatus: manet tamen actu; cujus scilicet ita deletur macula, ut corruptio maneat, quæ reos nos efficit, si ejus motibus assentimur. Hæc Magistri sententiarum est opinio, quam Theologi plures sequuntur, & quæ sacrarum Litterarum dictis inhæret; videntur enim sacræ Litteræ ita de originali pec-

cato loqui, quasi non sola illud esset justitiæ pri vatio. Sanctus Paulus Fideles sic monet: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obe diatis concupiscentiis ejus* (*Rom.* 5.): concupi scentia nempe est veluti habitus, cujus sunt actus desideria prava.

Plerique tamen docent Theologi, originale peccatum privationem esse originalis justitiæ. Tridentinum Concilium hanc quæstionem definire noluit; solum docet concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum; concupiscentiæ scilicet involuntarios motus non esse peccata, ut docent hæretici.

Quoniam vero concupiscentia naturæ humanæ vitium est & corruptio, auctorem Deum nequit habere. Pelagiani, qui originale peccatum negabant, illam bonam, & a Deo in homine creatam asserebant. Sed valide hæc impietas a sancto Augustino est confutata, & ab Ecclesia damnata. Hanc legi Dei Sanctus Paulus opponit, dum ait: *Carne servio legi peccati, condelector legi Dei secundum interiorem hominem* (*Rom.* 5. & 7.). Sanctus vero Jacobus inquit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cum concupiscentia conceperit, parit peccatum* (*Jac.* 1.). Non suggestione sola, vel tentatione ad peccatum nos hæc concupiscentia provocat, quemadmodum solet dæmon, & prava solent objecta; sed pondus quoddam in nobis est, quod suapte natura ad peccatum nos pertrahit. Mala quædam habitudo est, & consuetudo prava juxta Sanctum Augusti-

gustinum, qui ait: *Carnalis consuetudo resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum.* Donec terreni hominis imaginem circumferimus, *habemus necessitatem consuetudinis nostræ; quotidie minui potest, finiri non potest.* Concupiscentiæ objecta sunt terrena bona & creata, quæ possunt amari; uno verbo quidquid Deus non est: animæ affectus corporisque motus inficit, totumque veluti lues corrumpit hominem: potentias ejus omnes seducit, harmoniam turbat, rebellionem excitat, continuo bello exercet, justosque omnes gemere cogit. Non a persecutoribus suis, sed a concupiscentia liberari petit Apostolus: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus (Rom. 7.)?* Sanctus Augustinus peccati vestigium illam sæpius appellat; nam malis, quæ animæ corporique affert, peccati naturam manifestat, a quo proficiscitur.

Concupiscentiam apostolus Paulus *peccati legem* dicit. Rationem affert Sanctus Augustinus: *Quia*, inquit, *persuadet peccata; & ut ita dicam jubet.* Eamdem *peccatum (Rom. 6.)* Apostolus appellat: *peccatum vocatur* (inquit idem Sanctus Doctor *de Nupt. l. 1. c. 23.*) *quod & peccato facta est; & peccatum, si vicerit, facit.* Nil aliud illa est, quam animæ motus, ut de se gaudeat, & de creaturis, non Dei, sed sui amore ducta. Porro hic creaturæ, suique amor peccatorum omnium est origo; postquam enim Apostolus dixit (*2. Tim. 3.*) *Erunt homines seipsos amantes;* subdit: *cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine af-*

affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum magis amatores, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem abnegantes. Hæc etenim, ut inquit divus Augustinus, *omnia mala ab eo velut fonte promanant, quod primum posuit seipsos amantes; hæc atque ejusmodi vitia, sive his alia, sive illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant: cum sint homines seipsos amantes.* At duobus hisce verbis eamdem veritatem complexus erat Apostolus (1. *Tim.* 6.) *Radix malorum cupiditas.* Hoc inde provenit, quia nullum homo crimen patrat, nisi assentiens concupiscentiæ, qua vel de seipso, vel de creaturis aliis frui quærit. *Nec est aliunde vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens & male fruens,* inquit Sanctus Augustinus. *Fecerunt* (idem Doctor ait *l.* 11. *de Civ. Dei c.* 18.) *civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Alterutrius cives esse oportet. Cum peccatum sui ipsius amantem hominem efficiat, quasi beatus in seipso esse posset, tribus illum paupertatis generibus subjicit, quæ tribus bonis, quibus innocens fruebatur, opponuntur. Primum bonum erat incomparabilis *altitudo*, & sublimitas; amore enim homo soli Deo subdebatur, cunctasque sub se cernebat creaturas, quibus veluti subditis imperaret. Secundum bonum erat admirabile *lumen*, quo omnia intelligebat, cum ignorantiæ tenebris, quæ peccati sunt pœna, mens ejus careret. Tertium

bonum erat *cœlestis voluptatis* torrens, qui cor ejus irrigabat, propter Dei, quo fruebatur, præsentiam, ut inquit sanctus Augustinus: *Ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum.* Trium horum bonorum possessioni trium defectuum deploranda successit egestas, quæ violenta quasi tria desideria parturit, quibus amissa bona recuperare homo pro virili nititur. Primus defectus est *summa abjectio*, in quam anima incidit; nam & suis passionibus, & creaturis reliquis subjecta est. Hinc ut se attollat, honores homo quærit, dignitates, imperia, gloriam, laudes, existimationem. Ex hoc fonte promanat ambitio, vanitas, fastus, temeritas, audacia, vis, crudelitas, & tyrannis. Secundus defectus, quem homini peccatum attulit, est *ignorantia;* hinc scire cupit, & curiositatem adeo sectatur, ut superstitionibus etiam & magiæ se dedat. Tertius defectus est *tristitia*, cui ut homo subveniat, voluptates ubique aucupat, & gaudium, quo in amore veri boni fruebatur; hinc carnalium voluptatum vitia & excessus proficiscuntur. Hæc doctrina a Sancto Joanne est accepta, qui ait: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* (1. *Joan.* 2.) *Omne quod est in mundo*, in amatoribus scilicet mundi, *concupiscentia carnis est*, quo sensibiles, carnales, & terrenæ voluptates comprehenduntur; *& concupiscentia oculorum*, quo curiositas, & immodicum omnia sciendi & possidendi desiderium comprehenditur; *& superbia vitæ*, quo gloriæ & imperii cupiditas declaratur; ut Sanctus Augu-

ſtinus explicat. *Nego*, ait, *eſſe quemquam iſtorum, qui nihil colendum exiſtimant, qui non aut carnalibus gaudiis ſubditus ſit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo ſpectaculo delectatus inſaniat* (*de vera Relig. cap.* 38.).

CAPUT III.

Concupiſcentiæ peſſimi recenſentur effectus.

Qui a venenato fonte promanant, venenatos eſſe rivos oportet. Generale concupiſcentia eſt venenum, quo genus humanum corrumpitur; ſinguli enim homines (ſi Sanctam Virginem excipias) originali peccato infecti naſcuntur. Peccari hujuſce pœna & effectus eſt concupiſcentia, quod in baptizatis manet, non quoad culpam, quæ deletur, ſed quoad pœnam, quæ perſeverat. Peſſimi ſunt illius effectus, quorum octo præcipue licet enumerare.

Primus eſt *veræ cordis libertatis amiſſio*, quæ creaturarum amore perit, cum rei amatæ amantem ſuapte natura amor ſubdat. Quando Deum homo diligit, creata cuncta ei ſubduntur; quando vero ſeipſum, aut creata bona amat, creaturis ac ſibimetipſi ſubditur. *Quæ cum volunt homines* (inquit ſanctus Auguſtinus *de Moribus, Eccleſ. c.* 21. *&* 13.) *per damnationem tenere, ab his ipſis potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium ſervi fiunt, dum imperite domini eſſe deſiderant; non quod Deus iſta non creaverit, ſed quia ſubjicere ſe homines volunt iis rebus per*

peccata, quæ illis per recte facta divina lege subjectæ sunt. Hinc pariter evenit, ut homo pravo hoc amore plenus rectum nequeat de rebus ferre judicium; hoc enim judicem exigit, cui res judicanda subjecta sit, iste vero amor animam creaturæ subdit, quæ inordinate diligitur. Explicans idem Pater hunc secundi Psalmi versiculum: *Erudimini qui judicatis terram;* ait: *Spiritales significat, qui ut reges judicant terram. Inferius enim nobis est quidquid judicamus: quidquid autem infra spiritalem hominem est, merito terra nominatur, quia terrena labe sauciatum est. Nec ita tamen ut amatores speciei infimæ inhæreamus, sed ut Dei laudatores eam transgrediamur, ut supra eam collocati de ea judicemus, non ei connexi cum illa judicemur.*

Secundus amoris erga creaturam effectus est *hominem rei amatæ non modo similem reddere*, terrenum sicut creatura terrena est, corruptum, sicut illa est corrupta; sed *idem* quodammodo cum re amata. *Anima*, inquit sanctus Augustinus, *quodammodo corporascit defectivo appetitu.* (*contra Secund. c.* 12.) Propterea Fideles ita monet Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo*, (*Rom.* 12.) id est: Nolite mundum diligere, quia hic amor Christianum mundanum efficit, & sæculi hominem. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est: qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* (1. *Cor.* 6.) Denique ait sanctus Augustinus: *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris* (*Tract.* 2. *in ep. Joan.*).

Tertius amoris erga creaturam effectus est *objecto amato animam unire ac veluti conglutinare* ita, ut cum principio liber hic amor fuerit & voluntarius, necessarius postea, coactus, & tyrannicus evadat. *Quisquis*, ait Sanctus noster Doctor, *dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam, liberis alis, sancto amore volantem ad Dominum. Quicumque implicatur amori carnali, viscum habet in pennis.* In suis inordinatis amoribus id sentiunt peccatores: sub ambitionis, avaritiæ, fastus, iræ, impudicitiæ tyrannide gemunt. *Ligantur*, ut ante suam conversionem de se ajebat S. Augustinus: *Non ferro, sed ferrea voluntate. Etiam nescientem onerat, quod non sentiet, nisi cum surgere voluerit: atque utinam non sic alligentur & crura, ut frustra etiam humeros conetur excutere* (*lib. 8. Conf. c. 1.*).

Quartus amoris erga creaturam effectus est *dolor*, qui ex rei amatæ jactura proficiscitur. Id docet sanctus Augustinus inquiens: *Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Quid est dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse speraverat* (*lib. 3. de Doctr. Christ. c. 18.*). Hinc lamenta proveniunt, gemitus, furor, blasphemiæ, cæterique excessus in mariti amissione, aut conjugis, filiorum, dignitatum, vel aliarum rerum, quæ male amantur. Quamobrem magnus idem Sanctus jure dixit: *Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas*

eas amittit, & tunc sentit miseriam, quæ nihil est antequam amittat eas.

Quintus effectus est animi *instabilitas*, quæ ex creaturarum amore oritur; cum enim sint illæ ex nihilo creatæ, sunt necessario mutabiles, nec diu in eodem statu permanent. Quare hasce animus amans cum illis mutatur: nunc tristis, mox lætus, modo timet, modo sperat, nunc zelo, nunc ira plenus, modo gaudet, mox mœret, & lamentatur; ex una in aliam passionem transit, ex ambitione in avaritiam, ex avaritia in luxum, ex curiositate in impudicitiam. *Ita est*, ait sanctus Augustinus, *quasi fluvius ducat in fluvium, ut non sit finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, & securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ.*

Sextus amoris erga creaturam effectus est *labes*, qua anima inficitur. In animam res amata per amorem intrat, illique unitur; quæ si animæ sit inferior, illam fœdat. *Sordescit aliquid*, inquit Sanctus Augustinus, *cum inferiori miscetur naturæ, quamvis in suo genere non sordidetur, quia etiam de puro argento sordidatur aurum si misceatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit (lib. 1. de Serm. Domini in monte)*. Quoniam seipsum amat, non quod corporali ulla impudicitia inquinetur, immundus spiritus diabolus appellatur.

Septi-

Septimus erga creaturam amoris effectus est *cæcitas*, quæ hinc oritur: graves putidosque hic amor vapores exhalat, quibus mens obtenebratur, ut jam nec divinas, nec naturales veritates possit agnoscere, neque id ipsum quod amat: *Deus*: ait sanctus Augustinus, *indefatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Ab hoc fonte promanant errores, in quos labuntur ambitiosi, avari, superbi, ultores, impudici contra proximum, amicos, consanguineos, rempublicam, seipsos; ne de summa loquamur cæcitate, qua temporalem & caducam voluptatem æternæ ac cœlesti anteponunt.

Postremus amoris erga creaturas effectus est *bonum rerum usum impedire.* Ut bene rebus utamur, necesse est ab illis nos posse abstinere, si providentiæ ordo id exigat. Sed qui pravo aliquid amore prosequitur, hoc præstare nequit, rebusque (ut verius loquamur) non *utitur*, sed *fruitur*, omnemque sibi voluptas amorem vindicat. Hinc sanctus Paulus Fideles monet: *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur:* (1. *Cor.* 7.) quam sententiam sic exponit sanctus Augustinus: *Quid sit, quasi non utantur, nisi, non diligant, quo utuntur?* (*lib.* 5. *contra Julian.*) Creatis enim licitisque rebus juxta eumdem *nemo potest sapienter uti, nisi qui potest & continenter non uti.* Ut hisce sapienter utamur, ejusdem usus limites finemque noscamus oportet, quod pravus rerum amor videre non sinit, ita ut limites semper prætergrediamur, cum terrenis spiritus adhæret. Quamobrem ait Augustinus:

ſtinus: *Non eis amore conglutinetur, neque velut membra ſui animi faciat, quod ſit amando, nec cum reſecari cæperint, cum cruciatu ac tabe fœdent; ſed eis totus ſuperferatur, & habere illa atque regere, cum opus eſt, paratus, & amittere, ac non habere paratior* (*lib. 2. de lib. arbitr. cap.* 15.).

CAPUT IV.

Oſtenditur numquam licitum eſſe Concupiſcentiæ motibus aſſentiri.

Mali concupiſcentiæ, ſeu erga creaturas amoris effectus, quos enumeravimus, rationes ſubminiſtrant, ut Scholæ loquuntur, *a poſteriori*, quibus oſtenditur licitum numquam eſſe concupiſcentiæ motibus aſſentiri, illosque ſequi; verum eadem veritas *a priori* etiam validis argumentis demonſtratur.

Deus hominem condens in numero, menſura, & pondere illum creavit, quemadmodum & creaturas reliquas, id eſt locum, quem obtinebat, illi tribuit, ejus potentias eſt moderatus, naturalemque illi inſtinctum indidit, ut centrum quæreret, in quo quieſceret: ſub ſe illum poſuit, ſuperiorem pure corporeis creaturis conſtituit, & intelligentibus creaturis reliquis, ſcilicet Angelis, parem fecit; ſibi veluti Domino inferiorem collocavit, corporeis creaturis veluti ſubditis ſuperiorem, Angelis veluti ſociis æqualem. Æternus hic ordo & immutabilis a Deo eſt conſtitutus, quem niſi contra naturam ſuam agat,

agat, turbare homo non poteſt. Ad Deum igitur ſuum veluti principium, ultimumque finem pergere unice debet, cujus fruitione ſolum beatus eſſe poteſt; nequit enim beatitudinem conſequi, niſi bonum ſupra ſe poſitum, videlicet Deum acquirat. Ut ad hoc perveniat bonum, pondere indiget, quo feratur, hocque pondus eſt amor, ait Auguſtinus: *Amor meus pondus meum; illo feror, quocumque feror* (*lib.* 13. *Confeſſ. cap.* 9.). Pondus eſſe concupiſcentiam negare non poſſumus, quo non in Deum, ſed in nos ipſos, aut in creaturas ferimur. Illam propterea ſequi non poſſumus, quin æternam immutabilemque Dei legem violemus, humanæque naturæ ordinem ea invertat. Elementum quodlibet pondere ſuo ad centrum fertur, ad ſuperiora ignis, terra ad ima; illorum nullum hunc præterit ordinem, niſi vi ſuperiori agatur, ut Deo obediat, aut niſi exterioris alicujus agentis inſolitam vim patiatur; inquietum vero jugiter eſt, donec ad naturam ſuam redeat; in antiquum ſecus chaos mundus laberetur, & periret. Cum ad Deum homo veluti ad centrum pergit, ordinem ſuum tenet, ſuamque ſervat integritatem; ſed ſi in ſeipſo, aut in creatura aliqua velit quieſcere, ecce in homine turbatio, & confuſio. *Vides*, inquit Sanctus Auguſtinus, *in iſta diſtributione naturam quid ſumme ſit, quid infime, & tamen ſit quid medie, majusque infimo, & minus ſummo ſit. Summum illud eſt beatitas: infimum, quod nec beatum eſſe poteſt, nec miſerum; quod vero medium* (homo ſcilicet) *vivit inclinatione ad infimum miſere, converſione*

ad

ad ſummum beate vivit. Qui Chriſto credit, non diligit infimum, nec ſuperbit in medio (*epiſt.* 65.). Pulchrius nil aut illuſtrius dici poteſt, ut declaretur ordo, in quo fuit homo a Deo conditus, & quo ſuam ipſe felicitatem debet exquirere.

Dum creaturam homo diligit, ſe deprimit, ac minor evadit, quam a Deo eſt conditus; nam amore ſuo creaturæ ſe ſubjicit, cui naturæ ſuæ dignitate ſupereminet, ideoque in nihilum labitur, & nihilum ipſe fit. *Propterea*, inquit Auguſtinus, *nihil fiunt quæ facta ſunt, cum ſuperiora ad inferiora declinant, ubi eſt omne peccatum, & omne quod dicitur malum* (*contra Secundin. cap.* 10.). Numquam Chriſtiano licet, nec licere poteſt, ad inferiora declinare, & in nihilum tendere. Hoc creatura omnis naturaliter fugit, omnique niſu vitare conatur. Quando Lucifer non in Deum ferri, ſed in ſeipſo manere maluit, minor effectus eſt, & dæmon evaſit, & quando ab altiore loco lapſus eſt, tanto profundius in nihilum decidit. *Quando enim quæque res minus eſt, tanto vicinior nihilo eſt. Cum autem iſti defectus fiunt, recte reprehenduntur, & peccata nominantur.*

Duobus modis ſummum homo bonum deſerit, ut creato bono adhæreat. Aut enim cor hominis in Creatoris vel creaturæ electione ita eſt paratum, ut Deum ſciens ac lubens deſerat, & creaturæ adhærere malit; aut actu nec recogitans Deum derelinquit, creaturæ adhærens, quin tamen illam Creatori præferat, paratum alioquin,

si alterutrum esset deserendum, præ creato bono increatum numquam bonum deserere. Qui primo modo agit, mortaliter peccat; qui vero altero modo agit, peccat solum venialiter. Hinc peccatum quodlibet est hominis a Creatore aversio, & ad creaturam conversio: in mortali peccato id omnino evenit, in veniali evenit imperfecte; sed in veniali etiam adest aliqua ad creaturam conversio, quæ numquam est licita, quamvis magna vel parva existat. Dei lex immutabilis jubet, ut homo semper & ubique in Deum tamquam in finem suum ultimum feratur, & in ipso dumtaxat quiescat, ut sæpius diximus. Hæc lex nec in re levi absque peccato violari potest; quæ enim fornicationem lex prohibet, eadem & officiosum mendacium vetat. Quapropter inquit sanctus Augustinus: *Neque itaque potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio: sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto a veritate discordat, absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum, & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est, ut eam non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cum ejus potius immutabilitate, quam sua mutabilitate perfruetur* (*De Mendacio cap.* 7.). In eadem sunt sententia sanctus Thomas ejusque Discipuli; solum in loquendi modo differunt. Certum igi-

tur

tur est in peccato quolibet aliquam de creatura delectationem reperiri, hancque delectationem malam semper esse, quia *uti* creatura, non *frui* debet homo; *nec est aliunde vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens & male fruens.* Hæc est rationalis hominis felicitas, in Deum ferri, illum ut finem suum colere, nec sine illo beatum esse posse. Quomodo igitur absque peccato potest hæc bona recusare? *Propterea*, inquit Augustinus, *corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere & justitia debemus, & natura possumus, & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus* (*De Duab. animabus cap.* 13.).

CAPUT V.

Sensuum oblectamentis, etiam moderate, ob solam voluptatem frui inhonestum est.

Pelagiani, qui originale peccatum negabant, malam esse concupiscentiam pariter negabant, nullumque motibus eius assentiendo peccatum committi docebant. Ex malo principio malam illos consequentiam traxisse non miror; sed merito mirandum existimo quosdam Recentiores docere, si quis modeste ac moderate creaturis, honoribus, laudibus, gloria, dominatione, & licitis sensuum voluptatibus utatur, posse hæc licite propter seipsa amari, quin ad alium finem referantur (*a*).

Evi-

(*a*) Quantum hi Moralistæ a vero aberrarint, Innocentius XI. manifestum fecit istam n. 9. configens propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem*

Evidenter jam demonstravimus, homini non licere creatura ulla *frui propter ipsam.* Quis non videat rem, qua utimur, ad alium finem *non referre*, sed ea propter ipsam uti, idem esse ac illa *frui?* fruitio etenim est rei alicujus propter ipsam possessio. Honores, primi accubitus, hominumque laudes res bonæ sunt; attamen Dominus Pharisæos arguit, qui hæc amabant: *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi (Matth. 23.).* Quare propter horum amorem reprehenduntur? ideo quia amando peccabant; ideo quia propter ipsa hæc amabant, his adhærebant, nec referebant ad alium finem. *Non quia*, inquit sanctus Augustinus, *illa accipiunt; sed quia diligunt, sic eos cor eorum accusavit.*

Peccati originalis reatum, æternamque pœnam penitus aufert Baptisma; nihilominus *solvitur reatus, sed manet infirmitas; solvitur per indulgentiam, quia tenebat in noxa; conteritur per continentiam, ne vincat in pugna. Agitur itaque ne obsit; donec ita vincatur ut non sit.* Ita sanctus Augustinus Pelagianis respondebat, qui illum accusabant, quasi doceret hominem in Baptisma-

tem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. Huic affines sunt aliæ laxissimæ de Tactus, Gustus &c. oblectamentis a variis propugnatæ propositiones, quas locis propriis indigitabimus. Sed nunquid periculosa ista praxis subtili illi Theoriæ est superstructa; quæ multas actiones *humanas*, seu deliberatas in individuo *moraliter indifferentes* tuetur?

ptiſmate perfectam originalis peccati remiſſionem non recipere. In Scholis poſt illum dicimus concupiſcentiam reatu tranſire, actu remanere; ideſt deleri culpam, manere infirmitatem. Hæc proprie eſt hominis corruptio, quæ ab Adami peccato in eum promanat; hæc illi, dum in mundo degit, *relinquitur ad agonem* (*Conc. Trident. ſeſſ.* 5.) Hanc ſanctus Paulus (*Rom.* 9.) peccati *legem* appellat, quæ legi ſpiritus repugnat: propter hanc ille ait, ſe malum agere, quod non vult, nec quod vult, bonum agere: hæc meliora noſtra bona poteſt corrumpere, ſecreta nec cognita amoris proprii mixtione: hæc omnes homines peccatores facit, ita ut nemo in mundo ſine peccato vixerit, ſi ſanctam Virginem excipias; quam ab hac univerſali regula excipit ſanctus Auguſtinus.

Si quis dixerit concupiſcentiam ſenſitivi appetitus motum eſſe, hujusce appetitus motus eſſe naturales, ideo concupiſcentiam naturalem eſſe, nec ejus motibus obtemperantem peccare; paſſiones enim evellendæ non ſunt, ſed moderandæ, cum moderatas virtus non averſetur, ſed immoderatas dumtaxat fugiat: Reſpondeo paſſiones naturales eſſe, non concupiſcentiam, quam modo patimur, ea ſiquidem ſenſitivi appetitus motus effrænis eſt, quo ad creata & mutabilia bona ferimur. Quamobrem non eſt virtutis munus efficere, ut voluptas, ſeu creata bona propter ſeipſa amari poſſint; ſed prohibere, ne paſſiones extra rationis limites animam pertrahant, illasque moderari. Virtus enim naturalem a Deo ſtatum or-

dinem turbare recuſat, atque hic ordo creatur
propter ipſam amorem damnat; ratio media, fi
nemque diſponit: bonum eſt finis hominis, &
finis eſt mediorum regula.

Hominis bonum non eſt voluptatis fruitio
propter voluptatem, ſed propter aliquam *vitæ*
neceſſitatem, quam veluti finem ſuum reſpicit.
Voluptate igitur uti ſolum debet propter hunc
finem, veluti medio ad illum aſſequendum; na-
turæque ordinem invertit, ſi illa ut fine utatur.
Habet vir temperans, ait ſanctus Auguſtinus, in
hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ re-
gulam utroque Teſtamento firmatam, ut eorum
nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad
vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem quantum
ſatis eſt uſurpet, utentis modeſtia, non amantis af-
fectu (*De Morib. Eccl. Cap.* 21.). Non eſt ita-
que unice conſiderandum, an, quæ amamus bona
ſint, vel indifferentia; res ſiquidem bona amore
non bono poteſt amari; neque opus eſt ut rei
circumſtantia aliqua adnexa ſit, qnæ malum amo-
rem efficiat; ſatis eſt conditionem abeſſe, qua
bonus reddatur. Hæc vero conditio ea eſt, ut
res propter illum finem amentur, ad quem or-
dinantur. En quommodo ſanctus Auguſtinus lo-
quatur: *Cum anima ſit ipſa corpore ſuperior,*
Deumque habeat ſe ſuperiorem, quamvis in ordine
ſuo natura corporis bona ſit, peccat tamen ani-
ma, & peccando fit mala, ſi conſenſionem dilectio-
nis, quam ſuperiori Deo debet, inferiori corpori
adjungat. Hanc vero ſanctus Doctor generalem
regulam tradit: *His bonis, quæ propter aliud ne-*
ceſſaria

ceſſaria ſunt, qui non ad hoc, propter quod inſtituta ſunt, utitur, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Non hinc ſequitur, ſenſitivum appetitum, quo ad creaturas trahimur, malum eſſe, licet mala ſit concupiſcentia; nam ideo ſenſibilibus rebus appetitus ſenſitivus adhæret, quia corporeus eſt, neque altius attolli poteſt: ſed cum ſuperior hominis pars, id eſt anima, inferiori parti obtemperat, creaturisque fruitur, quibus ſolum eſt utendum, mala evadit. Dum oculus ruptam virgam in aqua videt, non oculi hoc vitium eſt, cum propter medii refractionem objectum aliter videre non poſſit; at intellectus errarer, ſi idem crederet; debet enim ille ſenſum corrigere.

Verum, dicet aliquis, nonne voluptates aliæ ſunt vetitæ, aliæ permiſſæ? Ita profecto eſt; ſed non hinc ſequitur voluptatem propter ſeipſam amari poſſe. Hac diſtinctione ſolum evincitur res quasdam illicitas eſſe, aliasque licitas, quibus adnexa voluptas, & quibus ſine voluptate aliqua uti non poſſumus; ſed ad finem illum hæc eſt referenda voluptas, propter quem illam hisce rebus natura copulavit. Sic ſine voluptate aliqua nec manducare, nec bibere poſſumus, quando ſuo ſenſus funguntur officio; verum neque manducare, neque bibere propter illam debemus, ſed propter vitæ ſolum neceſſitatem, quæ ſine alimentis conſervari neqnit. *Hoc me docuiſti*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis & indigentiæ moleſtia*

transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum sit causa edendi & bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est; & sæpe incertum sit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. (*Lib.* 10. *Confess.*) Nil istis sancti Doctoris verbis pulchrius, verius, nec Christiano dignius potest excogitari. Quid quæso dixisset, si ævo suo Africæ Doctores docuissent, licitum esse edere ad satietatem, sine necessitate, ob solam voluptatem, dummodo sanitas non lædatur; non magis in gustus voluptate quærenda peccari, quam si visus vel odoratus voluptas quæratur; & absque peccato sensuum voluptatem propter seipsam quæri posse? Nonne idem illis dixisset, quod Juliano respondit: *Puto quod ipsum librorum vestrorum atramentum erubescendo convertitur in nimium?* Docebant quidem Pelagiani, licitum esse concupiscentiæ motibus assentiri, sed concupiscentiam malam esse negabant, & naturalem credebant, quoniam originale peccatum inficiabantur; at Catholici omnes malam esse illam fatentur, cui propterea sine

pec-

peccato obtemperare non poſſumus. Hominis felicitatem in voluptate Epicurus collocabat, ſed honeſta erat illa voluptas, & ſpiritalis potius quam corporea; quamvis ſuæ ætatis Philoſophi ſecus illum ſint interpretati, ut ejus ſententiæ infamiam, erroremque conciliarent. Vitæ auſteritate doctrinam ſuam confirmabat, & adeo a potus, cibique nimietate temperabat, ut vix neceſſaria ſumeret.

CAPUT VI.

Idem continuatur Argumentum.

Ut concupiſcentiæ naturam perſpicue magis explicemus, ſenſuum diſtinguendæ ſunt vivacitas, neceſſitas, utilitas, & voluptas.

Senſuum *vivacitas* ex corporis, ſenſuique inſervientium organorum conſtitutione oritur. Exquiſitam magis bilioſi, & ſanguine abundantes habent, quam phlegmatici & melancholici; atque hæc naturalis res eſt, nec bona, nec mala.

Senſuum *neceſſitas* eſt generalis; neceſſario enim ſenſus quilibet, ſi apte ejus organa ſint diſpoſita, objectum ſuum percipit, & cognoſcit, oculus videt, auris audit, odoratus olfacit, guſtus cibos diſtinguit, tactusque durum a molli diſcernit.

Senſuum *utilitas* ad hominis bonum, conſervationemque pertinet, qui ut vivat, ſuorum ſenſuum actione indiget.

At ſenſuum *voluptas* a reliquis eorum qualitatibus longe diſtat; eſt enim hæc animi titillatio,

& secreta prurigo, qua carnalis voluptatis appetitu & desiderio ad sentiendum impellimur, sive illi assentiamur, sive repugnemus Voluptas hæc sensus omnes inquinat: oculos ad pulchra objecta quælibet videnda excitat, licet periculosa ac prohibita; aures ad sonos audiendos propter audiendi voluptatem; nares ad odores captandos, propter solam olfaciendi voluptatem; gustum ad id manducandum & bibendum, quod placet, non quod necessarium sit, & prosit; tactum ad carnales actiones non necessarias neque utiles, sed propter solam sensibilem delectationem; uno verbo variis hisce creaturis fruamur, & in illis quiescamus.

Sensuum igitur vivacitas, necessitas, vel utilitas in Christiano non reprehenditur; sed sola voluptas, cupiditas, delectatio objectorum sensibilium, quæ naturalem suum finem & Deum, ut diximus, non respicit. Voluptas hæc in licitis quoque rebus est generalis tentatio, quæ Sanctos etiam vexat, & angit, cogitque lacrymis & gemitibus Deum exorare, ut peccata ob eamdem commissa dimittat. De hujusmodi peccatis, quæ plerique hodie parvipendunt, & recentiores quidam Casuistæ peccata esse negant, adeo erat sollicitus sanctus Augustinus, ut se accuset, dum Psalmum cantari audiret, pulchra canentis voce magis, quam sacri carminis mysteriis delectatum fuisse. *Cum mihi accidit*, inquit, *ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare consiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum, flete mecum, & pro*

me

me flete, qui aliquid boni vobiſcum intus agitis, unde facta procedunt; nam qui non agitis, non vos hæc movent (*Lib.* 10. *Confeſſ. Cap.* 33.). Eodem ſe rigore examinat circa aliorum ſenſuum voluptates, præcipue vero circa viſum. *Ipſa regina colorum*, ait, *lux iſta perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multimodo allapſu blanditur mihi aliud agenti, & eum non advertenti: inſinuat autem ſe ita vehementer, ut ſi repente ſubtrahatur, cum deſiderio requiratur, & ſi diu abſit, contriſtet animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clauſis oculis iſtis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede caritatis nusquam errans . . . . ipſa eſt lux, una eſt, & unum omnes, qui vident, & amant eam. At iſta corporalis, de qua loquebar, illecebroſa ac perniciosa dulcedine condit vitam ſæculi cæcis amatoribus. Qui autem & de ipſa laudare te norunt, Deus creator omnium, aſſumunt eam in hymno tuo, non abſumuntur ab ea in ſomno ſuo: ſic eſſe cupio.* (*Ibid. Cap.* 34.) Aut puſillanimis valde & ſcrupuloſus ſanctus Auguſtinus eſt dicendus, quod de tam illuminato & ſolido ingenio dicere nefas, dum a Deo *veniam* petit de voluptate, quam, dulcem audiendo vocem, aut ſplendidi diei videndo lucem, pulchraque alia objecta, hauſit; vel turpiter falli, & a conſcientiæ puritate, qua magnus iſte Sanctus fulgebat, longe diſtare dicendi ſunt Caſuiſtæ, qui omnibus ſenſuum delectationibus ob ſolam voluptatem frui permittunt. Verum tutius profecto eſt ſancti Auguſtini ſententiam ſequi, quam novos iſtos Caſuiſtas ſectari, qui Auguſtini nec pietatem, nec doctrinam habent.

bent. Hinc facile intelligimus, quodnam ferre debeamus judicium de palatiis, ædibus, viridariis, magnificis ſupellectilibus, aulæis, cæteroque apparatu, quem in orbem luxus invexit; at de iſtis alibi differemus. Sed hic præterire nequeo pulchra hæc magni noſtri Doctoris verba: *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis in veſtibus, calceamentis, vaſis, & hujusmodi fabricationibus, picturis etiam, diverſisque figmentis, atque his uſum neceſſarium, atque moderatum & piam ſignificationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras ſequentes quod faciunt, intus relinquentes a quo facti ſunt, & exterminantes quod facti ſunt. At ego, Deus meus, & decus meum, etiam hinc tibi dico hymnum, & ſacriſico laudem ſanctificatori meo, quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificioſas ab illa pulchritudine veniunt, quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die ac nocte; ſed pulchritudinum exteriorum operatores & ſectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt utendi modum; & ibi eſt, & non vident eum, ut non eant longius, & fortitudinem ſuam ad te cuſtodiant, nec eam ſpargant in delicioſas laſſitudines. Ego autem hæc loquens atque diſcernens etiam iſtis pulchris greſſum innecto: ſed tu evellis, Domine, evellis tu, quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt. Nam & ego capior miſerabiliter, & tu evellis miſericorditer aliquando non ſentientem, quia ſuſpenſius inciderant, aliquando cum dolore, quia jam inhæſeram.* Solus Auguſtinus tam mire loquitur, & minimas quoque conſcientiæ ſuæ fibras ſcrutatur.

At

At quid ultra Sanctorum Patrum auctoritate indigemus? Sacrarum Litterarum nobis occurrit auctoritas, quam rationabilis gloſſa nulla infirmare poteſt. Ait Sapientia: *Inconſtantia concupiſcentiæ transvertit ſenſum* (*Sap.* 4.). Eccleſiaſticus inquit: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Auſer a me concupiſcentias* (*Eccleſ.* 18. & 19.). Sanctus Joannes in prima ſua epiſtola dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ ſunt in mundo* (1. *Joan.* 2.) Chriſtianis vetat hisce verbis quæcumque in mundo ſunt diligere; neque immoderate ſolum amare vetat; ſed ait: *Nolite diligere*, ideſt ne illis adhæreatis. Apoſtolus Paulus Fideles omnes ita admonet: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, ut non obediatis concupiſcentiis ejus* (*Rom.* 6.); & rurſus: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis* (*Galat.* 5.), ne carnis voluptates, vel carnales ſeu terrenas ſpiritus delectationes requirant. Sanctus Jacobus ait: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem* (*Cap.* 1.). Concupiſcentiam veluti fœminam repræſentat, quæ ex viri unione, ideſt ex ſuo conſenſu concipit: fructus, quem concipit, eſt peccatum: conſummatur vero peccatum, cum opere completur; hæc autem generatio peccatricis animæ morte, quæ inde evenit, miſere finitur. In concupiſcentia itaque plures ſunt gradus: primus eſt *tentatio*, quæ non eſt peccatum; ſecundus eſt *imperfectus* conſenſus; tertius eſt conſenſus *abſolutus*; quartus eſt *opus exterius*; quintus eſt

mors

mors æterna, quam peccatum affert: *Stipendia peccati mors* (*Rom.* 6.).

Difficilem hanc concupiscentiæ resistendi regulam forte quis dicet; sed illi solum est difficilis, qui Christianismi & Evangelii spiritu caret, quo sui ipsius abnegatio præcipitur. Qui Deum diligit, mundum contemnit: qui se in Baptismate mundo & pompis ejus renunciasse serio considerat, haud ægre suis stat promissis, & visibilibus renunciat. *Et nobis vocatis a Christo visibilium delectatio minuitur, & invisibilium amore homo interior recreatus ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, revertatur, secundum Apostolicam disciplinam non quærens quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*

SECTIO II.

DE

CARITATE, TAMQUAM PRIMO MORALIS CHRISTIANÆ FUNDAMENTO.

CAPUT I.

Caritas christianarum actionum Regula esse debet.

Quæ hactenus diximus, ostendunt non licere Christiano ex cupiditate operari, neque concupiscentiæ in re ulla assentiri, nimirum creatura

tura aliqua oblectari. Restat igitur ut Christianus ex caritate agat. De caritate id affirmans, non de perfecta caritate loquor, ita ut hanc bonis operibus necessariam existimem; hæc siquidem propositio damnata fuit (*a*). Verum id affirmo, opus vere meritorium non existere, nisi illi aliquis amoris Dei gradus sit adjunctus.

In hoc a Moysis lege Evangelii lex differt, quod illa timoris lex erat, hæc vero lex est amoris. Jesus Christus, qui Evangelii legem condidit, ait: *In his duobus mandatis* (nempe Dei amore & proximi) *universa lex pendet, & Prophetæ* (*Matth.* 22.). Sanctus Paulus ait: *Plenitudo legis dilectio* (*Rom.* 13.). *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Galat.* 5.). *Qui diligit Dominum, legem implevit* (*Rom.* 13.). Hæ loquendi rationes nos admonent, quidquid præcipitur, aut vetatur, ad duplex spectare præceptum, Dei videlicet amandi & proximi: quare nostrarum actionum omnium principium, causa, & finis caritas

(*a*) Actum Caritatis influxu destitutum adhuc posse morali bonitate præditum esse Concilium Constant. contra Joannem Hus Sess. 15. definiit. Asserenti, *omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, vere esse peccata &c.* Concilium Trid. Sess. 6. Can. 7. anathema dixit. Bonitas moralis naturalis a supernaturali actus vigore caute est distinguenda. *Bonitatem moralem naturalem* actus ab objecto, & circumstantiis accipit: *vigorem supernaturalem*, seu rationem meriti, Caritatis influxui debet Peccator, Caritate exutus, adhuc *bene*, ac *honeste agere;* nihil tamen pro vita æterna *mereri* potest.

ritas esse debet. *Quidquid Dei lege prohibemur*, (inquit Sanctus Augustinus *de Perf. just. c.* 5.) *& quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo ista compleamus: imo tota Scriptura, adeoque Dei cum hominibus providentia, non aliud spectat.* Hinc præcepta omnia proprie loquendo unum præceptum sunt; illud namque amandi Deum, præceptum amandi proximum, omniaque Christianis tradita præcepta complectitur. Quamobrem ait Apostolus: *Omnia opera vestra in caritate fiant* (1. *Cor.* 16.). *Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (*Coloss.* 3.). *Finis præcepti est caritas* (1. *Tim.* 1.). *Ante omnia*, inquit Sanctus Petrus, *mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum* (1. *Petr.* 4.). Magnam hanc veritatem præ reliquis Sanctis Patribus melius sanctus Augustinus declaravit, caritatem nempe complementum esse, compendium, vim Evangelii, virtutesque reliquas a caritate perfectionem accipere, & juxta singularum naturam & effectus cum caritate communicare. *Et ut generaliter*, inquit ille, *breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur: hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est* (*de Morib. Eccl. c.* 6. *& ep.* 29.). Felices tunc & beati erimus, si Deo adhæreamus, *cujus unius anima rationalis incorporeo, si dici potest, amplexu veris fœcundatur virtutibus: ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere.*

Sic

Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Quid autem eligamus quod præcipue diligamus; nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est; imus autem non ambulando, sed amando (epist. 52. ad Macedon.). En primum axioma, ex quo elicit, nil aliud esse virtutem, quam Dei amorem, nempe diligere quod diligendum est; nam *Virtus nihil aliud est, quam ordo amoris.* Satis jam probavimus, Deum unice propter seipsum ab homine esse amandum, quoniam solus Deus est bonum, quo homo beatus efficitur, non creatura, quæ bonum est inferius.

Alterum Ethicæ Christianæ axioma est, sic a Christiano bona opera esse facienda, videlicet *coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit;* & in hanc legem, veluti in speculum perspiciendo, ut quid sibi agendum sit, videat. Amore hanc legem debet amplecti. *Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est: qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est: qui nulla alia delectatione, temperans est; qui nulla elatione, justus est;* his scilicet regulis luminibusque coaptando, quæ vivunt in ipsa veritate sapientiaque, quæ

Deus

Deus est. Rationalis creatura ita est condita ut ipsa sibi beatitudo esse non possit; sed conversione ad immutabile bonum beatam fieri oportet; si ab eo avertitur, erit misera: ejus ab hoc bono aversio est peccatum, virtus est ad illud conversio; *ad hoc se igitur animus convertit, ut bonus sit, a quo habet, ut animus sit.*

CAPUT II.

Caritas Virtutes progenerat.

In terrestri Paradiso fons erat, qui in quatuor divisus flumina terram omnem irrigabat. In Ecclesia pariter amoris Dei fons adest, qui in quatuor Cardinales virtutes dividitur, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & Justitiam. *Illud quod quadripartita dicitur virtus*, (inquit sanctus Augustinus *de Morib. Eccles. cap.* 15.), *ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem: ut Temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur: Fortitudo amor, facile tolerans omnia propter quod amatur: Iustitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: Prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ.* Nobili profecto minus modo de his virtutibus Philosophi loquuntur; neque ii, qui horum definitiones sectantur, tam sub-

sublimiter, quam magnus iste Doctor, de illis differunt. Philosophorum vero falsæ erant infirmæque virtutes, humano enim illi agebant modo, creatumque sibi finem proponebant: illorum prudentia erat desidia; fortitudo superba audacia; temperantia abstinentia, qua hominum plausus captabant; & justitia alienorum bonorum distributio, qua ne proximum læderent dumtaxat cavebant. Hoc secundum Arausicanum Concilium hisce verbis docet: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quid *amplius,* (inquit noster sanctus Doctor *ibidem c.* 25.), *de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. A quo existit, ut incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est temperantiæ; & nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii serviat, quod est justitiæ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusque subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio, qua sola impetrat, ut veritatis sinceritate perfruatur: hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur.* Eo majorem habent hæc verba auctoritatem, quod non ex Homilia sunt excerpta, ubi oratorio more, non dogmatico Augustinus credi posset locutus; sed ex Tracta-

tu, in quo contra Manichæos disputat, illosque catholicæ Ecclesiæ fidem docet. In reliquis suis libris eamdem doctrinam tradidit, quod facile iisdem suis verbis possem ostendere. At brevitas, cui pro virili studeo, & in quam nimis fortasse hactenus peccavi, alios hic sancti Augustini textus proferre vetat. Satis est serio nos attendere, quid amor proprius, aut vehemens creaturæ amor operetur: quæcumque agimus, ex hoc amore promanare, illumque respicere intelligemus; paratos nos esse ad quælibet toleranda propter creaturam, quam amamus, & ad voluptates quaslibet propter illam deserendas, nihil nos intactum relinquere, ut illa, quæ ad ipsam spectant, obtineat, omnemque nos movere lapidem, ut illa potiamur, & possessionis hujusce obstacula arceamus.

Fides atque spes sine caritate mortuæ sunt. Ut sibi credamus, & in ipsum speremus Deus jubet; sanctus vero Paulus ait: *Accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus* (*Rom.* 1. 5.). Sine caritate autem perfecta, vel imperfecta fidei præceptis, ut oportet, obedire non possumus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, inquit sanctus Paulus *Hebr.* 11. 6. Quomodo vero, si Deum non amemus, vivaciter credere possumus illum inquirentibus se Remuneratorem fore?

CA-

CAPUT III.

Caritas Spem nutrit, & auget.

Christianæ spei non minus, quam fidei, caritas conjuncta est; christiana siquidem spes est virtus, nec sine Dei amore virtus perfecta existit. Qui cum hoc amore spem copulari non posse existimant, quoniam hæc Deum veluti bonum suum acquirere nititur, ac propterea concupiscentiæ potius, quam amicitiæ amor censenda est, Christianæ spei excellentiam & puritatem hi minime intelligunt (*a*). Illa quidem Deum con-

(*a*) Æternæ retributionis Spem a Caritate perfecta excluſam Franciſcus di Salignac Fenelon Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis voluit, cujus proin librum, *de Principiis fundamentalibus Sanctorum* conſcriptum, Innocentius XII. a. 1699. prohibuit. Inter propoſitiones viginti tres, quas in ſuo Brevi ad majorem fidelium cautelam Pontifex ſpecialiter confixit, prima ac potiſſima iſta erat: *Datur ſtatus amoris Dei, qui eſt Caritas pura, & ſine ulla admixtione proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem, in eo amando inveniendam.* Secunda: *In ſtatu vitæ, contemplativæ, ſeu unitivæ omittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.* Vix Apoſtolica ſententia pientiſſimo Præſuli Fenelonio innotuit, humiliter ei ſe ſubmiſit, eamdem publicavit, ſimulque Epiſtolam circularem, vulgatæ prius doctrinæ revocatoriam, ſuos ad diœceſanos dedit. Exemplum profecto quo ſalubrius, eo imitatione dignius!

conſequi cupit, veluti bonum, quo beata erit: at duo in beatitudine; ſunt attendenda beatitudinis objectum, nempe Deus, & homo, qui beatitudinem adipiſcitur. Si beatitudinem ſui ipſius tantum amore cuperet homo & ſperaret, concupiſcentiæ hic eſſet amor, non amicitiæ; nec iſta vere chriſtiana ſpes eſſet; bene vero deſiderium fruendi Deo propter Deum, ut illum glorificemus, & laudemus, illique ſemper adhæreamus, licet ſeipſum homo in hoc deſiderio reſpiciat, non tamen ſeipſum unice quærit. Tunc chriſtiana eſt ſpes, cum ad fontem ſuum rivus amoris redit, *dilectionem ſui, & dilectionem illius refert in illam dilectionem Dei, qua nullum a ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Spei definitiones, quas afferunt Scholaſtici, probant non poſſe illam ſine aliquo Dei amore exiſtere, quemadmodum de fide jam diximus. *Spes*, inquit divus Thomas, *eſt virtus, qua ſperamus bona æterna & ſpiritualia* (2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 1.). Haymo ſic illam definit: *Spes eſt expectatio certa futuræ beatitudinis, procedens a gratia Dei, & a meritis præcedentibus.* Alii ita illam definiunt. *Spes eſt virtus divinitus infuſa, qua firmiter expectamus ſalutis noſtræ bonum, & vitam æternam.* Quomodo autem beatitudinis æterna & ſpiritualia bona, quæ gratiæ Dei & præcedentium meritorum ſunt effectus, ſpei objectum eſſe poſſunt, quin ille ametur, qui hujusmodi beatitudinis eſt objectum? An merita poſſunt exiſtere, quæ a caritate non proficiſcuntur, cum vitæ æternæ nulla ſit meritoria actio ſine caritate?

te? Ait sanctus Ambrosius: *Ex fide est caritas, ex caritate spes.* Cæterum beatitudinem a Deo sperare, nec illum diligere, est diabolica præsumptio, non spes christiana. *Si & credit, & diligit*, inquit sanctus Augustinus, *bene agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit ut etiam speret se ad id quod diligit esse venturum.* Sapiens in Proverbiis ait: *Non habent spem futurorum mali* (*Prov.* 24.), & in libro Sapientiæ inquit: *Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur; & tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur; & tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis* (*Sap.* 5. 15.). Hæ loquendi formulæ aperte ostendunt, posse aliquo modo dici, impiorum spem non esse spem veram, ideoque nec virtutem. At Apostolus ita definit: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia caritas diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* 5.). Meliusne potest spes christiana explicari, quæ ex caritate oritur, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffundit? Sanctus Joannes ita de spe loquitur: *Qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est* (1. *Joan.* 3.). Num sine caritate possumus sanctificari?

Idem ratio suadet. Quemadmodum sine ejus cognitione nihil potest amari, ita quin illud ametur, nihil sperari potest; illud enim tantummodo bonum speramus, quod nobis conve-

nire arbitramur, illudque diligimus, quod tale esse judicamus.

Attamen non hic ego de caritate perfecta loquor, a qua sicut & fides, spes dividi potest: dico solum spem vere christianam, qualem Christus jubet, non existere sine caritate saltem imperfecta: secus præsumptio esset, aut amoris proprii illusio, non theologica virtus. Hinc facile elicitur spem aliam esse *formatam*, aliam *informem*, sicuti & fides alia formata, alia informis existit, ut Theologi loquuntur; & utramque Dei esse donum. At certum quoque est informem hanc spem sine imperfecto aliquo Dei amore non posse agere; sicut sine aliquo Dei amore informis fides non agit.

Idem de virtutibus reliquis affirmare oportet, quæ ad quatuor Cardinales spectant, quarum caritas anima est & moderatrix; & quo ipsa plus minusve illas informat, plus illæ minusve excellunt. Inter has prima est Religio, quæ ad justitiam spectat, debitumque Deo cultum tribuit: at quis nesciat, Deum, sicuti oportet, nec coli nec honorari posse, quin diligatur? *Qui timetis Dominum*, inquit sanctus Augustinus, *laudate eum. Quis autem veraciter laudat, nisi qui veraciter amat? Tantum ergo est, ac si diceret: Qui timetis Dominum, amate Deum. Dixit enim homini sicut scriptum est: ecce pietas est sapientia. Porro pietas Dei cultus est, nec colitur ille nisi amando. Quis cultus ejus, nisi amor ejus, quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros? Hoc enim coli-*

colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur (*epist.* 120. *ad Honoratum*). Hic cultus Evangelio convenit, hic a legis cultu distat, qui exterior & carnalis erat, qui solum propter retributionem aut suppliciorum timore Deum colebat; sed non sicuti Deum, qui propter seipsum amari & meretur & jubet: *Ut hoc sit pertinere ad Testamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur*, inquit sanctus Augustinus. „Spei amor, „ait sanctus Franciscus Salesius, est amor cupi„ditatis, sed cupiditatis rectæ, qua Deum non „ad nos, nostramve utilitatem referimus, sed „illi ut felicitati nostræ ultimæ adhæremus: hoc „amore nosmetipsos cum Deo amamus; sed non „Deo aut nos anteponimus, aut æquamus. „Nostri amor cum Dei amore conjungitur, sed „Dei amor est validior; amor proprius hic „sane adest, sed veluti comes, non ut causa præ„cipua; adest nostra utilitas, sed huic Deus „anteponitur. Ut summum nostrum bonum „Deum amantes non illum ad nos trahimus, „sed nos ad illum imus: non nos Dei finis su„mus, sed ille finis noster; non ille noster est, „sed nos sui sumus (*lib.* 1. *de Amore Dei* „*cap.* 17.)

CAPUT IV.

Veræ, ſolidæque virtutes ſecluſa Caritate non dantur.

Actionum, quæ ad Dei cultum pertinent, præcipua eſt oratio; oratione ſiquidem Deum veluti Dominum veneramur. *Mendici Dei ſumus*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ante magni Patris familias januam ſtamus, aliquid ab eo petentes.* Illum ut ſupremum Dominum agnoſcimus, ſi finem noſtrum ultimum in oratione ipſum fatemur, ut & primum principium: quod ſi ipſum ut finem noſtrum ultimum agnoſcimus, in illo quieſcimus, illumque propterea amamus. Aliquidne a Deo veluti a Patre expectamus, ſi illum non diligimus, aut ſi nos, proximumve illi anteferimus? Quæ ſine amore fit, Deo non offertur oratio. *Nonne quotidie tales rogant Deum?* ait ſanctus Auguſtinus. *Non rogant Deum. Attendite, ſi poſſumus hoc dicere adjuvante Deo. Deus gratis ſe vult diligi, hoc eſt caſte amari; non propterea ſe amari, quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe, Qui ergo invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod vult ad ſe venire.*

Chriſtianorum propria virtus eſt caſtitas; ſed quomodo a Paganorum caſtitate differt, qui caſtas virgines, veſtales, maritos caſtos, pudicasque viduas habebant? Quia nempe Paganorum caſtitas Dei amore carebat, nec Deum ſpectabat: caſtum erat corpus, immunda anima, quia a corporeis voluptatibus abſtinens Deum non reſpiciebat, (ut ait divus Auguſtinus *de Nupt. & Con-*

Concup. Cap. 2.) *Abſit eum pudicum dici, qui non propter Deum fidem ſervat uxori. Quid ergo dicemus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum & peccare dicendi ſunt, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus, a quo acceperunt?* In corporis voluptate hominis felicitatem Epicurei collocabant; ſuperbi alii Philoſophi, carnem contemnentes, in ſua anima, & in ſua virtute felicitatem collocarunt: verum *illi ſecundum carnem viventes, iſti ſecundum animam viventes, nec illi, nec iſti ſecundum Deum viventes.* (*Serm. 3. de verb. Apoſt. c. 7.*) Veritatem hanc Dei Filius nos docet inquiens: *Sunt eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum;* ideſt propter Dei amorem, qui ex caritate proficiſcitur, (*Matth. 19.*).

Sacrificium quoddam eſt eleemoſyna; verum niſi ex Dei amore fiat; naturalis tantum pietatis effectus eſt erga pauperem, cui ſubvenitur, interdum vero ſuperbiæ opus. Ideo Chriſtus nos ſic admonet: *Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua,* (*Matth. 6.*). Deum igitur in paupere intueri debemus, & Jeſum Chriſtum, cujus membrum eſt pauper. *Si amas illum,* (inquit ſanctus Auguſtinus, *de Civit. l. 21. c. ult.*) *eme illum ab illo. Qui Chriſtum diligit in chriſtiano, hoc animo ei porrigit eleemoſynam, quo accedit ad Chriſtum, non quo vult recedere impunitus a Chriſto.*

Patientia est virtus, qua sine querela imm nenria mala toleramus; sed non est ipsa christia na virtus, si propter Dei amorem mala non tole rat. *Fructus autem Spiritus est patientia* (Ga *lat.* 5.); si vero Spiritus amoris est fructus, quomodo sine Dei amore esse potest? *Patientia vobis necessaria est*, (inquit Apostolus *Hebr.* 10.) *ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* An sine caritate potest Dei impleri volun tas? Possumusne, quin illum diligamus, boni delectari æternis, quæ nobis promisit? Cruciatus suos ea fortitudine Regulus passus est, qua nostri Martyres suos toleravere; sed Reguli patientia virtus christiana non fuit, quia omni carebat ca ritate. *Non intelligunt*, (inquit sanctus Augu stinus *de Patient. c.* 17.), *& quemque iniquorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda durio rem, quanto in eo major est cupiditas mundi; & quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo major est cari tas Dei.* Martyrum virtus non solum magna, sed pia fuit; imo vero illa sola virtutis nomine digna, & vera est virtus, *quæ non militat typho, sed Deo.*

Quod de virtutibus hisce singulis diximus, de reliquis omnibus dicendum est: illæ solæ chri stianæ sunt, quæ Deo serviunt, qui illas largitur. *Absit* (inquit idem Pater *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 8.), *ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter eum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos.*

Vete-

Veteres Philoſophi magnam ſe dixiſſe veritatem putarunt, quando dixerunt virtutem propter ſeipſam amari poſſe; ſed magnam dixere blasphemiam. Etenim ſi virtus propter ſeipſam potest amari, ultimum hominis finem illam eſſe oportet, aut Deum, qui eſt finis ultimus. *At virtutes* (ait idem ſanctus Doctor *lib. 4. contra Julian. cap. 8.*) *ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retuleris, etiam ipſa vitia ſunt potius, quam virtutes.*

CAPUT V.

Ut omnia opera noſtra ad Deum referamus, Caritas urget.

Ut bona & chriſtiana ſit actio, debet eſſe libera, recta intentione facta, & ad Deum referri. A peccati ſervitute, in quam inciderat liberum arbitrium, gratia liberat, & bonis faciendis operibus aptum reddit. *Veritas*, (inquit Dei filius *Joani 8.*), *liberavit vos. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Intentio debet eſſe pura. *Si oculus tuus*, (inquit idem Dominus *Matth. 6.*), *fuerit ſimplex*; ideſt ſi intentio pura eſt: *totum corpus tuum;* ideſt omnis tua actio, *lucidum erit;* ideſt bona. At hoc non ſufficit; oportet ut ad Deum actio referatur vel actualiter, vel virtualiter, ut Scholæ loquuntur (*a*). Duo in bo-

no

(*a*) Ut homo omnia ſua relatione *actuali* immediate in Deum referat, pluribus propoſitionibus, a Summa Sede protritis, velut neceſſarium Bajus aſſeruit. Catholice ſentientibus relatio operum *virtualis*, e præmiſſa actuali fluens, ſufficit. Quin immo

no opere reperiuntur juxta sanctum Augustinum officium, & finis. De bonis itaque operibus non *ex officio* præcise est judicandum, sed *ex fine* præcipue, ad quem referuntur. *Noverit* (ait Augustinus *lib. 4. contra Julian.*), *itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, & facere debere vera sapientia præcipit, peccare convincitur, quia etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Ab alienis, exempli gratia, rapiendis substantiis quidam abstinet. Hæc justitiæ actio videri potest; at si ille supplicii timore abstinet, & ne aliquid re aliena pretiosius amittat: *quomodo jam hoc factum*

---

immo relationem virtualem nedum explicitam; sed & implicitam a peccato eximere, communior, ac melior Theologorum pars tuetur. Relationem *virtualem explicitam* Titius *interdiu* habet, si quævis agenda in Deum, propter se dilectum, acta vg. *de mane* surgens direxit: relationem *virtualem implicitam* feciſſe cenſetur, ſi nulla præcedente actuali relatione in Deum, propter ſe dilectum, libere eligit actum ex objecto ſuo honeſtum, ac nulla alia circumſtantia vitiatum, puta ſi largiatur eleemoſynam ex motivo miſericordiæ; hac quippe intentione operans *explicite* & proxime particularem actus honeſtatem, *implicite* vero & ultimato ipſum Deum, totius honeſtatis fontem, & auctorem intendere, ac diligere reputatur. Tempus & circumſtantias, in quibus virtualis explicita, vel omnino actualis caritatis relatio exigitur, infra, de præcepto dilectionis agentes, cum Authore determinabimus.

factum poterit esse veræ justitiæ, cum serviat avaritiæ?

Hujus doctrinæ ratio hominis naturæ & officiis innititur. In sua creatione, ut diximus illum veluti rationalem creaturam sub se Deus collocavit, & supra reliquas creaturas corporeas veluti ipsi inferiores. Deum itaque utpote suum principium, finemque ultimum debet intueri, actiones suas omnes ad illum referre, suamque in uno illo requirere beatitudinem; fieri siquidem nequit, ut beatus sit bonum sibi æquale aut inferius possidens. *Non quod alia bona non sint.* (ait Augustinus *epist.* 56.) *sed summum id dicitur, quo cuncta referuntur. Quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui inhærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, & caritate. Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.*

Doctor Angelicus sanctus Thomas pariter dicit: (1. 2. *quæst.* 25. *a.* 7.) posse actionem bonam esse ex officio, sed non perfecte bonam, *quia deest ordinatio debita ad finem ultimum;* neque justitiam, neque castitatem veras esse posse, nisi illas ad suum finem caritas referat. Scholastici meliores eamdem sequuntur sententiam. Hanc sanctus Thomas affert rationem, quia tunc bona est actio, cum omnem suam perfectionem habet; mala vero, cum aliquid illi deest; sicuti bona res est, cui nihil deest ad sui perfectionem, mala vero, si aliquid illi desit: quemadmodum homo, non homo, sed monstrum est, si organo aliquo, aut aliqua

qua corporis sui parte careat, exempli gratia, cæcus nascatur. Primus actionis defectus est, objectum sit malum; secundus, si aliqua illi circumstantia desit. Nullum in se malum est objectum, sed relate ad rationalem hominem sunt attendenda, nec homini convenire ea possunt, quæ ejus rationi adversantur. Porro ratio hominem ad finem suum ultimum; ideſt Deum quærendum impellit: rationis nomine æternam immutabilemque legem intelligo, de qua jam diximus, quæ omnia vult ordinata, ideſt ad finem referri, ad quem sunt condita, nempe ad Deum.

At Christiani præcipue omnia opera sua tenentur ad Deum referre, ejusdem namque filii per Baptismum sunt effecti. *Videte*, (ait sanctus Joannes 1. *Joan.* 3.), *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus:* Deum Christiani Patrem suum vocant per Spiritum adoptionis, quem acceperant, *in quo clamamus Abba, Pater* (*Rom.* 8.). Hoc nomine Deum vocant in Oratione, (quam a Jesu Christo didicerunt *Matth.* 5.): *Pater noster, qui es in cælis.* Per Baptismum membra filii Dei efficiuntur, (ut inquit Apostolus *Ephes.* 4.) *Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem junctturam uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* Ecce quomodo de filii Dei corpore, cujus membrum est quilibet Christianus, loquatur Apostolus. Si membra ejus sumus, de illius vita debemus vivere, qui no-

nostrum est caput, ejus spiritu agi debemus, ejusque facta imitari. Porro ille omnia opera sua ad Patrem suum Deum referens, ejus tantum gloriam quæsivit: *Ego*, (ait ille, *Joan.* 8.) *non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me. Christus non sibi placuit*, (inquit Apostolus *Rom.* 13.) idest suimet amore nihil egit, dixitve; non se quæsivit, nec sibi complacuit. Id vero ab eo fieri adeo est repugnans, quantum fieri nequit ne bona ejus & sancta sint opera; quæ talia profecto non fuissent, si a recto suo fine aberrassent.

Hæc relatio non actiones modo Religionis, reliquarumque virtutum bonas, sanctas, & meritoritas efficit; sed infimis etiam naturalibus actionibus, quæ nobis bestiisque sunt communes, veluti edere ac bibere &c. dignitatem affert. Id aperte docet sanctus Apostolus Paulus ad Corinthios scribens: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1. Cor. 10.). Idipsum repetit in epistola ad Colossenses: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* (*Coloss.* 3.) Non de iis actionibus solum hic textus est intelligendus, quæ coram aliis fiunt, in Deique gloriam sunt faciendæ, ut ab omnibus laudetur, nam generalia sunt verba, nec secretas modo, verum etiam publicas afficiunt: *vel aliud quid facitis in verbo aut in opere* (*Ibid.*). Alioquin quod clam fit, & secreto fieri Christus jubet, veluti oratio & eleemosyna, finis excellentiam quemadmodum opus publicum non haberet; vel

sibi

sibi debitum finem hæ virtutes non haberent San-ctus Hieronymus hæc Apostoli verba explica non de publicis modo actionibus, verum etiam de occultis, de vilioribus quoque secundum na-turam, dummodo humanæ actiones sint, scilicet quæ ad finem referri possint.

Auctor Commentarii in Epistolas sancti Pauli hunc textum explicans inquit: *In gloriam Dei edere & bibere, & aliquid facere, hoc est sub in-vocatione Creatoris, & cum modestia convivium celebretur. In gloria enim Dei aliquid fit cum in actibus & conversatione Christiani Deus laudatur.*

Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus ita pariter loquitur: *Omnes ergo actus nostros Chri-sto vult socio, vult teste compleri, hac scilicet ra-tione, ut bona ipso auctore faciamus, mala pro-pter ipsius contubernium declinemus. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procede-mus e cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus sæculi actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis conservavit. In hoc nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitæ nostræ commercia refe-renda.*

Sanctus Anselmus in suo Commentario in ca-put tertium Epistolæ ad Corinthios ait: *Quæ-cumque loquimini, & quæcumque operamini, omnia facite in nomine Domini, idest nomen ejus invocate in exordio locutionis & actionis vestræ, atque sequentia verba & opera ad gloriam ejus semper dirigite.* Quid quærimus apertius? Græ-

ci

ci Patres Latinis in hoc consentiunt. Sanctus Basilius huic interrogationi: *Quomodo in Dei gloriam manducatur & bibitur?* respondet, tunc nos in Dei gloriam manducare, quando beneficiorum Dei manducantes recordamur, quod testamur exterius; quando veluti Deo inspectante manducamus; quando cibum capientes voluptatem non quærimus, ut ventris mancipia, sed veluti Dei operarii vires reficimus, ut ad ejus jussa, ejusque gloriam reddamur alacriores, (*Interrog.* 156.).

Sanctus Joannes Chrysostomus ait, nullum in nostris operibus peccatum, nullam adesse maculam, si Jesus Christus invocetur. „Sive editis „(inquit *Homil.* 9. *in cap.* 3. *ad Coloss.*) sive bi„bitis, sive uxorem ducitis, sive peregrinamini, „in Dei nomine hæc omnia facite, illiusque au„xilium poscite. Opusne aliquod vultis exordi„ri? illum prius rogate. Verbane facere vul„tis? illum præsentem considerate. Propterea „ab ejus nomine epistolas nostras exordimur. „Ubi nomen Domini, omnia ibi felicia & pro„spera; si enim Consulis nomen firma, validaque „decreta facit, multo magis id Jesu Christi no„men præstabit. Apostolus inquit: *Omnia in „Dei gloriam facite;* scilicet juxta illius voluntatem: nolite falso cultu Angelos prosequi. Si „editis, gratias Deo agite, si dormitis, vel in „plateam pergitis, idem præstate, non mundo, „non vitæ præsenti adhærentes. Omnia in no„mine Dei facite, & omnia prospere evenient.

Theodoretus hunc textum explicans ait, ab Apoſtolo omnia opera noſtra comprehendi, ſedere, ambulare, loqui, fratrum miſereri, docere; ita ut in his omnibus gloriam Dei dumtaxat quæramus.

Theophylactus in Epiſtolam ad Coloſſenſes idem docet, nimirum omnia illum in Dei gloriam agere, qui hominibus placere non deſiderat, nec inordinatum amorem ſectatur. Porro qui opus ſuum ad Deum non refert, ſed ſeipſum, ſuam voluptatem, delectationem, aut gloriam quærit, nonne inordinatum motum ſectatur?

Dubitare igitur non licet, quin Apoſtolus in hisce duobus textibus *præceptum* tradat, non conſilium. Non enim ſimplex conſilium id perſuaderet, quod ille probare intendit, nempe illos, qui oblatos idolis cibos edunt, Dei honorem non conſiderantes, nec ſalutem proximi, qui ſcandalizatur, peccare; peccatum ſiquidem ſine præcepto eſſe nequit.

Nec ſoli Veteres hanc opinionem amplexi ſunt. Sanctus Thomas textum hunc epiſtolæ ad Corinthios explicans (2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. *quæſt.* 83. *art.* 14. *quæſt.* 89. *art.* 4. *in qq. diſput. de caritate art.* 11. *ad* 2.) diſerte ait, præceptum in illo contineri, non conſilium; illumque peccare, qui actiones ſuas omnes ad Deum non dirigat; verum opus non eſſe ut relatio hæc ſemper actualis ſit, ſed ſufficere virtualem: in pleriſque Summæ ſuæ locis hanc ſententiam docet. Doctrinam hanc e primo præcepto colligit; cum enim debeat homo ex toto corde & ex totis viri-

bus

bus suis Deum diligere, non potest hoc implere præceptum, nisi actiones suas omnes ad Deum referat (1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10.) Id a sancto Augustino acceperat, qui *lib.* 1. *de Doctrina christ. cap.* 21. inquit: *Cum autem ait* (Deus) *toto corde, tota anima, tota mente; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Certum est itaque omnes Christiani hominis actiones in caritate esse faciendas: *Omnia in caritate fiant:* & in Deum referendas esse, quando relationis hujus sunt capaces, ac proinde nullam actionem in individuo, ut Scholæ loquuntur, seu singulatim existere indifferentem. Sed cum sæcularia negotia, & hominum in rebus agendis incuria, ab actuali omnium suorum operum ad Deum relatione homines impediant, ita ut, præter religiosiores quosdam, hujusce sui muneris obliviscantur; oportet ut unusquisque mane e lecto surgens diei illius actiones Deo offerat, sicque omnia sua opera ad Deum dirigat. At si quando majoris momenti opus est inchoandum, hoc singulariter ad Deum est referendum, cum tale opus peculiariter ad Dei gloriam pertineat (*a*).

CA-

(*a*) Ut Confessarius de hac operum ad Deum relatione, quotidie de mane facienda, pœnitentes omnes, præsertim rudes, sæpius moneat, & si opus, breves formulas edoceat, sublime, quo fungitur, *Doctoris* munus requirit; ad hanc quippe actionum oblationem assuefacti *peccatores* multa evitabunt peccata: *justi* accumulabunt merita.

CAPUT VI.

Caritati non adversatur, qui æternæ retributionis spe operatur.

Quæ de gratuito Dei amore, id est propter ipsum, diximus, non impediunt quo minus æternæ retributionis spe bona opera fieri possint. Caritas enim in Deum fertur, Deo frui studet, quo in cœlo tantum frui perfecte licet. Hominis centrum est Deus, suumque centrum omnia suapte natura quærunt. Amor est de bono delectatio, & sicuti præsenti bono cor adhæret, ita bonum absens desiderat. Si in bono quiescit, moveatur oportet, ut ad illud perveniat: quomodo autem movetur, nisi desiderans? Id de concupiscentiæ non minus, quam de amicitiæ amore vere affirmatur. Non est concupiscentiæ amor christiana spes, sed amor, qui æterna bona in Deo solo quærit, & expetit. Quid est dilectio, sive caritas, quam adeo Scriptura laudat & commendat, inquit sanctus Augustinus, nisi amor boni? Porro amor est amantis, & aliud amore prosequimur. En igitur tria, *amans*, *amatum*, & *amor*. Quid ergo est amor, nisi vinculum quoddam, quod res duas conjungit, vel conjungere cupit, amantem nimirum, & rem amatam.

Impurum itaque fruendi creaturis desiderium longe distat a desiderio fruendi Deo: illud a carnali cupiditate, hoc a sancta caritate oritur. Si postquam Deum fide invenimus, ait Sanctus Augustinus, quærendus adhuc ille non foret, frustra diceret Apostolus, nos expectare cum patientia quod speramus, nec tamen videmus: semper ille

est

est quærendus, quia semper est amandus. In cordibus nostris caritas diffusa est, ut id desideremus, quo habito nihil ultra desiderabimus. In caritate igitur novi Testamenti filii opera sua faciant, nec temporalem retributionem expectent, sed Dei promissionem, nempe ipsum Deum.

Credentium pater erat Abraham, & perfectæ caritatis spiritu actus profecto operabatur, cum filium suum unicum immolare paratus erat, statim ac præceptum Dei audiit. De illo sic ait: Apostolus: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus* (*Hebr.* 11. *v.* 10.). Ad præsentia, inquit Theodoretus, non inhiabat, sed futura cupiebat; hæc enim firma sunt & stabilia. Et sane ut domum suam & cognationem suam tam prompte desereret, excellentior domus erat illi expectanda. Sed antequam hæc omnia deserat, cogitationes suas omnes ad Deum debet dirigere, qui sibi ait: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis* (*Genes.* 15.); Postquam vero mercedem se illi futurum Deus promiserat, terram quoque Chanaan, & filiorum numerum ficut stellas cœli & maris arenam eidem promisit.

Populi Dei Ductor erat Moyses, & figura Jesu Christi, qui e peccati diabolique servitute humanum genus liberavit. Hic (inquit Sanctus Paulus *Hebr.* 11. *v.* 24. *& seq.*) *grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi-*

aſpiciebat enim in remunerationem: ideſt in vitam æternam. En heroica caritatis actio ſpei innixa.

Homo juxta Dei cor erat David; ille ergo juxta cor Dei operabatur. Quomodo vero agit Deus? caritate. David igitur caritate agebatur, cum tam ſæpe in Pſalmis vitam æternam exoptabat. *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Pſalm.* 16.). *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei* (*Pſalm.* 83.)? Attamen expreſſe ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem* (*Pſalm.* 118.) eſt, inquit Sanctus Ambroſius (*in Pſalm. eumdem.*) iſta *retributio regnum Cœlorum, & Paradiſi incolatus.* Optabat igitur vitam æternam, ſe beatum futurum non putans, niſi illum poſſideret, cui dicebat: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* (*Pſalm* 72.). Quem verſiculum explicans Sanctus Auguſtinus ſic mire loquitur: *Factum eſt cor caſtum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea ſervire vult Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipſum a quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipſum: præmium Dei eſt ipſe Deus; hoc amat, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor. Recedis ab igne immortali? frigeſcis, corrumperis.*

Magnus caritatis Doctor erat Sanctus apoſtolus Paulus: mirum ejus panegyricum texit (*Rom.* 13.), nihilque aliud Chriſtianis commendat. Caritatis igitur ſpiritu agebatur, quando tam vehemen-

hementer æternam vitam optabat. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo* (*Philipp.* 1. 23.). *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* (2. *Timoth.* 4. *v.* 8.). *Non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* 8. *v.* 18.). *Nam quod speramus, per patientiam expectamus* (*Rom.* 8. *v.* 25.).

Potest igitur Deus diligi, & una propter promissam retributionem possunt mandata ejus servari. Valde differunt inter se, *propter retributionem* agere, & agere *unice* propter retributionem. Qui enim mercedis solum spe bona agit, mercenarius est, non servus fidelis: hic seipsum sibi finem ultimum constituit, Deique amorem amori suimetipsius subalternum & inferiorem facit. „Hæc est, (inquit sanctus Fran„ciscus Salesius *de Amore Dei l.* 1. *c.* 17.), im„pietas non ferenda. Perfectioni igitur non „adversatur Paradisum cupere, & propter illum „agere; verum illi opponitur propter Paradi„sum dumtaxat agere, illumque ad se referre, „non ad Deum, cui gratis est serviendum, id „est propter ipsum, ut ejus æterno amore frua„mur, & fruendo illum perfecte amemus. „Christiani hominis vita cursus est caritatis, „quæ in illo per Baptismum diffunditur, & per „alia Sacramenta augetur, bonis operibus ro„boratur, & in cælo completur, ubi sola manet „veluti in regno, *cujus lex caritas*, inquit san„ctus Augustinus.

CAPUT VII.

Quid sit bona opera facere sicut oportet?

Non sufficit bona opera facere, sed faciendi sunt *sicut oportet*. Hac phrasi utitur sanctus Augustinus, quam ab illo, ut sententiam suam declararent, Arausicanum & Tridentinum Concilia accepere. Illud inquit: *Nullus potest diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, nisi gratia eum & misericordia prævenerit.* Alterum vero ita definit: *Si quis dixerit, sine prævenienti Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, anathema sit* (*Sess. 6. can. 3.*). Has voces *sicut oportet* varie explicant Scholastici; sed earum vim non omnes satis intelligunt.

Opus bonum *sicut oportet* facere, est illud ita facere, ut rectum ac bonum vere sit. Porro ut tale sit, amore justitiæ, id est Dei amore, quo gratis ametur illique serviatur, sine carnali timore aut cupiditate, illud est faciendum; nimirum quin ad nosmetipsos veluti ad finem ultimum respiciamus. Id aperte docet sanctus Augustinus: *Omnis itaque*, (ait *Ench. c. 121.*), *præcepti finis est caritas, id est ad caritatem refertur. Omne præceptum, quod fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.*

Sæpe

Sæpe hoc *sicut oportet* explicat per adverbium *recte*, id vero relate ad Deum, cum nempe gratis Deus amatur. *Hoc enim totum recte fit*, inquit contra Julianum scribens, *quando sit propter ipsum, id est quando gratis amatur ipse. Qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso.* Modo ita explicat: *Agere sicut agendum est* (*de correp. & gr. c.* 2.). Alias sic loquitur: *Agere ex animo, & cum bona voluntate facere* (*lib.* 2. *Op. imperf.*). Interdum ait: *Bonum bene facere. Quando timore pœnæ, non amore justitiæ sit bonum, nondum bene sit bonum.* Duo rursus adverbia *vere* & *bene* interdum conjungit: *Ut bonum vere bene, id est non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione faciamus* (*lib.* 2. *ad Bonif. cap.* 9.).

Veram religionem Judæi habebant; sed legis præcepta servabant solum propter spem temporalium bonorum, quæ lex illis promittebat, aut propter formidinem ea perdendi. *Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed servare sibi videbantur. Neque enim in eis fides per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.*

Hæc ex Dei amore agendi necessitas, & cum recta ultimi finis intentione, ut agatur sicut oportet, iis solis aspera videri potest, qui paganum cor, non christianum habent, & qui conditionis suæ dignitati renuunt operibus respondere; sed qui vere ad Evangelium pertinent,

quod amoris lex est, nihil asperum in hoc re perient: illorum imo amor omnem mandato rum difficultatem auferet, planamque redde viam, quam sola concupiscentia asperam facit Dicent Deo cum Davide: *Propter verba labio rum tuorum ego custodivi vias duras*, passio nes meas mortificans, nihilque concupiscentiæ tribuens.

CAPUT VIII.

Timoris bonitas, ac utilitas probatur.

Ex tradita doctrina, nempe esse opera ex cari tate & amore justitiæ facienda, ut vere bo na sint & christiana, ne quis suspicetur nos do cere, quæ ex gehennæ timore fiunt, esse mala Erronea est hæc conclusio, a qua longe distamus; eamque Tridentinum Concilium cum novis hæ reticorum erroribus damnavit. *Si quis dixerit*, inquit canone octavo Sessionis sextæ, *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de pec catis dolendo confugimus, vel a peccando absti nemus, peccatum esse, aut peccatores pejores fa cere, anathema sit.* Verum aliud extremum est vitandum, nec ideo dicere actionem quamlibet ex timore quocumque semper esse bonam; Con cilium siquidem aperte declarat, quid in pravo Lutheri & Calvini doctrina damnet.

Duo igitur existunt timores *servilis & filialis*; ille gehennæ pœnas respicit, hic Dei offensam refugit. Hic quasi filii timor patrem amantis; ille servorum est, qui, ne a dominis puniantur,

tur, timent. Optimus est filialis timor; alter non æque bonus, ad salutem tamen utilis, si nos a peccato coercet (*a*).

E sacris Litteris hæc distinctio accipitur, quæ Dei ejusque judiciorum timorem præcipue commendat. Domine, ait David, *confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* (*Ps.* 118.). *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum* (*Ps.*33.). *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* (*Ps.*111.). *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Ps.*18.). *Voluntatem timentium se faciet* (*Ps.* 144.). *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes; timor*

(*a*) Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. a. 2. o. Timorem in mundanum, servilem, filialem, & initialem dividit, hancque divisionem ita declarat: „Dicendum, quod de timore nunc agimus, secundum, quod per ipsum aliquo modo ad Deum „convertimur, vel ab eo avertimur; cum enim „objectum timoris sit *malum*, quandoque homo „propter mala, quæ timet, a Deo recedit; & „iste dicitur timor *humanus* vel *mundanus:* quando autem homo propter mala, quæ timet, „ad Deum convertitur, & ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet *malum pœnæ*, „& *malum culpæ:* Si ergo aliquis convertatur „ad Deum, eique inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor *servilis;* si autem propter timorem culpæ, erit timor *filialis;* nam filiorum „est timere offensam patris: si autem propter „utrumque, est timor *initialis*, qui est medius „inter utrumque timorem. Hac S. Thomæ Doctrina Authoris dicta mire illustrantur.

timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mor tis (*Prov.* 14.). In novo Teſtamento Chriſtu inquit: *Ne terreamini ab his qui occiduut cor pus: timete eum qui, poſtquam occiderit, habe poteſtatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete* (*Luc.* 12.). Apoſtolus ad timorem amittendi Paradiſi fideles exhortans: *Timeamu ergo* (inquit *Hebr.* 4.), *ne forte relicta polli citatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur in vobis aliud deeſſe.* Inſuper ait: *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini* (*Philip.* 2. 12.). Ad Romanos vero ita ſcribit: *Non ac cepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore* (*Rom.* 8.).

Bonus igitur timor exiſtit, qui eſt ſanctus, caritatem comitatur, ſapientiamque perficit: *Principium ſapientiæ timor Domini. Sapiens ti met Dominum, & declinat a malo. Per timo rem Domini declinat omnis a malo* (*Prov.* 1. 14. 15.)

Primus fœcundi hujusce timoris fructus eſt hominem coercere, ne exterius peccati opus committat; quamvis, ut diximus, non omnem tollat occultam peccandi cupiditatem. *Timor pœnæ*, inquit Sanctus Auguſtinus, *etſi nondum habet delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malum.*

Secundus hujusce timoris fructus eſt, non modo ſæpe hominem a pravis exterioribus actibus coercere, ſed etiam concupiſcentiæ vim imminuere, quæ ex repetitis actibus augetur. *Ex voluntate perverſa facta eſt libido; & cum ſervi tur*

tur libidini, facta est consuetudo; & cum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Idipsum sibi accidisse idem sanctus Doctor testatur (*Lib.* 3. *Confess. cap.* 2.); naturaliter siquidem homo plus dolorem timet, quam voluptatem amet; novit etenim posse a dolore vitam suam destrui, quæ sine voluptate, quam cupit, potest servari.

Tertius timoris hujus fructus est juxta sanctum Augustinum, postquam hominem ab exterioribus pravis operibus removerit, peccandi consuetudinem ab eodem prohibere, ad bonum facilius agendum disponere, & ad amandum, (ita ut *Lib.* 38. *quæst.* 36.) *incipiat gustari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis; ut caritatis libertas præ servitutis timore emineat.*

Quartus timoris fructus est peccatorem compellere, ut ad Dei misericordiam confugiat, & ab ea gratiam deserendi peccatum exoret. Idipsum, ut diximus, Tridentinum Concilium nos docet inquiens: *Per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus.* Infernus igitur est timendus, nec inter pœnas, quas pati possumus, nulla magis est timenda, solus quippe infernus proprie loquendo vera pœna est. *Modo cum dicis mihi* (ait sanctus Augustinus *Serm.* 18. *de Verbis Apost.* c. 7. & 8.) *gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum; Male times, vane times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem,*

rem, ubi dixit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quod faciant: sed eum timete, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam ignis. Ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? Ita non dicam: plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.

CAPUT IX.

Ex solo inferni pœnarumque timore perfecte non agitur.

Ut perfecte Christiani agant, agere debent ex caritate. Porro inferni timor, si solus est, caritatem adjunctam non habet: *Timor non est in caritate,* (inquit sanctus Joannes *Epist.* 1. c. 4.) Caritatem tamen timor in cor introducit. *Sicut videmus* (ait sanctus Augustinus *Tract.* 9. in *Epist. S. Joan.*) *per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem.* Idem Doctor illa sancti Joannis verba explicans egregie dicit: *Quid ergo dicemus de illo, qui cœpit timere diem judicii? Si perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam justitiam, & non haberet quare timeret, imo haberet quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in caritate. Sed in qua caritate?*

Non

Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa creſcit, ille decreſcit, & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor; minor caritas, major timor. Quotidie in Oratione dominica dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Hoc eſt diei judicii adventum optare, cum Dei regnum perfecte & in perpetuum ſtabilietur, diaboli regno jam deſtructo. Qui bonus non eſt chriſtianus Jeſu Chriſti adventum timet, etenim timet ne ſe impium damnandum reperiat. Quando autem homo vere chriſtianus eſt, Chriſti adventum optat; ſperat enim Chriſtum *in ſe inventurum pium, quem coronet.*

Hunc inferni timorem in hominis corde gratia excitat; ſed nondum Spiritus ſanctus in illorum cordibus habitat, quibus hic timor imperat. Ad Romanos ait ſanctus Paulus: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore* (*cap.* 8). Hæc vox *iterum* magnum quid ſignificat, nempe Chriſtianos ſpiritum timoris a Deo non accepiſſe ſicut Judæos, qui hoc ſpiritu Deo ſerviebant, quos non debent illi imitari. *Si alius eſſet* (inquit Auguſtinus *Serm.* 13. *de Verbis Apoſt. c.* 19.) *non diceret Apoſtolus, iterum. Idem ergo ſpiritus, ſed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione.* Agere ſiquidem debent Chriſtiani ex caritate, quæ ſecreta

creta est delectatio omnia Dei mandata suavia reddens; atque interior hæc delectatio est vera Jesu Christi gratia, quæ, ut ait sanctus Joannes, *foras mittit timorem* (1. *Joan.* 4.).

Inferni timor, si solus sit, non semper peccatum impedit, nisi forte externum; hoc tamen in voluntate manet, quæ peccatum patrare utique vellet, nisi supplicium timeret. *Sub lege est*, inquit sanctus Augustinus, *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, si sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quia mallet, si fieri posset, non esse quod timet, ut libere faciat, quod occulte desiderat.*

Hic timor, quo solum pæna timetur, est timor servilis, & carnalis, qui ideo carnem non crucifigit. *Vivit enim peccandi voluntas*, quæ in opere manifestatur, dum speratur impunitas. Quando peccator pœnam post peccatum securam timet, ab hoc externe abstinet, sed illud in corde suo committit; optaret enim ut illud sibi liceret, tristaturque id lege vetitum, nec sibi permissum, bono enim non delectatur, & carnaliter malum timet, quo terreatur. Quando ex hac tantum causa a peccato quis abstinet, verendum est ne in illud ciro labatur propter voluntatis malitiam. *Gaudeo* (inquit sanctus Augustinus *lib.* 19. *de Verbis Apost. cap.* 9.) *fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ.*

Hujus doctrinæ ratio est, quia, juxta Philosophos, quæ ex timore tantum fiunt, qui passio

est

est irascibilis appetitus, in seipsis spectata sunt aliquatenus involuntaria, sicut asserimus. Docet sanctus Thomas (1. 2. *quæst.* 6. *art.* 7.), *quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur; sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, non manet prior voluntas quæ repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Et ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium.* Qui ejus sequuntur doctrinam, eodem modo loquuntur.

Pœnarum inferni timor, si solus adsit, id est quando quis damnationem tantum timet, sicque est dispositus, ut opus faceret, nisi infernum timeret, licet opus illud Deus prohibeat, & oderit; hic timor, inquam, malam mutare non potest voluntatem: solus justitiæ amor id potest efficere. *Timor*, inquit sanctus Augustinus, *id agebat ne faceres: caritas id agit ne velis facere, etiam si impune possis admittere.* Vane quis & falso gloriatur se peccatum vicisse, quando ex solo pœnæ timore non peccat; *quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala concupiscentia intus est hostis.* Mutata sit oportet peccandi voluntas, ita ut peccatum quis oderit ex contraria bene agendi voluntate. Porro ex solo pœnæ timore, quam lex denunciat, non potest voluntas ista mutari; hoc proficiscitur ex amore justitiæ, id est ex caritate, qua opus bonum veluti bonum diligitur: secus homo peccatum vere non odit, sed id tantum, quod comitatur peccatum, nempe inferni

pœnas, aut temporalia ſupplicia. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas metuit.* Deus, qui cordis intima penetrat, hanc in eo diſpoſitionem videt, quam homines non agnoſcunt, illosque juxta id, quod in eorum cordibus reperit, judicabit. Sic qui jejunium ſervat, ideo hoc præceptum poteſt ſervare, quia inferni pœnas timet, quibus illi plectuntur, qui licet jejunare teneantur, non jejunant. Attamen ſi ſolum ex hoc timore jejunet, ſemper non jejunandi voluntatem retinet, ſi pœna vitari poſſet. Idem de iis affirmare licet, qui ex ſolo pœnæ timore ab adulterio & homicidio abſtinent. Nam ſi illis promitteretur impunitas, & hanc certo ſperare poſſent, peſſima quæque committerent: eorum quidem malitia compeſcitur, ſed non aufertur; etenim ſi poſſent, juſtitiam deſtruerent, quæ actiones punit, quas illi facere cupiunt. *Ac per hoc,* (inquit Auguſtinus *ibid.*), *quodammodo juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat?*

Denique ſolus pœnarum inferni timor, quem ad nos ipſos unice referimus, ex vitioſo amoris proprii fonte proficiſcitur. Sicuti Chriſtiano non licet bona licita propter ipſa amare, neque quod licitum eſt agere, veluti edere, bibere, ſtudere, operari &c. hæc omnia ad ſeipſum referendo, & hisce bonis, delectationibusque veluti fini ſuo ultimo adhærendo, ita neque horum bonorum jacturam propter ſeipſum timere ſine peccato ne-

nequit. Porro qualis est horum bonorum amor, talis est timor ne amittantur. Concupiscentiæ amore plerique Christiani bonis, quæ possident, delectantur: timorem quoque habent, qui ex eodem fonte promanat. Verum non tam timoris vitium hoc est, quam timentis, qui ideo malum timet, quia ab eo torquetur, id non considerans, propter quod malum ipsum timendum est, ut ait sanctus Augustinus: *In eo quod amas, vis ut bene tibi sit; in eo quod times, non vis ut male sit.*

Dicamus igitur inferni timorem bonum utilemque esse; a Deo proficisci, & ad justificationem disponere, neque actionem, quæ ex eo fit, esse peccatum. At non idem dicendum est de timore, qui infernum tanquam hominis malum considerat, neque ullo modo ad Deum respicit, cujus fruitio in inferno amittitur. Potest Christianus dicere: *Ab hoc peccato abstinere volo, me etenim Deus damnabit, si illud committam;* at nequit dicere: *Ideo solum ab hoc peccato volo abstinere, quia me Deus potest punire:* hic enim Dei hostis sermo est, ille vero servi fidelis, non autem adhuc filii, quia filialis timor cum caritate manet, illique sociatur. Tandem timenda est damnatio, non tantum quia ibi ardebit damnatus; sed ideo etiam quia damnatus Deum in æternum amittet, illumque semper odio habebit, ac blasphemabit: quo nil magis horrere Christianus debet (*a*).

CA-

(*a*) Majoris claritatis gratia cum Doctore Angelico timoris servilis *substantiam* a speciali *servilitatis modo* distinguere juvat. Pœnam pertimescere

CAPUT X.

Caritatem primum Moralis Christiana principium esse concluditur.

Quæ de caritate hactenus diximus satis declarant, hanc Ethicæ Christianæ generale esse principium, & conscientiæ casuum decidendorum regulam. Ut igitur, an bona, anve mala sit actio, judicemus, perpendere oportet, utrum ex Dei amore oriatur, an vero ex concupiscentia, aut ex sui vel creaturarum amore. Quemadmodum enim quæ ex caritate fiunt, singula bona sunt opera; ita quæ ex cupiditate proficiscuntur, mala sunt omnia, licet non æque, sed juxta varios cupiditatis gradus. Juxta hanc regulam plures circa usuram, simoniam, & restitutionem difficultates enodantur. Nam si verum fateri vellent, qui peccata ista committunt, faterentur se, antequam contractus hos licitos aut vetitos esse scirent, dilexisse pecuniam, & beneficium optasse, non ut Deum colerent, illique ser-

---

afflictivam timoris servilis *natura ac substantia* est: pœnam unice ut summum ac principale malum horrescere *accidentaria timoris servilitas* est, non ex timoris servilis natura, sed mala timentis dispositione promanans, utpote qui bono proprio adeo adglutinatus hæret, ut quamvis præceptum urgeret, ni simul pœna terreret, avulsionem a creatura nullatenus admitteret. Timor servilis *prior* bonus, a Spiritu S. immissus, cum Caritate saltem remissa sæpe hospitatur: *posterior* malus, a perversa voluntate oriundus, e Caritatis contubernio perpetuo excluſus manet. Vid. S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 4. ⊙.

servirent, sed ut avaritiæ suæ vel ambitioni faverent. Jamvero si in eis Dei amor regnaret, nec pecuniam, nec honores amarent, quoties vel minimum Dei præcepta, Ecclesiæque canones violandi periculum adesset.

Quando dives consilium petit, an ex pecunia sua fructus possit percipere, quin fundum alienet, se nobilem esse dicit, filias nuptui dandas habere, nec generum suæ conditioni parem posse invenire, nisi pecuniam paratam habeat; sterilem fore suam pecuniam, aut a furibus forte rapiendam fore, si in scrinio servetur; vel dicet se filio suo officium esse empturum, nec id posse perficere, si censum instituat. Hinc facile apparet, temporalia tantum emolumenta hominem hunc præ oculis habere. An vero Dei lex & Evangelium illius avaritiæ servire debet; an ille potius Dei, Evangeliique legem sequi? Humilis notæ homo plerumque hic erit, qui nobiles necessitudines cupiet, aut filio suo munus optabit, quod genus suum meritumque superat: licebitne illi propterea pecuniam suam dare ad usuram?

Quare vetus Ecclesia de conscientiæ casibus libros non habebat? quia videlicet sola Dei lege & Evangelio regebatur. Postquam vero legis Dei, Evangeliique amor in fidelium cordibus fere est extinctus, hi magistros sibi prurientes auribus coacervarunt, qui pravas eorum cupiditates foverent, & sibi placentia solum loquerentur. Ut illorum Deus pravam intentionem puniret, malos hos Doctores ab iis reperiri permisit, qui

non eos divinis legibus subjicere curarent, sed divina statuta eorum cupiditatibus accommodare. Hinc detestabilis illa opinio, quam Casuistæ nonnulli docuere, profecta est, licere pœnitenti quotquot potuerit Doctores consulere, donec illum inveniat, qui juxta sententiam suam sibi respondeat? Nonne hoc est in Judæorum errorem labi, de quibus Isaias queritur, qui Prophetis suis dicebant: *Loquimini nobis placentia?* (*Isaiæ* 30. *v.* 30.) Nonne primum Christiani officium, quærendi nempe veritatem, non delectationem, hoc pacto destruitur? Nonne sic in periculosa illa tempora incidimus, quæ prædixit Apostolus, *quibus homines ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent* (1. *Timoth.* 4.). Occultum hoc, ut diximus, Dei est judicium, cujus rationem investigare nequimus: videlicet permittere, ut tot Auctores, quorum profecto recta intentio est, tam periculosa scribant, eisque tam multi fideles credant.

Hanc itaque certam regulam statuamus, nempe quidquid contra caritatem, Deique amorem fit, quocumque illud prætextu tueamur; nihil prodesse, & aut mortale, aut veniale esse peccatum; nihil siquidem absque Dei amore est vere bonum, ut præcedentibus capitibus solide demonstravimus.

SECTIO

SECTIO III.

DE

SUI ABNEGATIONE TAMQUAM ALTERO CHRISTIANÆ MORALIS FUNDAMENTO.

CAPUT I.

Ut nosmetipſos abnegemus, Chriſtus præcipit, ac baptismalis promiſſio ſtringit.

Principium alterum habent Chriſtiani, juxta quod agant, & judicentur, abnegatio nimirum ſui, & creaturarum renunciatio. Dei Filius aperte hoc edixit. Apud ſanctum Matthæum diſcipulis ſuis dicit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* (*cap.* 16. *v.* 24.). Sanctus Lucas, ut oſtendat abnegationem hanc a Domino fidelibus omnino eſſe præceptam, ait: Et dicebat ad omnes: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me* (*cap.* 9.). Alibi vero exempla hæc adhibet inquiens: *Quis ex vobis volens turrim adificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum? Aut quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Alioquin rogat ea quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui*

non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*cap.* 14.). Tres isti textus perspicui adeo sunt & aperti ad abnegationis & renunciationis hujusmodi necessitatem probandam, ut aliter explicari nequeant, quin rationis, pietatisque sensus omnis repudietur. Dici nequit id solummodo esse consilium datum Apostolis eorumque successoribus, Presbyteris, Monachis, atque iis qui christianam perfectionem sectantur; sanctus enim Lucas, ut observavimus, ait: *Et dicebat ad omnes.* Hanc sui abnegationem omnes debent exercere, nemini siquidem licet seipsum diligere amore proprio, qui est omnino vitiosus, cum ipsa sit concupiscentia, cui, ut diximus, assentiri non licet. *Actualis* vero divitiarum renunciatio non omnibus est præcepta, non enim debet quisque renunciare *omnibus quæ possidet.* Hoc Jesus Christus consilium illis tradit, qui evangelicam perfectionem consequi volunt: *Si vis perfectus esse,* (ait adolescenti *Matth.* 19.) *vade & vende omnia quæ possides, & da pauperibus.* Verum quoad *affectum*, & mentis voluntatisque præparationem a cunctis fidelibus hæc renunciatio est exercenda. Nemo scilicet fidelium corde suo adhærere debet divitiis, aut mundo, aut iis quæ in mundo sunt. *Nolite diligere mundum* (inquit sanctus Joannes *Epist.* 1. *c.* 2.) *neque ea quæ in mundo sunt.* Mundum diligere est velle mundo frui, mundi bonis adhærere, in iis finem suum ultimum statuere, in iis beatitudinem suam quærere, ideoque ad seipsum illa referre, quod nemini licet, ut ex iis, quæ de concupiscentia diximus, clare liquet.

Reli-

Reliquum eſt (ait Apoſtolus, 1. *Cor.* 7.) *ut, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur;* nempe juxta græcum textum, *tamquam non valde utantur.* Vita enim chriſtiani hominis tunc bona vel mala eſt, ſi bene aut male utatur & fruatur. *Nec eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus, *vita hominum aliunde vitioſa atque culpabilis, quam male utens & male fruens.*

Magnus ſanctus Gregorius allata ſancti Lucæ verba explicans egregie ſic ait: *Admonere vos volo ut relinquatis omnia, ſed non præſumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non poteſtis, ſic tenete ea, quæ mundi ſunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res poſſideatur, non poſſideat, ut ſub mentis veſtræ ſit dominio quod habetis, ne ſi mens veſtra terrenarum rerum amore vincitur, a rebus ſuis magis ipſa poſſideatur. Sit ergo res temporalis in uſu, æterna in deſiderio; ſit res temporalis in itinere, deſideretur æterna in præventione, quaſi ex latere reſpiciatur quidquid in hoc mundo agitur; ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conſpiciunt, ad quæ pervenimus.*

Chriſtianæ vitæ perfectio eſt veluti ædificium turris, quæ ad Cœlum usque pertingit; fundamentum illi neceſſarium eſt altitudini ſuæ par, ideſt ſui omniumque creaturarum abnegatio, vel in mentis, voluntatisque *præparatione*, quod ad omnes ſpectat, vel *actu*, quod ad illos pertinet, qui ad id præcipue ſunt vocati, veluti Religioſi. *Militia eſt vita hominis ſuper terram* (*Job.* 7.). *Induite vos* (inquit ſanctus Apoſtolus Paulus *Epheſ.* 6.),

6.), *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Hujusce sæculi Princeps fortior homine videtur; omnes quippe creaturas possidet, ut hominem fallat, illumque pertrahat ad inordinate illas amandas. Diabolo itaque est resistendum, illique objicienda abnegatio creaturarum omnium, quas contra nos armat. Cum homo ad perfectam hanc abnegationem pervenerit tunc pace fruitur, victa jam concupiscentia, quæ adversus mentem pugnabat.

Nec externa solum bona hæc abnegatio comprehendit, sed mentem præcipue voluntatemque respicit. Oportet igitur ut homo vere fidelis proprio judicio renunciet, ut se Jesu Christi legi subdat, fidem sequens, & divinæ se voluntati committens, ut prudentiæ suæ, affectibusque renunciet, sive in rebus agendis, sive in vitæ casibus. *Et fortasse* (inquit idem sanctus Gregorius *hom.* 32. *in Evang.*) *laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare, quod habet, valde autem multum est abnegare, quod est.* „Sui ipsius abnegatio, ait Sanctus Basilius, vitæ „veteris in vitiis actæ integra est renunciatio, & „a propria voluntate discessio.

Quis dubitet debere Christianos omnes propriam relinquere, ut Dei voluntatem impleant? Nonne in dominica Oratione quotidie clamant: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Religiosi, qui Regulæ & Superiori obedientiam voverunt, perfectius, exactiusque hoc exequuntur, homini siquidem propter Deum obediunt: æque ac

ac religioſus, tenetur laicus non ſuam, ſed Dei voluntatem exequi, quam illi Evangelium, ſuique Paſtores declarant; & quæ in variis vitæ caſibus providentiæ ordine ſe prodit (*a*).

CAPUT II.

Crucem ſuſcipere, ac Chriſtum ſequi, veri Chriſtiani officium eſt.

Porro non ſufficit ſibimetipſi, creaturisque renunciare, crucem quoque quotidie ferre oportet, & Chriſtum ſequi. Præceptum hoc ad omnes ſpectat Chriſtianos, qui capitis ſui vitam, crucifixam nempe vivere debent, & cum illo pa-

ti,

(*a*) Caſuiſtæ, mollioris doctrinæ obſoniis enutriti, ea, quæ hac, & præcedente Sectione leguntur, parum curant; eoquod Aſceſin potius quam Theologiam ſapere; conſiliorum magis, quam præceptorum moralium naturam redolere ipſis videantur. Bene ſit. Chriſtus itaque Apoſtoli, & Patres (ex quorum doctrina Reverendiſſ. Author ſuam hauſit) mera conſilia, non vivendi præcepta tradiderunt, primique Chriſtiani a ſuis Paſtoribus non Theologiam ſed Aſceſin acceperunt. Qui ergo *exactam* Theologiam moralem deſiderat; qui plurima, ſub confuſaneo prius *obligationum* cumulo obtruſa, modo in diſtincto ac bene ordinato *conſiliorum* catalogo collocata videre cupit, jam non Apoſtolos, non antiquos Patres; ſed juniores Doctores conſulere debet, quidquid demum dicat Leo Magnus (pag. 67.) utcunque repugnet Zeloſiſſimus Galliæ Clerus (pag. 89. in Not.) Proh abſurditatum monſtra! O ſi priſtina rediret, & ubique Moralis vigeret, quam felix Orbis Chriſtianus foret!

ti, mortemque oppetere, si cum illo regnare cupiunt. *Si compatimur*, (inquit Apostolus *Rom.* 6.), *& conregnabimus.* Crucem tulere Martyres, qui divitias, vitamque suam contempserunt ut Filii Dei nomen confiterentur. Cessavit persecutio, at cruces non desunt: conditio omnis omnisque ætas suas habet. Morbi, aliique cruciatus sunt cruces, quas homines ferre debent. Afflictiones, bonorum honorisque jactura, calumniæ, injuriæ, injustæ sententiæ, potentum persecutiones, sunt cruces, quæ patienter, dum premunt, ferendæ sunt: cum vero absunt, paratus debet esse animus ad eas venientes libenter excipiendas. Apostolus enim ita nos admonet: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (2. *Tim.* 1.); sive a diabolo, sive a semetipsis, sive ab hominibus.

Hujus obligationis ratio ab ipsa christiani hominis natura petitur; christianus siquidem est homo novus, qui secundum illum, quem induit, nempe Jesum crucifixum, vitam debet instituere. Porro Christus ab ipso vitæ suæ exordio crucem tulit, De ipso enim ait Apostolus: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio* (*Hebr.* 10.). A primo igitur conceptionis suæ momento Patris sui voluntati obsequens, illamque exequi desiderans crucifixus est. Hinc statim post nativitatem sanguinem suum fudit in circumcisione; ideo ait per Prophetam (*Psalm.* 36.): *In laboribus a juventute mea:* denique (*Hebr.*

(*Hebr.* 12.): *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.* Propterea chriſtiani hominis, qui hujusce corporis membrum eſt, & a nativitate ad mortem usque crucifixa debet eſſe vita.

Tunc naſcitur chriſtianus, cum baptizatur; ſanctus vero Paulus ait: *Quicumque baptizati ſumus, conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem* (*Rom.* 6.). Quare non dixit Apoſtolus baptizatos nos eſſe in Chriſti nativitate, vel circumciſione, aut baptiſmo, qui baptiſmi noſtri propria erat figura? Ideo ſane quia peccato mori debemus, nec peccato jam vivere; ſicut *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* 6.). Hoc nos præcipue docet Apoſtolus, ut baptizati cum Chriſto moriamur, ejusque morti & cruci participemus. *Baptiſmus*, inquit Sanctus Ambroſius, *Salvatoris nobis eſt ſepultura, quia & ibi perdidimus ante quod viximus, & ibi denuo accepimus unde vivamus. Magna ſepulturæ hujus eſt gratia, qua nobis & utilis mors infertur, & vita utilior condonatur.*

Inter cæremonias, quas vetus Eccleſia in adultorum Baptiſmo adhibebat, potior erat renunciatio, quæ nunc quoque in Baptiſmate adhibetur. Sacerdos namque ait: *Abrenuncias Satanæ, & pompis ejus?* Reſpondet pro infante Patrinus: *Abrenuncio.*

Ante Eccleſiæ januam olim id fiebat, ut diſceremus diabolo, mundo, ſibimetipſi renunciandum eſſe, antequam Eccleſiam quis ingrediatur. Nudi baptizabantur, ut ſic oſtenderetur creaturarum amo-

amorem esse abdicandum: recti stabant, & a occidentem versi (*Dionys. de cæl. Hier. Greg. Naz. or.* 40.). *In mysteriis primum*, inquit Sanctus Hieronymus, *renunciamus ei, qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis; & ad versus orientem pactum inimus cum Sole justitiæ & ei nos servituros esse promittimus.* Extendebatur manus veluti ad bellum præsenti diabolo denunciandum; postea ad cælum manus tollebatur; denique ter Catechumeni exsufflabant ad dæmonem repellendum.

Toto itaque vitæ suæ tempore reminisci debent Christiani, se in baptismate mundi principi diabolo, ejusque pompis renunciasse. *Repete*, ait Sanctus Ambrosius, *quid interrogatus sis, recognosce quid responderis.* Quomodo illis licebit delectari mundo, vanitates ejus sectari, pompas, voluptates, quibus tam solemniter renunciarunt? Si Religiosos apostatas detestamur, qui vota sua frangunt, nonne detestandi sunt Christiani, qui mundo serviunt, quem numquam se amaturos jurarunt? Licebitne ipsis mundi dogmata sectari, ejusque spiritu vivere, qui vanitatis, superbiæ, philautiæ spiritus est? Poteruntne pravi isti affectus excusari, veluti recentes nonnulli Casuistæ conati sunt, qui pravis cupiditatibus fræna laxant, quasi ad mediocritatem velint illas adducere, vel id solum sufficiat, ne ad manifesta externa peccata nos pertrahant?

Neque crucem modo ferre sufficit, verum Christum etiam sequi oportet: *Et sequatur me.* Ideo enim sibimetipsi, omnibusque quæ possidet renun-

renunciare quis debet, quia sui ipsius & creaturarum amor ab Jesu Christi amore nos avocat. Propterea inquit Christus: *Si quis non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* 14.). Fuere Philosophi, qui bona sua reliquerunt, ut Philosophiæ liberius vacarent, veluti Thales Milesius: magnos alii sine querela toleravere cruciatus, ut Anacharsis, & Stoicorum discipuli; sed neutri Deo vero servierunt, ideo bonorum contemptus, & in cruciatibus patientia nil illis profuit. Non sufficit igitur omnia relinquere, sed Jesu Christi sectanda sunt vestigia. Quonam vero pacto Christum sequimur? non modo illi credendo, sed ejus patientiam imitando. „Amore „Christi pati, inquit sanctus Joannes Chrysosto„mus, est recte pati. Ille Christum sequitur, „qui non modo patienter, verum etiam modeste „& humiliter patitur. Christum sicut oportet „sequitur, qui omnia propter illum suffert. „Multi sequentes diabolum plura patiuntur, & „vitam amittunt; quam utilius, ut salvi fierent, „tradere possent.

Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Joan.* 15.). Item alibi: *Ego non sum de hoc mundo: Non pro mundo rogo.* Sanctus Paulus ait: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo* (*Galat.* 6.); ideſt mundum execror,

cror, & deteſtor. *Non enim ſpiritum hujus mundi accepiſtis. Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Sapientia hujus mundi ſtultitia est apud Deum* (1. Cor. 2.). Addit Sanctus Jacobus: *Amicitia hujus mundi inimica eſt Dei* (Jac. 4.).

Juxta hæc principia & veritates pœnitentes examinare, eorumque opera judicare debet Confeſſarius (*a*). Si mundi amore hæc fiunt, profecto mala ſunt; ad illa condemnanda libros evolvere non eſt opus, damnationem in ſeipſis habent inſcriptam. Hinc plures circa bonorum vel famæ reſtitutionem difficultates enodabit. Multos enim exempli cauſa a reſtitutione retardat amor bonorum, quæ injuſte acquiſiverunt, & quæ ad pompam, voluptatemque ſervare cupiunt. Quibus niſi corde adhærerent, ſicut illis vetat præceptum abnegationis ſui, & creaturarum, non ægre illa dimitterent; *non eſt* ſiquidem, ut jam cum Sancto Auguſtino diximus, *in carendo difficultas*,

(*a*) Juxta hæc principia ſi ſuos Pœnitentes inſtruere, examinare, & dijudicare Confeſſarii tenentur; væ Confeſſariis illis, qui ipſimet hæc craſſe ignorant, juxta illud Iſa. 56: *Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam.* Væ etiam illis! Qui hæc ſe noſſe ore confitentur, factis tamen negant! Qui ſuos pœnitentes nædum a mundi ſequela hortando non retrahunt; ſed continuis, ut vocant, diverſionibus, vanis & adulatoriis confabulationibus, mundanisque moribus ad periculoſum ſenſualitatis tramitem terendum in dies magis, ac magis inducunt. Eheu! Quam durum aliquando Judicium iniquis hisce Judicibus erit?

cultas, niſi cum eſt, in habendo cupiditas. Idem, ubi de honore agatur, eſt ſtatuendum; non enim qui colaphum, aut baculi ictum accepit, offenſorem interficeret, vel cum illo in duello congrederetur, ſicut novi quidam Caſuiſtæ licitum eſſe docuere, ſi a Deo oblatam crucem ferre vellet, mundique honorem contemneret, quemadmodum contemni a Chriſtianis Dominus jubet.

TRACTATUS III.

DE PECCATIS IN GENERE ET IN SPECIE.

SECTIO I.

DE PECCATIS IN GENERE.

CAPUT I.

Peccati notio, & conditiones exponuntur.

Plures peccati definitiones Sanctus Augustinus affert. *Peccatum*, inquit, *est voluntas retinendi vel consequendi id quod justitia vetat, & unde liberum sit abstinere. Peccare nihil est aliud, quam neglectis æternis temporalia sectari. Peccatum est hominis inordinatio & perversitas, ideſt a præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio, Peccatum est legis transgressio.* Verum definitiones istæ omnes hac, quæ principalis est, comprehenduntur: *Peccatum est dictum, vel factum, aut concupitum contra legem æternam (lib. 2. contra Faustum c. 27.).* Non ait contra legem Dei, aut contra rationem, sed *contra legem æternam*, quæ est Dei ipsius ratio, ut jam docuimus: quo

leges

leges omnes continentur, ſive naturalis, ſive poſitiva a Deo tradita, ſive humana, tunc enim iſtæ vim legis habent, cum ad legem æternam referuntur, illique ſunt conformes. Lex iſta æterna præcipit, ut homo ad Deum pergat, & in Deo delectetur, non in ſeipſo, aliave creatura. Definitio, quæ in Scholis communiter traditur, in idem redit. Peccatum eſt, inquiunt Doctores, a Deo averſio, & converſio ad creaturam; Deus enim tantum, aut creatura amari poſſunt: quo autem creaturæ plus minusve adhæremus, magis, aut minus peccamus. Hæc lex æterna, *ordinem ſervari jubens, & perturbari vetans*, Chriſtianos compellit ad parendum Eccleſiæ legitimorumque Superiorum præceptis, quæ dum violantur, peccatur.

Nullum exiſtit peccatum, quin ſit voluntarium (a). *Usque adeo*, (inquit Sanctus Auguſtinus

(a) Voluntarii notionem (ſicut multas alias) Author ex Theologia, & Ethica naturali hauſtas ſupponit. Philoſophis ille actus eſt *voluntarius*, qui procedit a principio intrinſeco cum cognitione finis. Quodſi talem actum indifferentia judicii ex parte intellectus præceſſit, actus nædum voluntarius; ſed & *liber* erit. *Indifferentia* judicii illum actum præceſſiſſe reputatur, cujus objectum ceu bonum particulare, ac imperfectionibus mixtum, adeoque abſolute vel amore vel odio dignum voluntati intellectus propoſuit, aut ſaltem proponere potuiſſet; ſi vero objectum ceu univerſale, ac purum bonum, nullis imperfectionibus conſperſum voluntati fuerit præſentatum, voluntas non libere, ſed neceſſario in illud ruet.

nus *lib.* 3. *de lib. arbitr. c.* 18. *& de vera Relig. c.* 14.) *peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Igitur poſt primum Adæ peccatum liberum arbitrium in homine manſit, *viribus licet attenuatum & inclinatum*, ut Tridentinum Concilium loquitur poſt ſecundum Arauſicanum. Quamobrem idem ſanctus Doctor ait, a ſe traditam definitionem peccati, *unde liberum ſit abſtinere*, proprie loquendo ad primum dumtaxat peccatum pertinere ab Adamo commiſſum, cujus ſana prorſus erat voluntas, non ad poſterorum illius peccata, quorum voluntas ſibimetipſi relicta corrupta eſt, & concupiſcentiæ ſubjecta, & quæ non ſolum peccata ſunt, ſed etiam pœna peccati. *Iſta definitio*, (inquit Auguſtinus *lib.* 1. *oper. imperf. c.* 104.) *peccati ejus eſt, quod peccatum tantummodo eſt, non quod etiam pœna peccati.* Quare juxta Auguſtinum non eſt neceſſe, ut hominis voluntas ita ſit libera, quemadmodum erat in Adam. In illo enim nullis concupiſcentiæ motibus ad malum urgebatur; fiebant tunc *omnia per illam, nihil*

Unde voluntarium in *liberum* & *neceſſarium* communiter diſpeſcitur; non hoc, ſed illud ad peccandum vel merendum ſufficit. Urbanus VIII. id clare docuit, dum anno 1641. hanc numero tertiam in Janſenio damnavit propoſitionem: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate; ſed ſufficit libertas a coactione.* i. e. nuda voluntarietas neceſſaria.

Alias actus voluntarii, & liberi diviſiones apud obvium Authorem Scholaſticum invenies.

illi propter illam; poterat tunc ad Deum tolli, atque in illum veluti finem ſuum ferri *pulcherrimis & liberrimis pennis.* At in ejus filiis concupiſcentiæ & peccati jugo ſubjacet voluntas, ut queritur Apoſtolus: *Video alium legem captivantem me in lege peccati* (*Rom.* 7.): ſine medicinali Jeſu Chriſti gratia concupiſcentiæ tantum ſervit, & in creaturas, atque in omne peccatum fertur. Attamen cum peccant homines concupiſcentiam ſectantes, illique morem gerentes, libere peccant; peccant enim propter peccandi voluptatem, a qua abſtinere poſſent, ſi vellent. *Liberum arbitrium* (inquit ſanctus Auguſtinus *lib.* 1. *ad Bonif.*), *uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccati peccant.* Porro adeſt libertas, ubi actionis cauſa eſt voluptas. Hæc vero voluntas abſtinendi a peccato, non ab homine, ſed a Deo proficiſcitur, qui pro libitu ſuo illam impartitur. *Sed hanc quoque,* (ait Auguſtinus *lib.* 2. *Retract.* cap. 1.), *ad bene vivendum deſuper accipimus potiſtatem, cum præparatur voluntas a Domino. Semper in nobis voluntas eſt libera, ſed non ſemper bona.*

Nunc, (inquit Auguſtinus *de Nat. & grat.* c. 43.), *de illo agitur, quem ſemivivum latrones reliquerunt, qui gravibus ſaucius, confoſſusque vulneribus non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere;* niſi prius a pio Samaritano ſanetur.

Quatuor ſunt potentiæ animæ, (ait S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3.), *quæ ut virtutum ita*

& vitiorum subjecta esse possunt, pro quarum debito ordine per peccatum destitutarum, (quæ destitutio vulneratio naturæ dicitur) numero quatuor naturæ vulnera, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili, convenienter enumerantur.

Ad bene agendum gratia modo egemus, quæ nos sanet & roboret, ad male vero agendum integra in voluntate mansit libertas. Id docet Apostolus inquiens: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem (Rom. 6.).* Hæc ad male agendum libertas est vera servitus, quemadmodum justitiæ servitus est vera libertas. Sanctum Augustinum Pelagiani accusabant, quasi Manichæorum renovaret errorem, & voluntatem substantialiter malam esse doceret; quia constanter & invariabiliter docebat, post Adæ peccatum sine Jesu Christi gratia non posse in homine liberum arbitrium bonum agere. Illis respondet, hominem, cui bona creatura est, sed mutabilis, in deterius propria voluntate esse mutatum; hinc ejus natura vitiata & corrupta serva facta est, non alterius substantiæ, ut blasphemabant Manichæi, sed peccati sui. *Qui facit peccatum,* (inquit Dei Filius *Joan. 8.*), *servus est peccati. A quo quis superatus est, hujus & servus est* (2. *Petr. 2.*). *Petri Apostoli,* ait sanctus Augustinus, *est ista sententia, quæ cum vera sit, qualis, quæso, potest esse servi addicti libertas, nisi*

quan-

quando cum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui domini sui voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Hanc vero libertatem sola gratia largitur: *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quis de libero arbitrio in bono opere glorietur?* Duo igitur extrema in hac materia sunt vitanda: primum, ne libero arbitrio nimium tribuatur, quæ est Pelagianorum hæresis; aliud, ne nimium vis ejus imminuatur; quæ Lutheranorum & Calvinistarum hæresis est. Inter utrumque catholica graditur Ecclesia, mediumque tenet; ubi veritas consistit. Ipsa confitetur hominem in peccati statu, in quo modo nascitur, semper liberum esse; sed hanc libertatem peccato esse sauciatam; nec posse sine Christi gratia bonum agere; in malum pronum esse, nec sine Liberatoris sui auxilio posse peccatum vincere, licet liberrime peccet.

CAPUT II.

Peccati divisio traditur.

Varie peccatum dividitur juxta varia objecta, quæ respicit, & a quibus opera specificantur. Peccatum aliud spirituale est, & aliud carnale; creatura enim, ad quam convertimur, & qua peccando frui desideramus, aut sensibus, aut mente attingi potest. Si primo modo ad eam convertimur, ista sunt peccata *carnalia*; si secundo modo, *spiritualia*. Cum hæc neque tam manifesta sint, neque tantam afferant infamiam, ple-

rique hominum illa non formidant, nec caven
fatagunt; ſæpe etiam neque illa animadvertunt
neque, poſtquam ea commiſerint, illorum pu-
det: plerumque tamen graviora ſunt, magisque
Deo inviſa, quam carnalia. Mente ad Deum
tendimus, cui ſpiritu ſerviendum eſt, & mente
ab eo recedimus. Ideo ſpiritualia peccata plus
Deo averſionis habent, unde ſunt graviora. Præ-
terea ſpiritualia peccata Deum proprie lædunt,
qui ſuper omnia eſt diligendus.

Immundus ſpiritus dæmon vocatur, non quod
carnalibus immunditiis inquinetur, ſed quia in-
quinatur ſuperbia, quæ ſpiritualis eſt fornicatio.
Ideo Apoſtolus ita nos admonet: *Mundemus
nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*
(2. *Cor.* 7.).

Secundo dividitur peccatum in originale, &
actuale. *Primum* ab Adamo fuit commiſſum,
quin ignorantia ulla intellectum ejus obumbra-
ret, vel prava aliqua concupiſcentia voluntatem
ejus turbaret, vel infirmitas aliqua liberi ejus ar-
bitrii vim imminueret. Sed propter malum pro-
priæ excellentiæ deſiderium, & propter culpabi-
lem libertatis amorem, quo ægre divino ſubji-
ciebatur mandato, quod erat, ut ait ſanctus Au-
guſtinus, *tam leve ad obſervandum, tam breve ad
memoria retinendum;* & quod datum illi fuerat
in ſubjectionis & dependentiæ ſignum, qua ejus
voluntas Deo ſubdi debebat. Tunc *voluntas cu-
piditatem, non voluntatem cupiditas duxit: non
præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati.* Hoc
originale peccatum a pueris naſcendo contrahi-
tur,

tur, voluntarium est in Adami voluntate, in qua veluti in principio seu capite omnium hominum voluntates continebantur: ideo ait Apostolus: *In quo omnes peccaverunt* (*Rom.* 5.). Hæc culpa Baptismo tollitur, sed in baptizato pæna manet, quæ est concupiscentia, de qua jam diserimus. *Nihil*, (inquit sanctus Augustinus *de morib. Eccles. c.* 2.) *ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Hujus Philosophi noverunt effectus, idest miserias, quibus hominum naturam subjectam esse dolebant, sed eorum causam ignorabant. Hanc præ cæteris antiquis Patribus sanctus Augustinus declaravit, lumenque illi Deus tradidit ad omnem ejus malignitatem detegendam, ut gratiæ Filii sui hostes refelleret, qui gratiæ necessitatem negabant, infirmitatis magnitudinem, qua hominum natura premebatur, non intelligentes, cui medendæ gratia requiritur. Denique doctrinæ christianæ hic cardo est; pravæque omnes opiniones circa gratiam, liberum arbitrium, prædestinationem, & reprobationem, ab hujus solum ignorantia promanarunt originalis corruptionis, sub qua cuncti filii Adam gemunt.

Actuale peccatum est illud, quod homines ratione & libertate utentes propria voluntate & malitia committunt.

Tertio, spectata lege divina, peccata alia sunt commissionis, alia omissionis. *Prima* legem negativam violant, idest vetita ab illa committunt, videlicet homicidium, adulterium, & his similia: *secunda* legem affirmativam lædunt, quæ videli-

cet aliquid faciendum præcipit, veluti Deum d ligere, illique ſervire, honorare parentes, cætera. Hæc ſecunda non adeo ſollicite vita tur, quamvis gravia admodum ſint, ac propt illa multi pereant. Peculiari capite de h agemus.

Quarto perſonæ, quas peccatum lædit, alia peccatorum dant diſtinctionem; quædam etenim peccata fiunt contra Deum, quædam contra pr ximum, quædam contra nosmetipſos. Hu ſanctus Apoſtolus Paulus nos admonet: *Ut ſo brie, juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo:* (Tit. 2.) *Sobrie* innocentiam declarat, qua quilibet viv re debet: *Juſte* proximum reſpicit, qui nullo nus eſt lædendus: *Pie* ad Dei cultum pertinet.

Quinto peccata alia ſunt cordis, alia oris alia operis, quæ ſolum juxta hos gradus in ea dem ſpecie differunt. Intra *cor*, deſiderio m mirum, initio fit peccatum; *ore* deinde, alio exteriore ſigno manifeſtatur; tandem *opere* com pletur.

Sexto denique mortalia quædam ſunt pecca ta, quædam vero venialia; quæ differentia reb quas omnes complectitur, licet ſæpe difficil cognoſcatur (*a*). Tanta ſcientia præditus ſan Chu

(*a*) De omnibus & ſingulis peccatis, ſintne mortalia vel venialia, certo pronunciare velle, temera rium foret. Nihilominus Theologi tres paſſim regulas tradunt, queis attentis quorumdam pec catorum gravitas, vel levitas certo; multorum probabiliter dignoſci, ac determinari poteſt. Prim

tus Augustinus hic hærebat, omnique adhibita diligentia hanc se distinctionem sæpius non intelligere affirmabat, addebatque: *Quæ sint levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio (lib. 21. de Civit. Dei cap. ult.).* Omnia æqualia esse peccata ajebat Jovinianus, quod a Stoicis hauserat; sed adeo ridicula est hæc opinio, ut solo communi sensu

---

Prima Regula *Scriptura est;* unde peccata, quæ in Scripturis dicuntur excludere a regno Dei, esse abominabilia, detestanda, execranda, morte digna, item quæ væ, aut aliam maledictionem adjunctam habent, mortalia sunt; quæ autem remissioribus terminis efferuntur, venialia.

Secunda Regula *Traditio.* Quæ proin ex communi sensu Patrum, Episcoporum, & Doctorum habentur in Ecclesia pro mortalibus, censenda sunt mortalia; quæ pro venialibus, censenda sunt venialia; quia jure præsumitur, Deum Ecclesiam suam in re tanti momenti non deserere, neque permittere, ut in animarum perniciem errore communi decipiatur.

Tertiam Regulam *Ratio* naturalis suppeditat. Hinc, quæ secundum rectam rationem graviter lædunt caritatem Dei, & proximi, sunt mortalia; quæ leviter, sunt venialia. Ad discernendum vero, an graviter, anve leviter lædant caritatem, multa sunt consideranda. 1. Natura actus, an admittat, vel non admittat levitatem materiæ. 2. Actionis objectum, finis & circumstantiæ. 3. Tenor legis, & pæna annexa. 4. Intentio actualis, vel præsumpta legislatoris. 5. Peccantis consensus perfectus vel imperfectus, ex ignorantia, infirmitate, vel malitia &c. præstitus. Ita fere P. Billuart Tr. *de peccat.* diss. 8. in Append. ad art. 2.

sensu ejus falsitas deprehendatur. Juxta Pe
gium cuncta reproborum peccata sunt mortal
electorum vero cuncta venialia: ab hoc ad alius
pergebat errorem, affirmans hominem in hac
vita sine peccato esse posse, atque in natura lu
ge, in lege scripta, & Evangelica plures hom
nes sine peccato ullo vixisse. Lutherus, & Ca
vinus decimo sexto sæculo docuere, omnia ele
ctorum peccata natura sua esse mortalia: veru
a Dei misericordia illis hæc non imputari, &
veluti venialia puniri. Contra Ecclesia catholi
ca semper mortalia & venialia peccata agnovit
prima, quæ animæ vitam auferunt, justificans
gratia ipsam privando, Deoque inimicam red
dendo; *secunda* vero, quæ Divinæ Majestat
eam minus acceptam reddunt, veluti scabie
qua pulchra facies fœdatur, ita ut horum fa
cilius venia impetretur. In Evangelio Christu
Jesus de ira loquens tres iræ gradus distinguit
primus est involuntarius iræ motus, qui præs
dis judicium meretur; alter, cum in levem ali
quam injuriam ira prorumpit, aliquam pœnam
meretur; tertius, qui gravem infert injuriam,
gehenna ignis punitur: *Omnis, qui iratus fuerit
fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit
fratri suo raca, reus erit concilio. Qui autem
dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* 5.)
Idem Dominus de festuca & trabe in oculo dif
ferens (*Matth.* 7.), venialis mortalisque peccati
distinctionem perspicue ostendit; festuca siqui
dem est trabe longe levior. *Stoici*, (inquit san
ctus Thomas 1. 2. *q.* 73. *ar.* 2.), *ducebantur ex
hoc, quod considerabant peccatum ex parte priva-
tio-*

tionis tantum, prout scilicet recessus a ratione, unde simpliciter æstimantes, quod nulla privatio susciperet magis & minus, posuerunt omnia peccata esse paria. Sed si quis diligenter consideret, inveniet duplex privationum genus. Est enim quædam simplex & pura privatio, quæ consistit quasi in corruptum esse, sicut mors est privatio vitæ, & tenebra est privatio luminis, & tales privationes non recipiunt magis & minus, quia nihil residuum est de habitu opposito. Est autem privatio non simplex, sed aliquid retinens de habitu opposito, quæ quidem privatio magis consistit in corrumpi, quam in corruptum esse, sicut ægritudo, quæ privat debitam commensurationem humorum. Et ideo similiter dicendum est de vitiis & peccatis. Et ideo multum interest ad gravitatem peccati, utrum plus vel minus recedatur a rectitudine rationis. Et secundum hoc dicendum est, quod non omnia peccata sunt paria (a).

CA-

(a) Nonnulli Casuistæ hisce divisionibus aliam novam superaddere, ac peccatum in philosophicum, & theologicum distinguere sunt ausi. *Peccatum philosophicum* (inquiebant) *seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero & mortale est transgressio libera Legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Ast nædum ut superfluum, sed omnino ut nocivum hoc auctarium Alexander VIII. rejecit, dum totam, modo adductam propositionem ceu *erroneam*

CAPUT III.

Peccati mortalis malitia, & triſtes effect expenduntur.

Peccatum eſt hominis converſio ad creaturam & averſio a Creatore; ſeu creaturæ fruitio qua ſolum *utendum* eſt. Hæc fruitio, ut dix mus, varia eſt in peccatoribus. Qui mortale peccatum committit, libera voluntate creaturam Creatori præfert, illumque propter hanc defe rit ſciens ac volens, ut pravæ ſuæ cupiditat obtemperet: qui autem veniale peccatum com mittit, quamvis nimium creaturæ adhæreat, il lam tamen Creatori non præfert. Peccatorum gravitas æſtimanda eſt a fine, quem ſibi propo nit peccator, ab averſione a Deo, a materiæ gravitate, & a peccati objecto. Præterea objec

Ctorum

---

neam damnavit a. 1690. Et quidem juſte; „Pec „catum enim mere philoſophicum (ait P. Anto „ne *de peccat.* cap. 1. a. 1.) repugnat; quia q „peccat contra rectam rationem, ſimul & inde „viſibiliter peccat contra Legem Dei, & i „Deum offendit. Nam dictamen rectæ ration „eſt intimatio legis div. æternæ, neceſſario ve „tantis, quidquid naturam rationalem dedecet, d „præcipientis, quidquid neceſſarium eſt ad vive „dum decenter, ac conformiter naturæ rationali „rationali. Et aliunde nemo ignorare poteſt, ſa „tem invincibiliter, id, quod diſconvenit natu „ræ rationali, eſſe prohibitum a Deo Suprem „Auctore naturæ rationalis. Quoties enim re „cta ratio dictat, aliquid diſconvenire naturæ „rationali, ut rationali, ſimul, ſaltem confuſe „dictat, illud idem diſplicere Supremo Ente „naturæ Authori &c.

ctorum varietas, & peccatoris dispositio sæpe efficiunt, ut veniale peccatum fiat mortale propter pravam intentionem, & interdum mortale est tantum veniale propter actus, vel deliberationis imperfectionem. Non enim ex additione malitiæ, quæ in veniali peccato est, ad aliud veniale peccatum, hoc mortale evadit; hæc enim peccata specie inter se differunt: verum peccatum natura sua veniale potest effici mortale. Otiosa exempli causa verba plura quis profert, ut fœminam in adulterium pertrahat: hoc casu verba ista mortalia sunt peccata, propter proferentis malum finem pravamque intentionem (*a*).

Gra-

(*a*) Res hæc clarior ex sequentibus fiet.

Primo. Peccatum ex *genere suo*, seu uti Author loquitur, *ex natura sua mortale* illud est, quod intra objecti sui limites hærens absque nova circumstantia, speciem mutante, attingere potest, & sæpe attingit materiam gravem, sic *furtum*, secluſa rapinæ, vel sacrilegii circumstantia, gravem multoties proximi damnificationem causat; utut quandoque in minutiis sistat: Peccatum *ex genere suo veniale* dicitur, quod intra sui objecti cancellos manens ad materiæ gravitatem pertingere nunquam potest. Sic *mendacium jocosum*, in damnosum non degenerans, semper reputatur leve.

Secundo. Peccatum, ex genere suo veniale, in praxi sæpe fit mortale. 1. Ex *conscientia erronea*, actum præcedente. 2. Ex *fine operantis*, veniale e. g. *mendacium* ad peccatum quoddam grave ordinantis. 3. Ex *damno* prævisso, aut prævidendo; tam spirituali, puta gravi *scandalo*; quam tem-

Gravius sane majoreque supplicio dignius est Christiani mortale peccatum, quam Infidelis aut Judæi. Legem siquidem Christiani naturali & scripta perfectiorem acceperunt; Dei veritatem magis

---

temporali, puta *rixis, detractionibus &c.* 4. Ex *periculo proximo* peccandi graviter, prænognito; nec tamen repudiato. 5. Ex *contemptu*, saltem formali, legis, præcepti, aut Superioris.

Tertio. Peccatum, ex genere suo mortale, in praxi non raro fit veniale. 1. Ex defectu advertentiæ. 2. Ex defectu plenæ libertatis. 3. Ex levitate materiæ.

Defectum plenæ advertentiæ inducunt 1. Sopor, 2. Imperfecta ebrietas, 3. Cura nimis pungens, 4. Passio prævalens, ac quasi albugine mentem suffundens.

Defectum libertatis plenæ causant 1. Notabilis circumstantiæ ignorantia invincibilis, 2. Persuasio invincibiliter erronea, peccatum non nisi leve committi. 3. Metus gravis, qui contra legem naturæ negativam operantem a *tanto;* contra legem divinam affirmativam agentes a peccato saltem *gravi* excusat. Id magis adhuc de metu gravi, contra legem humanam prævalente, verum est.

Materiæ levitas 1. Ex levi ad Legem ac sanam rationem oppositione, 2. Ex damni, aut injuriæ &c. diminutione oritur. Non omnia peccata materiæ levitatem patiuntur. Blasphemiam, hæresin, desperationem, odium Dei, Simoniam, homicidium, delectationem veneream &c. nunquam ex levitate materiæ; sed vel libertatis, vel advertentiæ defectu peccata venialia fieri, Prudentes censent, quorum judicio in dubiis standum est. Imo nec defectum advertentiæ *qualemcunque* a noxa gravi eximere, paulo inferius videbimus. Legatur S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 7. in corp.

magis noverunt; perfectiorem agendi modum habent, nempe caritatem; Jesu Christi gratia præsto illis est ad mandata servanda; Christi membra sunt, ejus corpore vescuntur, & illius cohæredes futuros se sperant. Hinc præcipue mortalis peccati gravitas est æstimanda. Mire hoc exprimit Apostolus, inquiens: *Qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, prolapsi sunt, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei* (*Hebr.* 6.). Crimen omnium maximum profecto fuit dira Filii Dei crucifixio; sed ejus crucifixores illum minime agnoverunt: *si enim cognovissent*, (ait idem Apostolus 1. *Cor.* 2. *v.* 8.) *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Propterea Christus veniam illis exorat inquiens: *Non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. *v.* 24.). At Christianus illum agnoscit, quem quantum in se est rursum crucifigit. Ideo enim solum Christus cruci affigi voluit, ut pro peccatis hominum Patris sui Dei justitiæ satisfaceret, & pro mortali uno peccato mortem æque oppetiisset, quam pro innumeris cunctorum hominum peccatis. Quoniam non Sermonem, sed institutionem scribo, huic explicandæ considerationi non ultra immoror, neque alias refero, quæ ad proximum, vel ad peccatorem ipsum spectant, e quibus peccati gravitas æstimari potest. Certum namque est proximi nostri conditionem, & quæ a natura vel ab justitia illi præstare debemus officia, & damnum quod ex peccato nostro patitur, peccati gravitatem augere aut imminuere.

Circa perſonam obſervare oportet, an propter officium ſuum Deo ſit unita; an natura, aut beneficiis ab ipſa acceptis, aut alio modo unita ſit nobis, & an perſona ſit publica. Hinc Pontificis, Epiſcoporum, & Presbyterorum injuria propter eorum miniſterii ſanctitatem gravior eſt quam quæ laicis infertur, & quæ conſanguineos amicos, aut benefactores lædit, peculiarem ob circumſtantias habet injuria gravitatem. Gravissimum eſt peccatum, quod contra Reges committitur, qui perſonæ ſunt ſacræ, Deique referunt imaginem. Idem proportione de Præſidibus, ac Magiſtratibus eſt affirmandum, quibus ſanctus Petrus obedire nos propter Deum jubet: *Sive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, quaſi ab eo miſſis* (1. *Petr.* 2.) (*a*).

Pec-

(*a*) Quæ Author hic ſynoptice tradit; cum iis, quæ a Scholaſticis de diſtinctione peccatorum ſpecifica, & numerica uberius dicuntur, fere coincidunt. Diſtinctio peccatorum *ſpecifica* juxta S. Thomæ Diſcipulos ab objecto ſumitur ſpecie morali diverſo; *ſpecie morali* objectum eſt diverſum, quod Prudentum judicio novam unam, vel plures ad legem Dei, & ſanam rationem oppoſitiones habet; *oppoſitiones* autem iſtæ ex liberæ actionis, pluribus ſpecie diverſis præceptis prohibitæ, poſitione fluunt. Præcepta denique *ſpecie diverſa* cenſentur, quæ ob diverſa, ac ſpecialia motiva a ſupremo Legislatore emanarunt. Totum id facile deprehendet, qui in omnes objecti circumſtantias animo reſpiciet. Sic Titius poſt furtum cum meretrice procumbens unum, a furto ſpecie diſtinctum, peccatum committit; rem poſtea cum maritata habens, actu uno duplex ſpecie crimen perpetrat.

Diſtin-

Peccati mortalis effectus, qui funestissimi sunt, pii libri enumerant. Hi præ cæteris considerandi sunt: primo servitus, cui per peccatum homo subjicitur: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* 8. 34.); secundo Dei inimicitia, quam peccans subit: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo* (1. *Joan.* 2. 15.): *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum* (1. *Joan.* 3. 6.): denique mors æterna, quam peccator meretur: *Qui mala egerunt, procedent in resurrectionem judicii* (*Joan.* 5. 29.). Peccatum igitur malum est maximum,

---

Distinctio peccatorum *numerica* itidem ab objecto moraliter numero diverso petitur. *Moraliter numero diversum* objectum redditur, 1. dum *uno actu* physico attinguntur *plura objecta* adæquate distincta, ut si sciens & volens uno ictu plures homines occidas, sicque plura distincta jura lædas. 2. Dum *pluribus actibus* attinguntur *plura objecta* non connexa, ut si nunc detrahas Petro, postea Paulo. 3. Dum *pluribus actibus* non connexis, per voluntariam cessationem, revocationem, aut nimis longam distractionem discontinuatis attingitur unum idemque physice objectum. Ut si odium, libere excussum, denuo contra Titium renoves: morosas delectationes, unde unde sopitas, rursus excites &c. Multi Theoriæ huic contradicunt, ac numerum peccatorum soli *actuum numero* proportionalem tuentur: quia tamen objectorum *multitudinem* ceu circumstantiam notabiliter aggravantem negare non audent, in confessione exprimendam esse censent; sicque non obstante theoretico gyro, in praxeos puncto cum Thomistis conveniunt.

ximum, imo unicum, quod homini evenire potest; omniaque potius sunt illi ferenda quam patrandum peccatum.

CAPUT IV.

Peccati venialis damna deteguntur.

Mortale & veniale peccatum differunt genere objectis, & modo recedendi ab ultimo fine, qui est Deus, ut diximus. In illo enim formalis adest a Creatore aversio, tam respectu agentis, quam respectu operis; in altero autem non adest a Deo aversio; venialiter siquidem peccans a Deo recedere non intendit, neque illi creaturam anteferre (1. 2. *quæst.* 74. *art.* 2. & *seq.*); sed creaturæ nimis adhæret, illaque utitur præter legem æternam, quæ jubet hominem cuncta ad finem ultimum, id est Deum referre, nec in his vel leviter immorari. In his finis noster non est statuendus, (ait sanctus Augustinus de licitis sensuum voluptatibus loquens *Lib.* 12. *de Civit. cap.* 13.), nec propter hæc a beatitudinis nostræ desiderio recedendum; sed quoties recte temporalibus utimur, æternorum cupidi id est faciendum, *per ista transeuntes, illis inhærentes.* Quando creatura ad Deum non refertur, prava semper adest cupiditas: *tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Si autem ista diligis, ut subjecta dilige, ut fluentia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini: sic tamen ut memineris semper quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum; ne ista cum illo, sed ista propter illum,*

illum, & per ista illum, & super ista illum diligas.

Pelagiani dicebant, posse hominem hanc vitam transigere; quin veniale ullum peccatum committat, pluresque in lege naturali sic vixisse, veluti Abelem & Jobum; in lege scripta Elisabetham & Zachariam; in Evangelica sanctum Joannem Baptistam. Contra sanctus Augustinus ait, nullum unquam sine peccato vixisse, si sanctam Viginem excipias, *de qua, cum de peccatis agitur, nullam volo prorsus haberi quæstionem* (*de peccat. merit. & remiss. cap.* 36.). At sanctus Joannes Apostolus universe sic inquit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, & veritas Dei in nobis non est* (1. *Joan.* 1. 8.). Sanctus Augustinus hæc verba considerat: *Veritas Dei in nobis non est*, & observat sanctum Joannem non dixisse; humilitas non est in nobis, *ne humilitas posita in parte falsitatis amitteret præmium veræ virtutis.*

Dei Filius nobis Dominicam orationem tradidit, in qua quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* 6. 12.). Hanc Apostolis ille non minus quam cæteris tradidit, & gregi *& etiam ad ipsos gregis arietes*, (ait sanctus Augustinus *Homil.* 50.); ut ostenderet, si gregis arietes pro parvis peccatis, *sine quibus non vivitur*, Dei misericordia indigent, hanc a grege ipso multo magis esse jugiter exorandam. De his loquens peccatis addit, non esse illa pondere, sed numero metienda; plures enim aquæ guttæ in navim intrantes illam tandem mergunt, & plura

arenæ grana simul conjuncta montem efficiunt. *Quæ quamvis*, inquit, *singulæ non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ resecentur.* Deinde hæc pœnitentiæ opera recenset, orationem Dominicam, eleemosynam, & inimicorum dilectionem. Qui hodie postremum hoc pœnitentiæ opus injungeret, novator ridiculus, aut nimis rigidus doctor haberetur. At hæc est nostri ævi infelicitas, haud satis intelligunt Christiani, quid sibi velit, Deo displicere, ejusque carere deliciis: quod sane evenit propter venialia peccata, quæ emendare negligimus, nec punire satagimus. Valde namque inter se differunt, *venialia labi, & hæc amare, illorumque emendationem voluntarie negligere.* Primum ab humana infirmitate promanat, alterum ab inhabitante in nobis concupiscentia, quæ dum vivimus non adeo subigi potest, ut effectus suos numquam proferat. Recentior Casuista docet, illum, qui uno actu venialia simul omnia peccata vellet committere, venialiter solum peccaturum. Iste casus adeo est insolitus, ut sit impossibilis, ejusque solutio suo digna est Auctore, qui immania solet paradoxa proferre. §

Ideo præcipue veniale peccatum est timendum, quia ad mortale committendum disponit, quando illud non corrigitur, nec illius nos pœnitet, nec de illo confundimur. Apud Ecclesiasti-

cum

cum Spiritus sanctus inquit: *Qui spernit modica, paulatim decidet* (*cap.* 18.) Rationem affert sanctus Thomas; Quia non satis a mortali discedimus: qui enim multa venialia committit, assuescit in parvis voluntatem suam Deo non subjicere; hinc paullatim incipit finem suum ultimum in creatura collocare, illamque Deo anteferre, quod lethale peccatum est (1. 2. *quæst.* 70. *art.* 3. & 4.).

SECTIO II.

DE IGNORANTIA, INFIRMITATE, ET MALITIA, PECCATORUM CAUSIS.

CAPUT I.

Ignorantiæ existentia, & origo ostenditur.

Peccatum cum sit actus inordinatus, habet profecto causam, quæ aut interior est, aut exterior (1. 2. *quæst.* 75. *art.* 1.). Interior immediata est intellectus & voluntas. Causæ mediatæ seu intermediæ sunt imaginatio & appetitus sensitivus. Quemadmodum enim intellectus ad aliquid amandum voluntatem movet; imaginatio sensitivum appetitum movet ad aliquid optandum. Unica tantum proprie loquendo interior causa peccati est concupiscentia juxta Apo-

ſtolum: *Radix omnium malorum cupiditas* (1. *Tim.* 6. 24.). De hac late diſſeruimus Tractatu ſecundo. Reſtat igitur, ut de ſpecialibus peccati cauſis loquamur; & primo de ignorantia.

Quoniam vir juxta cor Dei illum rogat, ne ſuarum ignorantiarum meminerit ideſt has ſibi ignoſcat: *Ignorantias meas ne memineris* (*Pſalm.* 24.): ignorantiæ exiſtant oportet, quæ ſint peccata; ideoque non ſemper ignorantia a peccato excuſat. Alio in Pſalmo ita Deum rogat: *Et effunde iram tuam ſuper gentes, quæ te non noverunt* (*Pſalm.* 78.). Rei igitur erant hi populi Deum non agnoſcentes, licet Moyſis legem numquam audierint, quæ illos verum Deum adorandum doceret. Chriſtus in cruce Patrem ſuum rogat pro ſuis crucifixoribus inquiens: *Non enim ſciunt quod faciunt* (*Luc.* 23. 14.). Judæos ſanctus Petrus ſic alloquitur: *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri* (*Act.* 3.). Nihilominus certum eſt Jeſu Chriſti interfectores maximum commiſiſſe peccatum. Sanctus Paulus ait: *Qui ignorat ignorabitur* (1. *Cor.* 14.); id eſt æterna damnatione punietur. Quem enim Deus ignorat, *neſcio vos*, gloria ſua privat. Theſſalonicenſibus idem Apoſtolus ſcribens inquit: *In revelatione Domini Jeſu Chriſti de cœlo cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum* (2. *Theſſ.* 1.). Ad Epheſios vero ſcribens de idololatris ait: *Alienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ eſt in illis* (*Epheſ.* 4. 18.). Quomodo a vita Dei ignorantia repellit, ſi non eſt peccatum? De ſe ipſa

ipso loquens dicit: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (1. *Timoth.* 2.). Si misericordia indigebat, peccatum profecto commisit, cujus indulgentiam est consecutus.

Pelagiani originale peccatum negantes, negabant etiam ignorantiam, in qua homines nascuntur, & propter quam in plura labuntur peccata, esse peccatum, cum non sit omnino voluntaria. In Synodo Palæstina hanc opinionem docere accusatus est Pelagius; & illo præsente hæc ejus lecta est propositio: *Ignorantia, quæ evenit secundum necessitatem, non voluntatem, non subjacet peccato.* Commoti sunt septemdecim Episcopi, & indignati dixerunt: *Quid ad hæc quæ lecta sunt, capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hoc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei catholica Ecclesia. Pelagius respondit: Dico quia hæc non sunt mea; quæ autem dixi non esse mea secundum judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti sanctæ Ecclesiæ catholicæ doctrinis* (*de Gest. Pelagii cap.* 19.). De Synodi hujusce gestis sanctus Augustinus librum composuit, ubi perspicue refert, a nobis allatam Pelagii propositionem de ignorantia reprobatam ab ipso fuisse Pelagio.

Qui bonos istos Episcopos de versutia ejus & duplicitate nil suspicantes fefellerat, vix in Occidentem rediit hæresiarcha, cum a se damnatos errores tueri cœpit, & inter cæteros hunc de ignorantia. Pravam ejus doctrinam noster sanctus Doctor jugiter est insectatus, semperque docuit ignorantiam peccati Adami esse pœnam, &

plurium peccatorum, quæ non excusat, esse causam; quod cum distinctione est intelligendum, ut mox dicemus. *An nullum est ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum?* Interrogat sanctus Augustinus, & respondet: *Et quid illa agit vox: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ a scientibus committuntur, tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus quod commemoravi.* Quare autem ista sunt peccata? quia a primo illo peccato quod in Adam plene voluntarium fuit, promanant, & cujus pœna est ignorantia. *Illud* (ait idem Augustinus *lib. 3. de lib. arbitr. c. 19.*), *quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Ideo nolunt homines recte agere, quia quod rectum est ignorant, aut illis displicet. Tanto enim vehementius aliquid optamus, quo perspicue magis bonum illud esse cognoscimus; & propterea magis illud quærimus, & diligimus. *Ignorantia igitur* (subdit Augustinus *lib. 2. de pecc. merit. c. 17.*), *& infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* At quoniam nulli hæc gratia debetur, illam Deus cui vult, & quando vult, largitur. *Ideo quisquam nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur,*

tatur, *ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, & sic ab elationis vanitate sanetur.* Alibi idem sanctus Doctor inquit: *Attendat quam in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus: & postea per Scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cum didicerimus, quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus* (*de Spirit. & litt. cap.* 36.). Quamobrem qui hanc miseriam norunt & patiuntur, coram Deo tremunt, & se deprimunt, illumque exorant, ut ex ignorantia commissa peccata sibi ignoscat. Hæc ignorantia est justa punitio peccati primi hominis, qui cum plene veritatem cognosceret, fecit quod illa prohibebat; a Deo discessit, nec Domino suo obtemperavit, ut sibi placeret, & propriam excellentiam acquireret. *Nec cogitat* (ait sanctus Augustinus contra Pelagium *de Natura & grat. c.* 22.), *prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, & ideo tantum audiat vocem legis, qua vel moneatur implorare gratiam Salvatoris.* Eamdem doctrinam sanctus Hieronymus ante sanctum Augustinum docuerat, ut ex illius contra Pelagianos dialogis cognoscimus.

CAPUT

CAPUT II.

Quæ ignorantia a peccato excuſet? inveſtigatur.

Quod ex Sancto Auguſtino hactenus dixi, peccati definitioni contrarium videtur, quam tradit dicens, oportere ut voluntarium ſit peccatum, nec peccatum eſſe niſi voluntarium; quemadmodum etiam perpetuæ Eccleſiæ catholicæ doctrinæ adverſari videtur. Verum ut enodetur hæc quæſtio, diſtinguenda primum eſt voluntaria ignorantia ab involuntaria (*a*); deinde vincibilis ab invincibili; ignorantia item juris ab ignorantia facti; tum ignorantia juris divini ab ignorantia juris naturalis, aut poſitivi; denique igno

(*a*) Ignorantia involuntaria a Moraliſtis etiam *antecedens* dicitur; quia omnem voluntatis actum prævenit, ſimulque cauſa eſt actionis, quæ poſita numquam fuiſſet, ſi vera rei notitia præceſſiſſet. Voluntaria ignorantia econtra *conſequens* nuncupatur; quia actum voluntatis ſive formalem, ſive virtualem ſequitur, malamque in actionem influit. Hisce ignorantia *concomitans* a Scholaſticis adjicitur, quæ actionem ita comitatur, ut eam nec cauſet, nec impediat, ſicque tota malitia ex alia mala voluntatis diſpoſitione in actionem dimanet. Prima a toto peccato excuſat; non ſecunda, tertia nec accuſat, nec excuſat, ſed impertinens eſt. Si, adhibita debita cautela, feram icturus hominem in arbuſtis latentem proſternis, cum prima: ſi ſclopo temere explоſo tu ſimilem trajicis, cum ſecunda: ſi denique ibidem feræ loco inimicum, jam dudum ad mortem quæſitum, plumbea glande occidis, cum tertia ignorantia te operatum fuiſſe dicent.

ignorantia negativa, quæ ſolum eſt cognitionis carentia, a poſitiva, quæ prava eſt diſpoſitio, & error proprie appellatur.

Certum eſt tunc ſolum ignorantiam eſſe peccatum, cum eſt voluntaria; etenim *non imputatur ad culpam, quod quis invitus ignorat*, ut ait Sanctus Auguſtinus.

Eſt autem ignorantia voluntaria directe, vel indirecte. *Directa* ignorantia illa eſt, qua quis quid ſibi faciendum ſit vult neſcire, ne faciat, aut ne conſcientiæ ſtimulum patiatur, dum vetita committit. Talis peccator ille eſt, de quo ita loquitur Pſalmiſta: *Noluit intelligere, ut bene ageret* (*Pſalm* 35.). Tales illi etiam, quos Job commemorat ſic Deo dicentes: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* 25.). De his ait Salomon: *Imprudentes oderunt ſapientiam* (*Prov.* 12.). Hisce illi quoque ſunt addendi, qui juxta quosdam novos Caſuiſtas Doctorem ſolicite inquirunt eorum cupiditatibus obſequentem. *Indirecta* ignorantia illa eſt, quæ ſcienda noſcere negligit; & hæc ſane peccatum eſt.

Poteſt autem hæc peccatum minuere, vel excuſare, quatenus voluntarium minuit, quod ad peccandum requiritur. In iis enim, quæ ex ignorantia fiunt, actus eousque eſt voluntarius, quo voluntaria eſt ignorantia, ex qua actus proficiſcitur. Non plus igitur voluntatis ſeu voluntarii in his actibus reperitur, quam in ignorantia, quæ illorum eſt cauſa.

Evenit interdum, ut in eadem actione aliquid ſciatur, & aliquid ignoretur, ſive invincibili, ſive

ve vincibili ignorantia. In hoc casu excusat peccatum relate ad circumstantiam, quæ ignoratur, non relate ad totum: *si non a toto, saltem a tanto*, inquit sanctus Thomas. Exempli causa Judas cum Thamar peccavit, quam nurum suam esse nesciebat: fornicationem commisit, non vero incestum.

Præceptarum nobis actionum duo sunt genera: aut juris naturalis, sicuti hoc præceptum *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; & tales sunt omnia Decalogi præcepta, cum illo connexa: aut juris positivi, divini, vel humani: tales sunt leges credendi in Jesum Christum, baptismum accipiendi, Dominicos dies servandi, certis temporibus jejunandi, hisque similes aliæ plures. Porro animadvertendum est, jus naturale omnes homines, ratione utentes, absque promulgatione externa obligare. Quædam quoque universalia præcepta considerare oportet, quæ sunt veluti reliquorum principia. Sunt etiam quædam, quæ licet ex primis hisce principiis immediate sequantur, non adeo tamen perspicue sunt cognita. Quædam denique sunt veluti conclusiones, quæ ex aliis ducuntur, sed meditatione & discursu. Certum est primi & secundi generis præceptorum ignorantiam invincibilem dari non posse, quamvis Theologi plerique doceant tertii generis præceptorum invincibilem ignorantiam dari posse (*a*). Ab ipso vitæ exordio legem suam in he-

minum

(*a*) Præcepta legis naturæ in tres classes distinguuntur. Classis 1ma universalissima principia: Quæ tibi

minum corde natura ſcribit, ut antiqui etiam Philoſophi tradidere. Quoniam vero per Adæ peccatum rationis naturale lumen valde imminutum, & pene extinctum eſt, hæc quoque lex pene eſt deleta; non adeo tamen deleta eſt, ut ejus plura reliqua non ſint veſtigia, quæ in eam peccantes inexcuſabiles reddunt. Nullus tam barbarus eſt populus, qui modo allatam legem ignoret: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* qua homicidia, adulteria, & furta vetantur. Quis enim vitam ſibi auferri, uxorem ſuam violari, bona ſua rapi vellet? Quando igitur hæc, hisque ſimi-

---

tibi non vis fieri &c. *Bonum eſt faciendum* &c. continet: 2da Concluſiones facili illatione ex primis principiis fluentes, decalogo comprehenſas exhibet: 3tia Concluſiones nonniſi difficili, ac ſubtili diſcurſu eruendas variorum contractuum honeſtatem, ac licentiam definientes complectitur. Præcepta *primæ claſſis* a nullo rationis uſum habente invincibiliter ignorari poſſunt: Illa *ſecundæ claſſis* tempore brevi, ac inæquali ab inæqualibus ſæpe ignorantur; apud pueros enim citius filialis reverentiæ, quam dicendæ veritatis obligatio ſe ingerit; eadem furti inhoneſtas maturius ingenio excitato, quam ſtupido innoteſcit. *Tertiæ claſſis* præcepta per longum, imo nonnulla per totum vitæ tempus inculpatæ ignorantiæ involucro implicantur, quia rationes, illa explicantes, reſtringentes, utut probabiliores, adhuc falſæ eſſe, atque adeo invicibilem harum obligationum ignorantiam, ad dies vitæ duraturam, inducere queunt. Paucis Rigoriſtis Lovanienſibus, nullam omnino Juris naturalis ignorantiam inculpatam admittentibus, cæterorum Theologorum phalanx reſiſtit. Vid. Billuart Tr. *de peccat.* diſſ. 5. a. 4.

similia a natura vetita peccata homines commi-
tunt, nequeunt hæc peccata ignorantia excusa-
Sanctus apostolus Paulus ait: *Quicumque sine le-
ge peccaverunt;* ideſt peccata a lege vetita patra-
runt, nescientes hæc esse vetita: *sine lege pere-
bunt* (*Rom.* 2.); id est pœnis punientur, quæ
lege non præscribuntur. Si autem pereunt, pe-
casse eos oportet, quamvis se peccare non nov-
rint. Hanc autem Apostolus rationem reddi-
*Cum enim Gentes, quæ legem non habent, natu-
raliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem
non habentes, ipsi sunt lex, qui ostendunt opus le-
gis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem co-
gitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus
in die, cum judicabit Deus occulta hominum.*

Hic locus apostolicarum Epistolarum insigni-
est. Doctrinam firmat, quam modo docuimus
naturalem legem, quam sequi debent, scriptam
esse in cordibus hominum, hancque illos secre-
docere, quid sibi faciendum sit, quidve fugien-
dum. Per legis enim opera cæremonialia ac
politica præcepta non intelligit Apostolus, se
naturalia præcepta unum Deum credendi, illum
ut omnium rerum principium adorandi, amand
super omnia, ad illum veluti ad finem ultimum
omnia sua opera dirigendi, in ejus possessione
beatitudinem suam collocandi, amandi proximum
sicut seipsum, & ab omni ejus injuria abstinendi
Secretum conscientiæ judicium, quæ juxta Apo-
stolum (*Rom.* 2.), *cogitationibus invicem accu-
santibus, aut etiam defendentibus* actionis bonita-
te

tem vel malitiam declarat, hæc omnes a natura doceri demonſtrat. Hoc textu Pelagiani abutebantur, & aſſerebant plures ethnicos, ſine lege & ſine Jeſu Chriſti gratia, ſolis naturæ viribus legem impleſſe; at hanc hæreſim Eccleſia damnavit. Catholici nonnulli Doctores de illis Ethnicis hunc textum intelligunt, qui ſine Jeſu Chriſti fide aliqua legis præcepta ſervarunt; veluti parentes colere, depoſitum reddere, & his ſimilia. Verum melior explicatio eſt illa ſancti Auguſtini, quam antiqui Græci, Latinique Patres, & Interpretum plerique amplexi ſunt. Hunc textum Auguſtinus explicat de infidelibus, qui naturaliter legem ſervarunt, reparata natura per Jeſu Chriſti gratiam, vel in ipſum venturum credentes, vel in ipſum poſt ejus adventum, quin Moyſis legem agnoſcerent. Verum ne longius progrediamur, ſufficit, dixiſſe Apoſtolum, exiſtere legem in hominum cordibus ſcriptam, *opus legis.*

Affirmo itaque, unius Dei ignorantiam, etſi non omnino voluntaria dici poſſet, eſſe peccatum; natura enim in hominis cujusque corde unius Dei fidem ſeripſit. Perſpicue ait Apoſtolus: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit; inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita, ut ſint inexcuſabiles* (*Rom.* 1.) De Philoſophis autem & Sapientibus dicit: *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt;* ideſt Deum non ſunt confeſſi, ſed aut aſſentatione, aut avaritia, aut timore populum

imitati idola coluere. Id egit Socrates, quem plures quasi christianum suspiciunt; quamvis enim unum esse Deum cognosceret, quod suis in libris docuerat, sæpiusque prodiderat, & licet morte mulctatus sit, quia veritatem istam defenderat, tamen ut idololatra mortuus est, jubens ut pro se falso Deo Esculapio gallus immolaretur.

CAPUT III.

Argumenti ejusdem continuatio.

De fide in Jesum Christum secus est dicendum: juris divini positivi est in illum credere; at Evangelium prædicari oportet, ut hanc fidem homines amplectantur, lex enim ante publicationem non obligat. Id perspicue docet Apostolus inquiens: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante (Rom. 10.)?* Verum apud sanctum Joannem Dei Filius hanc solvit difficultatem dicens: *Si non venissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum (Joan. 15.).* Non dicit: Si incarnatus non fuissem, si illis Evangelium non annunciassem, nec miracula edidissem, *omni illi* culpa vacarent; sed: culpa vacarent, quod in me non credierunt. Hinc illi, quibus Christus non est annunciatus, propter reliqua ab iis commissa peccata damnabuntur, licet Jesu Christi fidem & gratiam non habuerint, quæ nemini debentur. *De quo peccato*, (de Judæis ait sanctus Au-

Auguſtinus) *niſi de illo magno, quod præſciebat iſtorum futurum, quando iſta dicebat, ideſt quo eum fuerunt occiſuri?* Plura alia peccata commiſerant, antequam Chriſtus ad eos veniret, ut illis Dei regnum prædicaret, & propter illa variis captivitatibus, in quas abducti fuere, puniti ſunt.

Concupiſcentia, quam peccatum appellat Apoſtolus, in iis regnabat; dicit enim Apoſtolus: *Peccatum non cognovi, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Sine lege enim peccatum mortuum erat* (*Rom.* 7.); ideſt non apparebat, quia committebatur, quin cognoſceretur. *Non intelligamus* (inquit ſanctus Auguſtinus *lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 9.), *niſi tamquam non ſit; latet, non appareat; penitus ignoratur, tamquam in neſcio quibus ignorantiæ tenebris ſit ſepultum.* Quis dubitet Judæos, priusquam legem acciperent, peccaſſe, quoties opera a Decalogo vetita patrabant, quæ ex hujus prohibitione mala eſſe cognoverunt? *Qui fuit ante neſcius*, ait ſanctus Auguſtinus, *malorum ſuorum, factus eſt doctus, & quod pejus eſt, victus cæpit eſſe non ſolum peccator, ſed etiam prævaricator. Peccator enim & ante erat; ſed antequam legem audiret, peccatorem ſe eſſe neſciebat. Si damnandus erat peccator, quam ſpem haberet prævaricator?*

Idem ſanctus Doctor quatuor hominis ſtatus diſtinguit: primum ante legem; ſecundum ſub lege; tertium ſub gratia, & quartum in pace, ideſt in Paradiſi felicitate. Ante legem concupiſcentiam ſe-

quebatur; ideſt inordinatis ejus motibus obedi-
bat, quin eos cognoſceret, nec iis repugnare-
Non pugnamus, quia non ſolum concupiſcimus &
peccamus, ſed etiam approbamus peccata. A
quis dicet in hoc ſtatu peccata non eſſe vera pec-
cata, quamvis ex ignorantia fiant? Sub lege con
cupiſcentiam cognoſcimus, *pugnamus, ſed vinci-*
mur. Sub gratia *pugnamus, & vincimus.* In
pace *non pugnabimus, ſed victoriæ fructu fru-*
mur, id eſt glorioſa & æterna pace. In lege era
ſacrificium ad expianda ignorantiæ peccata; erant
igitur hæc vera peccata, quoniam expiatione in-
digebant.

Eſt ignorantia, quæ *cordis*, ſeu *reprobi ſen-*
ſus cæcitas appellatur, qua Chriſtianos Deus pu-
nit, qui ſuis gratiis abutuntur; nec dubium eſt
quin peccata ab iis in hoc ſtatu commiſſa non ſint
vera peccata. Id docet ſanctus Auguſtinus in
contra Julianum ſcribens: *Cæcitas cordis, ſi pec-*
catum non eſſet, injuſte argueretur (*lib.* 1. *Opus*
imperf.). De Phariſæis Chriſtus ait: *Cæci ſunt*
& duces cæcorum. Væ vobis duces cæci (*Matth.*
5.). In ſuo dumtaxat principio hæc cordis cæ-
citas eſt voluntaria. *Quis porro*, inquit Augu-
ſtinus, *cæcus eſt corde, cum velit nemo cæcus eſſe*
vel corpore? In hanc paullatim incidimus pravis
cupiditates ſectantes, & reiterantes peccata;
quemadmodum enim jam diximus, eſt Deus
ſpargens indefatigabili lege pœnales cæcitates ſuper
illicitas cupiditates. Cæcitas cordis, quam ſolus
removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo
in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor-
ſa

ſuperbum digna animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Perſpicuitate majore hujusce cæcitatis effectus omnes nequeunt explicari. Sanctus Paulus de Ethnicis loquens, qui Deum in creaturis agnoſcere noluerunt, ait: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori; & ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* 1.). Hæc *quæ non conveniunt*, ideſt peccata omnia contra naturam ab eis in hoc reprobo ſenſu commiſſa, licet ea non cognoſcerent, nonne erant vera peccata? Vox illa *tradidit*, qua utitur Apoſtolus, ſignificat eorum inordinatas turpesque cupiditates fuiſſe veluti tortorem, cui traditi ſunt puniendi, ut malorum ſuorum operum ſupplicium demum reciperent; poſtquam enim damnatus eſt reus, hunc juſtitiæ miniſtro Judex tradit. Oportet, ut vel Deus immanium horum criminum, in quæ a Deo deſerti prolabuntur, auctor ſit; quod horrenda eſt blasphemia; vel peccatores ipſi ſint auctores. Verum horum criminum auctores eſſe nequeunt, niſi ſint liberi; libere igitur hæc agunt, quamvis propria culpa neceſſario lumine ad horum criminum enormitatem agnoſcendam deſtituantur.

Hæc Apoſtoli verba explicans Julianus hæreticus dixerat: *Cum deſideriis ſuis traditi dicuntur,*

relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata impulsi. Illum sanctus Augustinus reprehendit, quod solam Dei patientiam in iis agnosceret, quos cupiditatibus suis tradiderat, nulla ejus potentiæ facta mentione; non quod Deus peccatum operetur, hoc enim fieri non potest; sed quia gratiam suam denegat & peccatorem ita meritum deserit. Deinde addit: *Nec ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum invitum aliquem cogi; sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum*, quorum primum justitiæ ejus effectus est, alterum misericordiæ.

Quæ de ignorantiæ peccatis hactenus a nobis sunt dicta, sufficiunt ut novorum aliquot Casuistarum doctrinæ falsitas deprehendatur, qui docent ad peccandum, & Dei iram subeundam non necesse esse, quis sciat & consideret rem a se faciendam esse malam; dubitare autem, aut opinari Deo non placituram actionem, quæ fit, quam Deus vetat, non prohibere quin fiat, sed spreta formidine audacter esse operandum: sic loquuntur novi isti Casuistæ. Idem alius docet, addit que: *Nec sufficit ad mortale quævis deliberatio, & consideratio malitiæ objecti, sed debet esse plena.* Plerique alii in eadem sunt sententia, & affirmant, si quando una actio duas varias, habeat relationes, non sufficere ad culpam quod harum alteram quis cognoscat, sed oportere ut ambas animadvertat. Addunt insuper, si quis olim actionem aliquam malam esse novit, & postea oblitus est; vel si adhuc sciat, attamen actualiter id non

non cogitat, nec dum operatur, inquirit an illa actio mala ſit, hunc non peccare ſaltem graviter. At omnes hæ abſonæ opiniones, nec Veteribus cognitæ, ex inordinato horum Auctorum ingenio proficiſcuntur, qui non id curant, ut peccatoribus peccati horrorem incutiant; quinimo ſatagunt peccata tollere, & viam ſternere, ut impune patrentur (*a*). Si ab his tradita doctrina vera eſſet,

(*a*) Poſt peccati philoſophici damnationem Moraliſtæ quemadmodum *ignorantiam* ceu cognitionis *habitualis* carentiam, ita & *inadvertentiam* ceu cognitionis *actualis* privationem in vincibilem, & invincibilem diſtingunt; hancque, non item illam a peccato eximere docent. *Invincibiliter* ad actus ſui malitiam non advertiſſe eum reputant, qui de hac actus malitia, vel ejus periculo, vel quavis inquirendi obligatione nec minimam dubitationem, vel ſuſpicionem *habuit*, imo ſpectatis omnibus circumſtantiis nec habere *potuit: Vincibiliter* econtra ad actus malitiam non advertiſſe illum cenſent, qui antequam ageret, nullum de actus ſui inhoneſtate dubium habuit, habere tamen *potuiſſet;* quia lex naturalis (maxime penes præcepta primæ, & ſecundæ claſſis ſpectata) omnibus ſufficienter eſt intimata; & *debuiſſet;* quia indomitas ſupprimere paſſiones tenebatur, ac malos, qui rationem excæcant, habitus evellere, quod neglexit, & propterea iniquitatem ſicut aquam bibit. Huic igitur doctrinæ communiori, ac tutiori inſiſtendo non ſemper actualis *& ad actum & ad eius malitiam* advertentia in graviter peccante requiritur, ſed ſæpe ſola libera advertentia *ad actum* ſufficit. Unde graviter peccant 1*mo* qui vitioſis habitibus immerſi, in malo obdurati absque ſcrupulo, aut conſcientiæ remorſu peſſima quæque perpetrant &c. 2*do* qui citra

esset, non peccassent Ethnici, quoties in fornicationes, pollutiones voluntarias, aliaque contra naturam crimina prolapsi sunt. Illorum enim plerique ignorabant actiones has esse malas; quemadmodum apud nonnullos infideles populos nostris etiam temporibus malæ non habentur. Non igitur secum reputant, an illas Deus prohibeat, necne, vel an illis Deus lædatur. Qui exempli causa cum muliere peccaret, nil cogitans an Deus id veret, aut an illum hæc actio offendat; sed cupiditate illectus huic data opportunitate indulgere studet, non plusquam Ethnici peccaret. Latior nulla cunctis sceleribus pandi potest via, dum hæc plerumque absque reflexione ab iis patrantur, qui impetu quodam, cupiditate impellente, & opportunitate illecti illa committunt.

Juris positivi ignorantia, sive ecclesiastici, sive civilis, a peccato excusat quando est invincibilis; idest cum diligentiam adhibuimus ut id sciremus, quod est sciendum. Patres familias exempli gratia Parochiæ suæ concionibus debent interesse, in quibus Festa & Ecclesiæ jejunia enunciantur. Non igitur excusantur, si diebus vetitis laborant; aut non jejunant; eorum ignoran-

---

mali timorem contra primaria, ac secundaria legis naturæ præcepta delinquunt: licet ad peccatum, contra tertiaria legis naturalis præcepta committendum, prævia quædam malitiæ advertentia, in scrupulo, vel mali suspicione consistens, extra præcedentium duorum casuum hypothesin probabilius requiratur. Ita Em. Card. Gotti Tr. *de Peccat.* Dub. 5. §. 3. Billuart Tr. de Pec. diss. 5. a. 6. & alii sat. multi.

tia eſt peccatum, quia craſſa eſt, & ex eorum negligentia promanat. Hinc peccant Chriſtiani, qui ſaltem ruditer potiores fidei articulos non ſciunt, videlicet Deum unum exiſtere tribus in perſonis; harum ſecundam hominem factam; Dei Filium propter noſtram ſalutem mortuum eſſe, reſurrexiſſe, & in Cœlum aſcendiſſe; & in Euchariſtia ejus corpus, animam, & divinitatem realiter contineri; quemadmodum & illi peccant, qui Decalogum ignorant. Dixi *ſaltem ruditer*; etenim homines, ac mulieres tam habetes répe-riuntur, ut nil memoria comprehendere queant, multoque minus ea percipere, quæ illis tradun-tur; verum hæc hebetudo plerumque a negli-gentia proficiſcitur, & ſi vellent, aliquo ſaltem modo ea diſcerent, quæ ignorant; aptum ſiqui-dem ingenium habent ad profanas cantiones, & his ſimilia addiſcenda. Qua propter ſanctus Ca-rolus abſolutionem iis impertiri vetat, qui, poſt-quam quæ ſcire debeant ſunt admoniti, hæc ſci-re negligunt, & in ſua ſemper ignorantia vivunt.

Ignorantia *facti* a peccato excuſat, ut omnes fatentur. Si quis exempli gratia venando homi-nem occideret, putans belluam, non eſſet homi-cida, dummodo nulla ei formido fuerit ſuborta, ne feriendo hominem occideret, aut venatio non fuerit illi prohibita, ſicut Clericis per ſacros ca-nones eſt vetita. Denique omnis peccans juxta ſacras litteras eſt ignorans: *Errant, qui operan-tur malum* (*Prov.* 12.), quisquis enim peccat, creaturam anteferens Creatori, atque æternis temporalia bona. Voluntas practicum intellectus

judicium sequitur; & toties illa errat, quoties hic fallitur, malum illi proponens veluti bonum, aut verum, aut apparens, aut illi conveniens, dum eligitur. Ista est sancti Thomæ (1. 2. q. 6. *art.* 8. *q.* 58. *a.* 2. *q.* 77. *art.* 1.), & præcipuorum Theologorum doctrina. Quamobrem a Deo lumen debet Christianus exquirere, ideoque illum jugiter exorare quemadmodum Christus præcipit: *Oportet semper orare, & non deficere* (*Luc.* 18.). Oratio, sicut oportet facta, intellectum illuminat, in oratione enim Deum audimus, qui intellectum dat parvulis & timentium se voluntatem facit.

CAPUT IV.

Infirmitatis humanæ miseria delineatur.

Inter vulnera naturæ humanæ per Adami peccatum inflicta recensuimus cum sanctis Augustino & Thoma infirmitatem seu fragilitatem, quæ inobedientiæ Adami justa est pœna. *Illa est* (inquit Augustinus *de lib. arb.*) *peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet: id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire, quid rectum sit, & qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas: ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit.* Hanc infirmitatem peccatum sanctus Paulus appellat, qui ait: *Ut quid enim Christus, cum adhuc infir-*

mi

mi eſſemus, *ſecundum carnem pro impiis mortuus eſt* (*Rom.* 5.)? ubi *impii* vocem loco *infirmi* uſurpat. Vox græca ἀσθενῶν corporis infirmitatem proprie ſignificat; ſed Apoſtolus metaphorice ea utitur, ut peccatoris ſtatum declaret, cujus anima ad bona opera facienda eamdem difficultatem ac infirmitatem patitur, quam ad naturalia opera ex morbo corpus experitur. Hoc ſenſu Apoſtolis ſuis dicebat Chriſtus: *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma* (*Matth.* 26.).

Membrum, ait ſanctus Thomas, *dicitur eſſe infirmum, quando non poteſt perficere operationem membri ſani, ſicut oculus quando non poteſt clare videre. Sicut autem partes corporis dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſequuntur ordinem naturæ, ita & partes animæ dicuntur eſſe inordinatæ, quando non ſubduntur ordini rationis. Sic ergo quando extra ordinem rationis vis concupiſcibilis, aut iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate* (1. 2. *q.* 77. *art.* 3. *in corp.*). Hæc infirmitas humiles reddere debet homines, non ideo ſolum quia illos a bono retrahit, quod vellent, & in peccatum præcipitat, quod ſæpe nollent; ſed præcipue quia peccati primi hominis pœna eſt. Ne igitur hac ſe excuſent infirmitate, dum peccant; pudenda enim excuſatio hæc eſt, & confuſione plena. Hanc illi auxere infirmitatem peccata iterando, ea præſertim, quæ caſtitati adverſantur. Illos imitantur infirmos, qui cum debiles jam ſint ex morbo, intemperantia ſua ſanita-

nitatem omnino pessumdant, & languidi adeo fiunt, ut ad omne opus sint invalidi. De sua in firmitate possuntne hi ægri jure conqueri, cum infirmitati causam intemperantia sua ipsi præbuerint?

Fatendum porro est cum divo Thoma, appe titum, qui actum præcedit, quo est vehementior eo peccatum plus imminuere; sicuti si actum se quatur, quo vehementior est, eo plus peccatum augere. *Appetitus autem sensitivus* (ait sanctus Doctor 1. 2. *q.* 77. *art.* 6.), *potest se habere ad liberum arbitrium & antecedenter & consequenter. Antecedenter quidem secundum quod passio appetitus sensitivi trahit, vel inclinat rationem, vel voluntatem. Consequenter autem, secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes, redundant in inferiores; non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo. Si igitur accipiatur passio secundum quod præcedit actum peccati, sic necesse est quod diminuat peccatum, actus enim tanto tantum est peccatum, in quantum est voluntarius. Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, inquantum scilicet demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati; & sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.* Quando actus est omnino involuntarius, nullum adest peccatum, nisi causa passionis fuerit voluntaria; tunc enim effectus ejus peccatum est, licet non in illum directe voluntas feratur. Sic amens non est peccati capax, si ejus amentia sit naturalis, sed

ſi ebrius, qui voluntarie inebriatus eſt, hominem in ebrietate occidat, homicidii reus eſt.

Nihil enim, (inquit ſanctus Auguſtinus *in Pſalm.* 122.), *infirmius anima noſtra, poſita in mediis tentationibus ſæculi, in mediis gemitibus, & parturitionibus moleſtiarum. Nihil ea infirmius, donec hæreat ſoliditati cæleſti, & ſit in templo Dei, unde jam non cadat.* Hæc cæleſtis ſoliditas eſt Jeſu Chriſti gratia, qui nobis robur reddit, quod peccatum abſtulerat. Concupiſcentia mentem noſtram per ignorantiam infirmat, gratia vero illuminat; illa voluntatem noſtram corruptione inquinat, gratia purificat; illa liberum arbitrium quaſi premit, & in ſervitutem redigit, gratia liberat, dum ſibi ſubdit. *Voluntas tanto ſanior, quanto liberior: & tanto liberior, quanto divinæ voluntati ſubjectior.* Hanc gratiam igitur petamus oportet, ut ab infirmitatibus noſtris ſanemur: nec de noſtris viribus debemus præſumere, quaſi perfecte ſani eſſemus, aut infirmitates noſtras per noſmetipſos vincere poſſemus, vel ex iis convaleſcere. Hoc jactabant Philoſophi, hoc hæretici docebant Pelagiani, quorum iſtud erat præcipuum axioma: *Sufficit homo ingenitis ſibi motibus dare leges.* Econtra, Evangelium docet, non poſſe hominem ſolis ſuis viribus pravos concupiſcentiæ motus ſuperare, vel iis diu reſiſtere; ſed oportere ut cæleſtem medicum invocet, clametque: *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Pſalm.* 40. *v.* 5.). Sanitatem ab eo ſperare debemus, ſi ſicut oportet, ideſt humiliter poſtulabimus. *Non ergo*, (inquit ſanctus Auguſtinus *in Pſalm* 102.), *te ſanabit qui fecit*

fecit te talem, qualis non ægrotares, si legem sa-nitatis acceptam servare voluisses? Languore tu-expertus es quam ille vera jussisset; jam tandem aliquando homo quod non tenuit monitus, audita expertus. Hanc salutem si volueris, obtinebis. Ut hujus mundi divitiæ, honoresque acquirantur, non sufficit illa vehementer optare; sed hæc sa-nitas & multo est pretiosior, *& consequetur vo-luntatem*, id est illam si vere volumus, obtinebi-mus. De infirmitate nostra querimur, illam-que amamus: tristaremur, si hanc a nobis gratis auferret, & satis roboris tribueret ad passiones vincendas, quibus libenter servimus. Oportet igitur, ut infirmitatum nostrarum sanitatem veli-mus, eas odisse ac perfecte detestari; sine anxie-tate tamen eas oderimus, ac detestemur; anxietas siquidem ex amore proprio & superbia proficis-citur. Si vacui superbia essemus, non utique nos infirmitates nostræ turbarent; miraremur potius magnum aliquid a nobis agi, cum simus tam infirmi. Quoniam vero infirmitatem no-stram non cognoscimus, deque nostris viribus ni-mium præsumimus, si hæ nobis quandoque de-sint, tristamur, & sine modo aut ordine turba-mur. Fallimur, si hanc turbationem a contri-tione ortam putamus; contritio siquidem tran-quillus est dolor, qui ex caritate oritur, qui ho-minem omnia pati docet, & seipsum præcipue in suis infirmitatibus, supra quas tamen tolli cu-rat iis auxiliis, quæ sibi Religio offert (*a*).

Si

(*a*) Inter humanæ infirmitatis peccata etiam, quæ ex metu committuntur, sunt collocanda. Est au-tem

Si vere infirmitates noſtras noverimus, proximi infirmitates patienter feremus. Hoc Romanis Apoſtolus præcipit dicens: *Infirmum in fide aſſumite. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere* (*cap.* 14. & 15.). Sed inſita nobis ſuperbia zelum quandoque induit, zelumque ſimulantes fratrum non miſeremur, qui ex infirmitate peccant. Culparum noſtrarum, quas ex infirmitate commiſimus, facile obliviſcimur; fratrumque culpas exaggeramus (*a*).

CA-

tem *Metus* futuri, & inſtantis periculi cauſa mentio trepidatio. Quodſi malum abſolute, vel reſpective grave mentem torqueat; metus *gravis*; ſi leve, vel grave quidem, non tamen imminens animum pulſat, metus *levis* erit. Qui metu gravi adactus quidquam contra *legem naturæ*, atque adeo *intrinſece malum* committit, puta, qui metu mortis, exilii &c. Fidem negat, pejerat &c. graviter, attamen remiſſius quam abſente metu, peccat; quia licet adhuc voluntarie, moraliter tamen minus libere legem violat. At qui ex gravi metu aliquid contra *legem poſitivam* adeoque non intrinſece malum; ſed *malum quia prohibitum* perpetrat, puta, qui die jejunii comedit carnes; die Feſto laborat &c. nædum a tanto, ſed & a toto peccato excuſatur; quia Legislatorem ſive divinum, ſive humanum ad res, ex ſe non malas, cum tanto diſpendio omittendas &c. obligare ſuos noluiſſe, prudens, ac communis Epiikia ſuadet.

(*a*) Doctrina hæc iis præprimis eſt inculcanda Pœnitentibus, qui alieno in oculo feſtucam, in proprio nec trabem cernunt; qui toti in aliorum perſtringendis defectibus occupati, de efficaci ſuorum

CAPUT V.

Abominabilis Malitiæ exhibetur notio.

Quantum, qui ex infirmitate peccant, quam m nime diligunt, & cujus ſanitatem a Deo p ſtulant, ſunt venia digni; tantundem ſuperbi i & invereeundi peccatores ſunt deteſtandi, qui e ſola malitia peccant, & Deo quaſi prævalere v lunt. Hi ſunt, ut cum ſacris Litteris loquam qui bibunt iniquitatem ſicut aquam, qui os ſuu poſuerunt in cælum, & dixerunt: Quis noſt dominus eſt? contra quos ait David: *Quid gl riaris in malitia, qui potens es in iniqui* (*Pſalm.* 51.)?

Peccata malitiæ committuntur, cum conſci rans homo hinc Dei legem, quæ actionem a quam prohibet, inde actionis injuſtitiam, p namque æternam, qua eſt punienda, illam volu tarie committit, Deum formaliter contemnen quem actione illa offendit. Magna eſt volunt tis inordinatio, ſi creaturam præ Creatore di

g

---

rum emendatione parum, aut nihil anguntur; c in confeſſionali magis alios, quam ſe ipſos acc ſant; potius ſua bene facta, quam male acta ib dem phariſaice enarrant, ac tandem quo min ſe peccatores credunt, eo magis peccatores ev dunt, eo abominabiliores Deo, quo ſibi juſtiore Iſti profecto tam facile ad veritatis agnitione non pertingent, niſi a prudente Confeſſario exc tati, ac mente humiliati cum Pſalte regio quot die ad Deum ſuſpirent: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte;* & cum Eccleſia *A cæcitate cordis libera me Domine!*

gat, quin eidem hanc præferat; at immane est crimen, hanc Creatori positive anteferre, illumque velle deserere, ut hac fruamur, idque patrare quod verat, ut injuriam illi inferamus. Hoc pacto diabolum imitamur, qui ex sola malitia peccat, & mala operatur propter odium, quo Deum summe prosequitur.

Hæc malitia est *actualis;* sed illa *habitualis* appellari potest, quæ ex peccandi frequentia oritur, & male agendi est consuetudo. Sicuti enim boni habitus dicuntur virtutes, ita mali habitus vocantur malitia. Propterea mali peccare soliti semper ex malitia peccant; id eligentes ad quod ex malo habitu, qui quasi naturalis illis factus est, inclinantur (*a*). Secus enim agit qui *cum malo habi-*

(*a*) Omnes proin consuetudinarii, & occasioniſtæ, quousque remedia, malæ consuetudini, ac proximæ occasioni tollendæ inservientia negligunt, ex malitia peccant. *Consuetudinarius* ille est, qui in certa materia, seu eadem specie delinquendi turpem facilitatem, ac proclivitatem per frequentatos actus contraxit. *Occasioniſta* audit, qui in iis versatur Circumstantiis, ex quarum natura, vel spectata singulari fragilitate probabilius apparet; inibi persistentem adhuc sæpius graviter lapsurum. Quodsi quis ejusmodi periculosum objectum, ac lubricas circumstantias studiose alibi quærat, occasio *extranea:* si sua in domo, vel in se ipso habeat, occasio *intranea* erit; & quidem *necessaria*, si eam absque gravi absurdo, & damno deserere nequeat, uti filiusfamilias; *libera* vero, si eam statim, aut proxime vitare valeat, uti famula domestica. Plerique consuetudinarii etiam occasioniſtæ; non econtra omnes occasioniſtæ simul

habitu operatur, quam qui *ex ipso habitu* ma agit. Non semper ille ex malitia agit, ex a potest causa operari, veluti ex passione, aut ign rantia; at qui ex pravo habitu peccat, semp ex malitia peccat. Qui enim malum habitu habet, amabile semper id putat, quod propr habitui convenit, qui nova in illo est natur quod autem illi sic convenit est amor creatura in quo peccatum consistit: hinc semper ille censetur eligere, ideoque peccare ex malitia.

Pr

---

mul consuetudinarii sunt. Titius cum lasciva fe mina, quam jam aliquoties turpiter adamavit, h bitare pergens in proxima peccandi occasion nondum in consuetudine hæret; hæc tamen br vi suborietur, radicesque figet eo firmiores, q diuturnior peccandi fuerit occasio. Sicut consu tudinem, ita & *proximam* peccandi occasionem ceu illius causam vitare in re gravi sub gravi ob ligamur; vel saltem, si occasio necessaria sit, s lerti remediorum usu proximam in remotam trans mutare. Negligens, aut omnino renuens abs lutionis beneficio indignum se exhibet. Mitio rem agendi modum exigere videtur, qui in occa sione *necessaria;* severiorem, qui in occasione l bera; severissimum, qui in occasione *extranea* per sistens post plures admonitiones est deprehe sus. Vid. *Instruct. Confessariorum* S. Caroli Bor

Huc spectant duæ propositiones ab Innocen tio XI. an. 1679. damnatæ. Prima, inter damna tas num. 62, ista est: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* Altera num. 63.: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel pro ximi.*

Profecto peccantes ex malitia gravius peccant, quam peccantes ex passione; quod sanctus Thomas triplici probat ratione. *Primo quidem, quia cum ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius voluntati quæ ex seipsa in malum movetur; unde peccatum ex hoc ipso, quod est ex malitia, aggravatur, & tanto magis, quanto fuerit major malitia: ex eo vero, quod est ex passione diminuitur tanto magis, quanto passio fuerit magis vehemens. Secundo quia passio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit, & sic homo cito redit ad bonum propositum; sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diutius peccat. Tertio quia iste, qui peccat ex certa malitia, est male dispositus quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus; & sic ejus defectus est periculosior, quam ejus qui ex passione peccat, cujus propositum tendit in bonum finem, licet hoc propositum interrumpatur ad horam propter passionem* (1. 2. *qu.* 78. *art.* 4. *in corp.*).

Ex hac malitia, ut docet divus Thomas (1. 2. *quæst.* 79. *art.* 3.), homo obduratur, quod maximum est supplicium, quo in hac vita peccator a Deo punitur, Deus, ait Apostolus, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat* (*Rom.* 9.), idest hominem deserit, ut illum juste pro commissis peccatis puniat, & gratiam, qua indignum se reddidit, illi denegat. Nam hominem Deus indurat, *non impertiendo malitiam*; hoc siquidem Dei bonitati repugnat, *sed non largiendo gratiam*, quod justitiæ ejus convenit. *Et hoc* (ait idem

sanctus Augustinus *epist.* 109.) *dicitur obdurare peccatores quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.* Item: *Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio potest, iniquo non potest. Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam* (*in Psalm.* 47.) Non est mirandum, si peccatores in hoc statu manifesta non vident, cum tot tenebris eorum volentur oculi, ut nihil videant. *Quid mirum, cælestia non suspiciunt, qui & in terrena sunt proni, & dorsum eorum semper incurvum est?* Hoc quem diximus, modo cor Pharaonis, sic meritu Deus obduravit: & quis dubitet hunc Regem in iis peccasse, quæ contra Deum, ejusque populum operatus est? Post hanc obdurationem peccatum quod ejusdem est pœna, verum peccatum est; & quid peccatum mereatur, *indicat pœnæ meritum*, cum peccatores *& per ipsam pœnam etiam mala operantur.*

CAPUT VI.

Peccata contra Spiritum Sanctum breviter exponuntur.

Doctores quidam (ut docet divus Thomas 2. 2. *quæst.* 14. *art.* 1.) putant idem esse peccatum ex certa malitia ac peccatum contra Spiritum sanctum. Dicunt enim *peccatum in Spiritum Sanctum esse, quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritui Sancto, cui appropriatur bonitas, sicut Patri appropriatur potentia, & Filio sapientia. Unde peccatum in Pa-*

tren

trum dicitur esse, quando peccatur ex infirmitate: peccatum autem in Filium, quando peccatur ex ignorantia: peccatum autem in Spiritum Sanctum, quando peccatur ex certa malitia, ideſt ex ipſa electione mali. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo ex inclinatione habitus vitioſi, qui malitia dicitur; & ſic non eſt idem peccare ex malitia, quod peccare in Spiritum Sanctum. Alio modo contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur & removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, ſicut ſpes per deſperationem, & timor per præſumptionem, & quædam alia hujusmodi. Hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt, ſunt (ut ait *Apoſtolus*) effectus Spiritus Sancti in nobis. Et ideo ſic ex malitia peccare, eſt peccare in Spiritum Sanctum.

Dicit Dei filius in Evangelio: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro* (*Matth.* 12.). Illorum hic blaſphemiam innuit, qui de Filio hominis dixerant non ſolum: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus* (*Matth.* 11.): ſed inſuper addebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* 11.); quibus ille reſpondit: *In digito Dei ejicio dæmonia.* Erat igitur contra Spiritum Sanctum blaſphemia tam horribilis contra Chriſtum calumnia.

Putat Sanctus Ambroſius peccatum contra Spiritum ſanctum eſſe ſchiſma & ſimoniam. Spiritus ſanctus eſt Eccleſiæ pax, ſpiritus quo animatur,

matur, & qui in unitate corpus ejus conserva
Propterea qui novis opinionibus Ecclesiam tur
bant, qui schismata inter fideles fovent, qui ejus
corpus seu Christum scindunt, immane peccatum
committunt. Maximum reipublicæ malum est
civile bellum; maximum vero Ecclesiæ malum
est schisma, nec aliquid omittendum est, ut illud
evitetur; oportet etiam, ut olim Africani fecerunt
Episcopi, aliquo modo ecclesiasticos violare ca
nones, ut illud impediatur, aut sanetur: parvis
siquidem hæc disciplinæ vulnera utiliter (ait
sanctus Augustinus *Enchir. c.* 82. *serm.* 11. de
Verb. Domini, & de Serm. Dom. in monte) uni
tate compensantur, quam servant.

Sex communiter cum divo Thoma assigna
tur species peccati in Spiritum sanctum, scilicet
*desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstina
tio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fra
ternæ gratiæ. Avertitur enim homo ab electione
peccati ex consideratione divini judicii, & per
spem ex consideratione misericordiæ; & hoc tolli
tur per desperationem. Et iterum per timorem,
qui consurgit ex consideratione divinæ justitiæ; &
hic tollitur per præsumptionem, Dona autem Dei,
quibus retrahimur a peccato sunt duo, quorum
unum est agnitio veritatis, contra quod ponitur
impugnatio veritatis agnitæ; aliud est auxilium
interioris gratiæ, contra quod ponitur invidentia
fraternæ gratiæ. Ex parte vero peccati duo ho
minem a peccato retrahere possunt. Quorum unum
est inordinatio actus, cujus consideratio induce
solet in homine pœnitentiam; & contra hoc po
nitu*

nitur impœnitentia, *secundum quod importat propositum non pœnitendi. Aliud est parvitas boni, quod quis in peccato quærit, cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc, quod ejus voluntas in peccato non firmetur; & hoc tollitur per obstinationem, quando scilicet homo firmat suum propositum in hoc, quod peccato inhæreat* (2. 2. *quæst.* 14. *art.* 2.).

Verum ut proprie loquamur, summum contra Spiritum sanctum peccatum est vel erroneas opiniones in Ecclesiam invehere, vel agnitam veritatem impugnare, sive errore judicii, seu superbia, seu pravo alio affectu. Spiritus enim sanctus Doctor est Ecclesiæ, qui illam docet omnem veritatem: *Docebit vos omnem veritatem* (Joan. 16.); lumenque largitur ad veritatem cognoscendam, & robur ad tuendam. Quamobrem qui prava doctrina veritatem corrumpit, aut illam docentes impugnat, atque infectatur, hic Spiritus sancti personam lædit, & impugnat.

Peccatum hoc neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendum Dei Filius pronunciavit, ut diximus, subditque sanctus Augustinus: *Tanta est labes hujus peccati, quod humilitatem deprecandi subire non potest.* Non absolute est id intelligendum, nullum enim est peccatum, quod Dei misericordia non possit dimittere; sed juxta naturam peccati contra Spiritum sanctum, quod hominem ab iis removet, quæ peccati veniam impetrare possunt, summamque in peccatore malitiam supponit, quæ ad finalem impœnitentiam plerumque perducit.

SECTIO III.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

CAPUT I.

Superbiæ descriptio, ejusque species.

Superbia inordinatus est propriæ excellentiæ amor, ipsaque in cœlo Angelum peccati reum fecit. In terrestri autem Paradiso Adamo peccandi ansam dedit, cunctisque postea hominibus peccandi causa fuit. Hoc axioma protulit Ecclesiasticus: *Initium omnis peccati superbia* (*cap.* 10.). Peccavit Angelus, quia similis voluit esse Altissimo: *Ero similis Altissimo* (Isaiæ 14.). Peccavit primus homo, quia voluit esse sicut Deus sciens bonum & malum, & loco subdendi se Deo veloti principio suo, voluit superbiæ motu, & propriæ excellentiæ amore divino se subtrahere imperio. Homo, qui per originale peccatum desiderium idem hæreditavit, Deum imitari quærit in iis, quæ committit, peccatis, sed perverse & impie, ut inquit sanctus Augustinus: *Perverse te imitantur omnes, qui longe se a te faciunt, & extollunt se adversum te* (*Conf. l.* 1.). Deus est Deus, quia seipso delectatur, nec ab alio dependet. Sic peccator Dei præceptum violat, ut seipso vel creatura delectetur, & ut divinæ legis jugum excutiat, ideoque (inquit sanctus Thomas

1.2. *quæst.* 84. *art.* 2.). „Superbia differt a cupi-„ditate; quia cupiditas respicit peccatum ex parte „conversionis ad bonum commutabile, ex quo „peccatum quodammodo nutritur; & propter „hoc cupiditas dicitur *radix:* Sed superbia re-„spicit peccatum ex parte aversionis a Deo, cujus „præcepto homo subdi recusat, & ideo vocatur „*initium* quia ex parte aversionis incipit ratio ma-„li. Et hæc quidem quamvis vera sint, tamen „non sunt secundum intentionem Sapientis, qui „dicit: *Initium omnis peccati est superbia.* Hæc proprie est hominis post peccatum corruptio, humanæ naturæ universale venenum; hic morbus est, qui sanos etiam inficit, occulta, difficilisque præ cæteris infirmitas. Postquam Christum diabolus gula tentavit, illi proponens, ut lapides in panem mutaret, & curiositate, illi suadens, ut e pinna templi se præcipitem daret, & experiretur, an sibi Deus opitularetur; demum excellentiæ, dignitatisque supra cæteros desiderio illum tentavit, omnia mundi regna illi ostendens, ac promittens, si cadens ipsum adoraret. Sed victus *consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo* (*Luc.* 4.).

Sanctus Gregorius quatuor superbiæ species enumerat inquiens: *Quatuor quippe sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant: aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe cum jactant se habere, quod non habent: aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent* (*lib.*

23. *Moral. cap.* 6.). Prima igitur ſuperbiæ ſpe cies eſt, bonum ſive temporale, ſive ſpiritua gratiæ, quod a Deo accepimus, ſibi tribuere Propterea ſanctus Auguſtinus ingratos vocat Pe lagianos, qui gratiæ Jeſu Chriſti neceſſitatem ne gabant, & contra ipſos ejusdem diſcipulus ſa ctus Proſper eximium ſuum Poema ſcripſit, quod *adverſus Ingratos* appellavit. Caveant itaqu Chriſtiani, ne bonæ ſuæ indoli, ingenio, virtuti diligentiæ, labori bona opera tribuant, quæ fe ciunt. Hæc eſt diabolica ſuperbia; ſibique ſem per illud debent repetere: *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris* (1. Cor. 4.)? Hæc maxima eſt ſuperbia, & proprie dia bolica: Lucifer enim a ſemetipſo habere volui quod a Deo habuerat, illique non ſubjici; ſed æqualem eſſe: *Et ero*, inquit, *ſimilis Altiſſimo* (*Iſaiæ* 14.). Ideo Ethnicorum ſibi adoration comparavit, nempe injuſtum & crudele in illos imperium exercuit.

Secunda ſuperbiæ ſpecies eſt, bona quidem gratiæ ſeu ſpiritualia, quæ habemus, a Deo pro fecta fateri, ſed ea putare propter noſtra merita nobis conceſſa, aut labore noſtro parta. Hunc præ cæteris errorum ſacræ Litteræ condemnant. In Deuteronomio Iſraelitas ſic Moyſes admoner *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt* (*cap.* 8.) In Proverbiis Salomon ait: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Interrogat ſanctus Auguſtinus: *Qui eſt ſuperbus?* & reſponder: *Qui illa ipſa pauca quæ videtur habere, bona ſibi arrogat, & dero*

misericordiæ Dei (*in Psalm* 93.). Pelagianorum hic est error, qui gratiam secundum merita dari asserebant, quod ejusdem nomen, naturamque destruit, ut ait Apostolus: *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* 11.). In hoc peccatum spirituales homines, nisi diligenter sibi caveant, facile labuntur: peccati siquidem corruptione fit, ut, quæ facit bona, homo sibi arroget, & Deum remuneratorem potius, quam misericordem arbitretur. Nil tamen magis, quam hæc superbia, Deum offendit; suosque Christus discipulos in Evangelio sic monet: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus* (*Luc.* 17.).

Tertia superbiæ species est, jactare se habere quod quis non habet, aut plus quam vere habet. Adversus hoc vitium in Apocalypsi sanctus Joannes sic loquitur: *Dicis, quod dives sum, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus* (*cap.* 3.). Ex erronea opinione, qua merita nostra metimur, hoc peccatum proficiscitur: ex laudibus, quas nobismet ipsis tribuimus, & ex bonorum operum narratione, quæ ipsi fecimus, quorum meritum perfectionemque exaggeramus. Glorioso homine nil in civili societate odiosius; at in christiana republica nil hac jactantia iniquius, nisi in spiritu apostoli Pauli fiat. In secunda ad Corinthios epistola se ipse laudat, & a se habitas visiones recenset; tres tamen aut quatuor parentheses interserit, quibus suam accusat stultitiam, ostendit-

que

que invitum se loqui. *Utinam*, inquit, *sustineritis modicum quid insipientiæ meæ. Alioquin velut insipientem accipite me, at ego modicum quid glorier. In insipientia dico* (2. Cor. 11.).

Quarta superbiæ species est, se aliis anteferre, illosque extollendi se causa aspernari. Talis est Pharisæi superbia, quem in Evangelio Dei filius tam acriter reprehendit: *Non sum sicut cæteri hominum, & velut etiam hic publicanus* (Luc. 18.). Sic loquens multipliciter peccabat. Primo quia ore solum, non corde, de bonis suis operibus gratias Deo agebat, & revera sibimetipsi placebat: secundo non solum sibimetipsi placebat, sed anteferebat se cæteris, suaque facta laudabat: tertio se peccatorem esse negabat: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti*: quarto proximum suum notabat: *velut hic publicanus*; quasi monere Deum voluisset, quantum ab aliis ipse distaret, & simul temere fratrem suum judicans. Quamobrem de duobus hisce hominibus ita loquitur sanctus Augustinus: *Ille superbus erat in bonis factis, ille humilis in malis actis. Videte, fratres: magis placuit Deo humilitas in malis actis, quam superbia in bonis factis. Sic Deus odit superbos. Ideo sic concluſit: Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam. Hæc est ergo disciplina christiana, nemo facit aliquid bene nisi gratia ipsius: quod facit homo male, ipsius est hominis. Cum cæperit facere bene, non sibi tribuat; gratias agat ei, a quo accepit. Cum autem bona facit, non insultet ei, qui illud non facit, ut extollat se super illum.*

Non

Non enim in illo finita est gratia Dei, ut ad alium non perveniat.

Quamvis autem omnibus hisce modis superbiæ peccatum committatur, non semper tamen est mortale. Nam ut mortale peccatum sit superbia, oportet primo se comparare Deo, vel anteferre, aut Deo contempto, excellentiam aliquam sibi tribuere: oportet secundo propriam excellentiam ita diligere, ut propter illam conservandam, vel acquirendam quis sit paratus Dei mandata violare: tertio oportet propriæ excellentiæ amore vel cura proximum odisse, illumque injuriis aut calumniis lædere. Hoc attendere illi debent, qui causam falso prætexentes honoris familiæ suæ aut communitatis tuendi, aut zelo pessimo illas celebrandi, alios homines aut communitates calumniis opprimunt, aut illorum famam malis artibus lædunt (*a*).

CAPUT

(*a*) Remedia Superbiæ tumorem supprimentia generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjumenta, speciatim vero hæc: 1. Sæpe humilitatem a Deo petere. 2. Quotidie suum nihilum, suamque infirmitatem considerare. 3. Suos nævos, ac propemodum infinitos contra Dei legem excessus seria mente revolvere. 3. Superborum, quibus Deus restitit, pœnas, ac finalem interitum ex historia tum sacra tum profana sæpe perpendere. 4. Humilium tranquillitatem, ac tam apud Deum, quam apud homines in gratia profectum meditari. 5. Bonæ ac puræ intentioni de mane faciendæ,

CAPUT II.

Superbiæ infaustæ enumerantur Filiæ.

Plures perversæ filiæ juxta S. Thomam (2. 2. *q.* 162. *art.* 4.) e superbia nascuntur; primo inanis gloria; secundo jactantia; tertio hypocrisis; quarto contentio; quinto discordia; sexto obstinatio; septimo curiositas; octavo novitatum amor; nono ambitio; decimo inobedientia; tandem hæresis, de qua inquit Sanctus Augustinus: *Diversis in locis diversæ sunt hæreses, sed unam mater superbia omnes genuit.* De singulis illis perversis filialibus nonnulla dicemus.

§. I.

Cenodoxia, seu inanis gloria.

Inanis gloria est juxta S. Th. (2. 2. *q.* 132. *art.* 1.) inordinatus gloriæ appetitus; gloria autem est clara cum laude notitia. Superbia est excellentiæ desiderium; inanis vero gloria est desiderium, ut hæc excellentia innotescat, & bonas nostras qualitates, ac dona omnes sciant, & cognoscant. Hoc desiderium non semper est peccatum; sed solum 1mo, cum hoc desiderium ex bonis oritur, quæ non habemus: 2do cum plus gloriæ desideramus,

dæ, & interdiu ante nobiliora opera renovandæ assuefieri. 6. Sæpius in faciem Jesu Christi, e cruce penduli, ad mortem usque humilitati respicere, & virtutem humilitatis ex tota ipsius vita discere.

mus, quam meremur: 3tio cum de malo gloriamur: 4to cum hoc desiderium caret bono fine veluti Dei gloria, honore Ecclesiæ, proximi salute, aut peculiari utilitate, sive corporali, sive spirituali, quæ recta sit; si enim hi fines adsint, non peccatur. Discipulis suis dicebat Christus: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est* (*Matth.* 5.). Gratis se Evangelium prædicasse gloriatur Apostolus, & ait: *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (1. *Cor.* 9.): deinde subdit: *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (2. *Cor.* 8.). Bona fama Episcopus & Parochus indigent, ut recte munera sua exerceant; & ideo gloriam iis optare licet. Si vero gloria quæritur, ut peccatum aliquod committatur; exempli gratia, cum vir nobilis ad bellum pergit, strenuusque optat haberi, ut mulieri placeat, illamque fallat; vel ut non meritam dignitatem obtineat, aut peccatum aliud committat: tunc famam optans inanis gloriæ peccatum committit.

Valde subdolum est hoc peccatum, propriumque cor diligenter nobis est examinandum, cum gloriam optamus. Facile namque fallimur, propriamque gloriam optare nos credimus aut propter Deum, aut propter proximum, aut propter officii nostri exercitium; & propter nos ipsos plerumque gloriam optamus: tutius est hoc desiderium compescere. Quemadmodum enim prava opera sunt vitanda, quæ nos apud homi-

nes

nes dehoneſtant; ita bona non ſunt facienda, u
humanas laudes captemus, multoque minus f
nem noſtrum in hac gloria collocare debemus
Phariſæos Dominus arguit, qui opera ſua bon
palam faciebant, ut viderentur ab hominibus, i
losque affirmat recepiſſe mercedem ſuam. D
ſcipulos vero ſuos ita monet: *Te autem faciente*
eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dex
tera tua: & pater tuus, qui videt in abſcondito
reddet tibi (*Matth.* 6.). Adeo ſecreto eleemo
ſyna eſt facienda, ut, etſi oculos ſiniſtra habere
quid faciat dextera, non videat.

Gloriæ deſiderium omnes Ethnicorum virtu
tes moderabatur: magna non ordiebantur, ne
affectus ſuos regebant, niſi ut hominum gloriam
aucuparentur; atque inter ipſos gloriæ amor mag
ni animi erat indicium. Veruntamen hoc eorum
virtutes corrumpebat, dumque hominibus prob
& integri videbantur, rei apud Deum fiebant.
Non ſic Chriſtianis agendum: bonum idcirco fa
ciant, quia bonum eſt, & a Deo præceptum, non
hominum laudes aut æſtimationem quærant.
Conſcientia ſua contenti ſint, Deique oculis. Sal
vatorem imitentur, qui ait: *Ego non quæro glo*
riam meam: eſt qui quærat, & judicet (*Joan.* 6.).
Cum a ſeipſo ſit homo miſer & mendax, non ha
bet, unde glorietur: quæcumque habet bona, a
Deo accepit. Deo igitur ſolum danda eſt gloria;
alioquin homo fur impius eſt, qui bonis meretur
ſpoliari, e quibus gloriam injuſte ſibi vendicat.
Porro Chriſtianus Chriſtum præcipue imitari de
bet

bet, qui opprobriis plenam vitam duxit, eaque ita amavit, ut iis saturari voluerit.

§. II.

Jactantia.

Jactantia sæcularibus etiam hominibus est odiosa; at in iis, qui veram pietatem profitentur, longe est detestabilior. Ex simplicitate nonnulli cuncta sua bona opera omnibus narrant, gratias quas a Deo accipiunt, omnesque cordis sui latebras: imprudentes saltem hi sunt; & interdum vani; *etenim sacramentum regis abscondere bonum est* (*Tob.* 12.). Non ad omnes, qui audiunt, hæc pertinent, & hæc narratio ridiculos aut vanos ostendit, qui ista recitant, & pietatis opera contemptui exponit.

Jactantia, ut eam communiter Theologi definiunt, est inordinata propriæ excellentiæ manifestatio ultra id, quod in se est, aut alii judicant. Ex inordinatione præcipue est peccarum; nam si ex caritate quis loquitur, sicut Sanctus Paulus dum suas narrat visiones, recte is ageret. Quod si quis de peccato se jactet, novum peccatum committit; maximumque hoc est sæcularium hominum crimen, qui ea inverecunde prædicant, quorum esset illis erubescendum. Hujus se peccati Sanctus Augustinus accusat, veniamque a Deo poscit: *Et præceps*, inquit, *ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam vos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, & libebat facere, non solum libidine facti, verum*

etiam laudis. Quid dignum est vituperatione v vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam, ubi non suberat, quo admisso æquarer perditi fingebam me feciſſe quod non feceram, ne vider abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior h berer, quo eram castior (lib. 2. Conf. cap. 3.).

Jactantia etiam peccatur, cum proximo injuria. Medicus exempli gratia se nimium j ctans infirmis, ut in se confidant, persuadet, fa que ignorantia illos interficit: hic mortaliter pe cat. Idem de advocato dicendum, qui client bus persuadet, ut sua sibi negotia committant quæ inscitia sua labefactat: hic ad restitutionem tenetur.

Peccatum mortale est jactantia, quando cum Dei injuria & contemptu est conjuncta; veluti quis bonum opus sine Dei auxilio se feciſſe jact ret: vel cum gravem proximi contemptum co nexum habet; veluti si miles, ut sua merita exag geret, ignaviæ alios accusat; aut si Judex colle gas suos inscitiæ, aut injustitiæ arguit.

§. III.
Hypocrisis.

Hypocrisis juxta S. Thomam (2. 2. *q.* 111.) e simulatio virtutis. Verbis autem, aut oper bus virtus fingi potest; operibus, quando aliqu exterior actio virtutis fit, quæ non habetur; ve bis, quando ita quis loquitur, quasi talem habe ret virtutem. Exempli causa impudicus hon

stam

stam aliquam actionem facit, ut populum fallat, aut ut vitium suum celet, ac si vere castus esset, de castitate loquitur: se probum aliquis fingit, ut Beneficium obtineat, quod hoc ævo sæpe fortasse evenit. Inquit Job: *Spes hypocritæ peribit. Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. Congregatio hypocritæ sterilis. Gaudium hypocritæ adinstar puncti; si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: Ubi est? Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo* (*cap.* 8. 13. 15. 20. 27.): Ecclesiastici autem ore ita nos hortatur Spiritus Sanctus: *Ne accesseris ad Dominum duplici corde, ne sueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis* (*cap.* 1.). Jeremias vero de hypocritis ait: *Sagitta vulnerans lingua eorum locuta est, in ore suo pacem cum amico loquitur, & occulto ponit ei insidias* (*Jerem.* 9.).

Maximum Pharisæorum crimen, quod illis Dei filius objicit, est hypocrisis: ob hanc insolitas in illos maledictiones jacit: *Væ vobis, Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia* (*Matth.* 15.). Profecto nihil Deo odibile magis, quam hypocrisis. Sic enim agit hypocrita, quasi virtutis specie Deum fallere posset, qui est scrutator cordium, horumque penetrat abyssos. Proximum sane fallit, & mala innumera societatibus affert, sive civilibus, sive religio-

sis. Hinc mali existunt Superiores, qui ovina pelles induunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Cajetanus asserit (*in 2. 2. quæst.* III.) etiamsi quis esset hypocrita, & virtutem simularet, ne scandalum proximo præberet, hunc tamen peccaturum; hoc enim esset mendacium, & omne mendacium, utpote veritati contrarium est peccatum.

§. IV.

Contentio.

Contentio juxta S. Thomam (2. 2. *quæst.* 38.) est sermo, quo veritas ab alio defensa impugnatur. Non est igitur peccatum de Religionis veritatibus exercitii causa disputare, ut in Scholis christianis fit; at contra veritatem ab Ecclesia propositam disputare, ut illa destruatur, & nova invehatur opinio, ambitionis aut æmulationis animo, maximum proculdubio est peccatum. Timeant, qui tot novas ediderunt opiniones sive contra dogmata, sive contra mores, & qui tot libris illas tueri conati sunt. Nil Religioni periculosius, nil fidei simplicitati, quæ dogmata non examinat, nec nova quærit, solamque Ecclesiæ doctrinam recipit, ac prædicat, magis adversum.

Ex animi superbia contentio passim oritur, qui ad ingenii ostentationem aliorum sententiis acquiescere dedignatur, Timendum vero, ne tandem in errorem prolabatur, suumque Deus lumen iis auferat, qui ex præsumptione veritatem impugnant. Sanctus Paulus de mulierum more lo-

loquens, quæ velatæ Eccleſiam ingrediuntur, ait: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus* (1. *Cor.* 11.). Vox φιλόνικος, qua utitur, ſignificat victoriæ amantem, qui enim diſputant magis plerumque ſatagunt, ut ipſi vincant, quam ut vincat veritas. Initio veritatis amor propoſitionem, quam veram credimus, tueri nos cogit; ſed paullatim illam, quia noſtra eſt, tuemur. Si diſputatione ſolum tueretur, minus peccaremus; ſed ſæpe injurias, calumnias, malas artes in adverſarios addimus, non modo contra veritatem, ſed contra caritatem etiam & juſtitiam. Propterea Apoſtolus inquit: *Ambulemus non in contentione, & æmulatione* (*Rom.* 13.); & Corinthios ſic arguit: *Carnales eſtis, cum ſit inter vos zelus, & contentio* (1. *Cor.* 3.): & contentionem inter carnis opera recenſens ait: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, inimicitiæ, contentiones, iræ, rixæ* (*Galat.* 5.). Philippenſes admonet, ut *nihil per contentionem* agant (*Philipp.* 2.). Quæ contentionem a ſpiritu Religionis longe abeſſe declarant, ſummoque a nobis ſtudio fugiendam.

§. V.

Diſcordia, & Obſtinatio.

Diſcordia juxta S. Thomam (2. 2. *quæſt.* 37.) eſt voluntatum contrarietas circa idem objectum. Modo mortale peccatum eſt, modo veniale, interdum nullum. Diſcordia *quando ſcienter & ex intentione diſſentit a bono divino, & proximi bono, in quo debet conſentire, eſt peccatum mortale*

le ex suo genere; & propterea summe inter illos pernicioſa eſt, qui Rempublicam adminiſtrant. Fidelibus Apoſtolus nil magis commendat, quam eorumdem ſenſuum unionem. Ad Romanos ſcribens orans ait: *Deus det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ut unanimes & uno ore honorificetis Deum* (*Rom.* 15.). Corinthios ſic hortatur: *Obſecro vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti eodem ſenſu & in eadem ſententia* (1. *Cor.* 1.). Secundo ad Epheſios capite idem illis inculcat dicens: *Eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.*

Porro id propterea tam ſollicite monet Apoſtolus, quia *multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alterius membra* (*Rom.* 12.). Particularis vero cupiditas diſcordiam parit; neque certius aliud eſt indicium eſſe aliquem diaboli filium, quam eſſe diſcordiæ amantem.

Obſtinatio eſt propriæ ſententiæ adhæſio; & poteſt eſſe mortalis, quando agitur de proximi ſalute, vel gravi negotio, aut de aliqua fidei veritate. Exempli cauſa medicus in conſultatione, ubi de ægri vita agitur, non vult meliori aliorum ſententiæ acquieſcere, ſed ſuam ſequens infirmo mortem affert; hic mortaliter peccat. Similiter Doctor, qui ſententiam ſuam mutare renuit, quamvis falſam eſſe noverit, mortaliter peccat illam obſtinate defendens. Ex ſuperbia hoc vitium naſci-

naſcitur, quæ cæteris præeſſe vult, quæ ſe falli poſſe non putat, aut veritatem demum agnoſcens, in errore ſe fuiſſe renuit fateri. Contra chriſtiana humilitas docet ſibimetipſi non fidere, & robur ad malum pudorem vincendum tribuit, qui teſtimonium reddere vetat veritati, quam diu neſcivimus, aut impugnavimus. Obſtinatio interdum conſtantia vocatur; attamen ab hac virtute longe illa diſtat. *Non ideo*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſuſcipienda eſt pertinacia, quia optanda eſt conſtantia. Nam ſicut conſtantia non ſinit hominem depravari, ſic pertinacia non ſinit hominem corrigi: proinde ſicut illa laudanda, ſic iſta emendanda eſt.*

§. VI.

Curioſitas.

Sanctus Joannes Apoſtolus ait: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* (1. *Joan.* 2.). In prima comprehenditur *curioſitas*, quæ definitur inordinatus ſciendi appetitus.

Homo cum ſcientia creatus eſt, Deum Creatorem ſuum cognoſcebat, cognoſcebat ſeipſum, & creata omnia, quibus veluti dominus imperabat; ſed propter peccatum in ignorantiam lapſus eſt, & Deum, ſeipſum, cæteraque omnia ignoravit. In ignorantia naſcimur, quia peccati Adæ hæredes ſumus: ſenſum tamen aliquem primæ illius ſcientiæ conſervamus, a quo ſciendi deſiderium proficiſcitur. Quando rationi hoc deſiderium non paret, & propter ſolam ſciendi voluptatem,

tatem nos ad sciendum sollicitat, curiositas appellatur. Hæc concupiscentia mentem lædit, dum omnes exteriores sensus corrumpit; non solum enim delectabilia quærit, sed illa etiam quæ voluptate carent, ut ea experiatur. Mala potius curiositate, quam voluptate quidam illecti in peccatum lapsi sunt, quod corpus violat Spiritus Sancti templum. De amico suo Alipio sanctus Augustinus hæc narrat: *Cum dicerem multum interesse inter illud, quod ipse raptim & furtim expertus esset, & delectiones consuetudinis meæ, adquas si accessisset honestum nomen matrimonii, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem spernere; cæperat & ipse desiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna videretur* (*Confess. lib. 6. cap. 12.*). Aliud quoque exemplum de eodem Alipio (*ibidem cap. 8.*) narrat idem sanctus Doctor inquiens: *Romam præcesserat, ut jus disceret, & ibi gladiatorii spectaculi hiatu incredibili & incredibiliter abreptus est. Cum quidam ejus amici, & condiscipuli familiari violentia duxerunt in amphitheatrum crudelium, & funestorum ludorum. Quo ubi ventum est, cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus aperuit oculos, immanitatem simul ebibit, & non se avertit, sed fixit aspectum; & hauriebat furias, & nesciebat, & cruenta voluptate inebriabatur: & non erat jam ille qui venerat, sed unus de turba ad quam venerat.* Vehemens adeo in Alipio hæc curiositas evasit, ut

solo

solo omnipotentis Dei auxilio illam vicerit, quemadmodum idem refert Augustinus Deum sic alloquens: *Et inde tamen manu validissima & misericordissima eruisti eum, & docuisti non sui habere, sed tui fiduciam.*

Oritur etiam ex hac curiositate cupiditas sciendi futura & curiosa ope Astrologiæ judiciariæ, aut alius divinationis, vel magiæ. Plerique absque scrupulo suæ nativitatis horoscopum exquirunt; & quod pejus est, fidem hominibus illis adhibent, de quibus præclare ait Tacitus: *Genus hominum petentibus infidum, sperantibus fallax, quod nostra civitate semper vetabitur, & retinebitur* (*Hist. lib.* 1.). Verus christianus Deo dicit: *In manibus tuis sortes meæ* (*Psalm.* 30.): se totum Omnipotentis voluntati subjicit, suique curam illi committit, nec de die crastino est sollicitus, sciens bonum patrem esse Deum, qui erga filios misericordiarum est pater, & Deus totius consolationis. Quatuor modis curiositate peccatur: primo ratione subjecti, secundo objecti, tertio finis, quarto circumstantiarum. Ratione objecti diversimode peccatur: quando scilicet aliquid scire cupimus neque proprio muneri, neque Dei gloriæ, neque proximi utilitati necessarium. Sic Sacerdos aut Religiosus, qui scientiis curiosis, veluti Physicæ, Mathematicæ, Mechanicæ, Politicæ nimis incumberet: in iisque tempus suum tereret, profecto peccaret; hæ siquidem scientiæ parum illum juvant, ut suo recte munere fungatur, aut proximo prosit; atque hæc curiositas Ecclesiæ non honorem, sed scandala sæpe

parit. Ideo Canones scientias curiosas Clericis prohibent; quia plerumque religionis spiritum & fidei humilitatem extinguunt: dum enim mathematicam propositionem examinamus, vel Astronomiæ systema; aut aliquid in Chymica experimur, non facile Deum meditamur, verum superbia sæpe tumescimus. Secundo mortaliter peccamus, si ea, quæ scire cupimus, ad mortale peccatum nos pertrahunt. Sic amatoriarum narrationum lectio ipsa est mortale peccatum, quibus contra pudicitiam tentationes excitat, quod fere semper adolescentibus evenit: idem de libris dicito, qui inhonesta tractant. Tertio curiositas sciendi vetita est peccatum. Tales sunt magicæ superstitiones, quas discere non licet, quia, ex se utpote malæ, sunt vetitæ.

Malus quoque *finis*, quo scientia quæritur, vitiosam reddit curiositatem. Qui ideo solum studio incumberet, ut doctus fieret, aut curiositatem suam expleret, & humanas laudes acquireret, certe peccaret; hic enim nec Dei gloriam respiceret, neque proximi, neque sui ipsius utilitatem, qui fines scientiæ esse debent. Sanctus Bernardus rectè hos fines distinguit dicens: *Sunt qui volunt scire, ut sciant, & vanitas est: sunt qui volunt scire, ut lucrum faciant, & turpis quæstus est: sunt qui volunt scire, ut alios doceant, & caritas est.*

Quantum ad *circumstantias* attinet, curiositas peccatum mortale est primo, cum ad mortaliter peccandum impellit; veluti quando aliquis id scire vult quod alter ex gravi ratione, vel ex con-

conſcientia celare tenetur. Secundo quando quis ut ea cognoſcat, quæ ſcire non tenetur, ea negligit, quæ ſcire debet: exempli gratia ſi quis ut peregrinam ſcientiam diſcat, officii ſui ſcientiam negligit, veluti ſi Advocatus Aſtrologiæ ſolum libros legeret, nec juris libros attingeret, grave peccatum committeret; vel ſi quis ſtudendi cauſa, die feſto audire Miſſam omitteret, hæc pariter curioſitas peccatum eſſet mortale.

Eſt quoque mortale peccatum curioſitas, cum grave proximo dat ſcandalum. Hinc non eſt dubitandum, quin illi peccent, qui in ſcientiis ab officio ſuo valde diſſitis docti videri volunt, tales ſunt Presbyteri, qui libros vanos & curioſos ſcribunt, unde proximo ſcandalum præbent.

In ipſa theologica ſcientia periculoſa exiſtit curioſitas, cum veritates divinas curioſius ſcrutamur, ut nobismetipſis placeamus, vel ut docti videamur. Damnandum ſemper eſt ſtudium, quotieſcumque nos a ſpiritualibus exercitiis avocat, aut a caritatis operibus, quæ muneris noſtri ſunt. Exempli gratia ſi Parochus, qui ad animarum ſalutem debet incumbere, ita ſtudio vacaret, ut neceſſarium aliquod Parochiæ ſuæ officium omitteret, peccaret mortaliter, aut venialiter, juxta rei gravitatem, & damnum proximo illatum.

Animi curioſitas in ſcientiis novas plerumque ſententias excogitat; quæ *novitas* valde periculoſa eſt, ſi ad religionis dogma, moresve ſpectat; nam altercationes, & ſchiſmata in Eccleſia generat, & tandem ſæpe hæreſes. Qui veterem Eccleſiæ doctrinam circa dogmata, aut mores ſcriptis, vel

vel lingua evertunt, considerent Doctores quam graviter peccent, dum viam christianis pandunt ad violandum Evangelium, & nova Antiquis incognita invenere sophismata, quibus fideles confisi passionibus suis obtemperent.

§. VII.

Inobedientia.

Postrema inanis gloriæ filia est inobedientia, quam ut cognoscamus sciendum est quid sit obedientia. *Est autem obedientia virtus, cujus objectum est superioris præceptum* (*S. Thom. 2. 2. quæst.* 104.). Est virtus, quia pars est justitiæ, quæ hominem in rebus ad proximum spectantibus perficit. Hominem obedire paratum reddit, & hinc est specialis virtus; nam superioris præcepto potest quis obedire ex fide, aut ex caritate, neque tunc ab aliis obedientiæ virtus distingueretur: sed cum præcepto ut præcepto obedimus, hæc est obedientiæ virtus.

Obedientiæ *inobedientia* opponitur, quæ sic definitur: Transgressio præcepti Superioris ut Superioris. Talis Dei præcepto fuit Adæ inobedientia. Ex hac prima inobedientia hominum inobedientia proficiscitur, qui nulli Superiori obedire volunt: ex inobedientia autem omnia in mundo scelera proficiscuntur. Apostolus præcipit, ut *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (*Rom.* 13.). Principis legibus est obediendum, qui in suo Regno est Superior.

Docet

Docet ſanctus Thomas, quod *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire* (2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5.). Exempli gratia ſi Superior inferiori juberet, ut opinionem crederet, aut aliquem amaret, obedire inferior non teneretur; anima enim ſoli Deo eſt ſubdita, cui uni hæc cæca obedientia debetur, cum nil injuſtum poſſit præcipere; quod de nullo hominum dici poteſt. Neque Superiori obedire tenemur (inquit idem divus Thomas *ibidem.*), in iis quæ ad proprium ſubditi ſtatum pertinent. Si pater exempli gratia filiæ ſuæ præcipiat virginitatem, aut religionem, hæc obedire non tenetur.

Si duo Superiores contraria duo præcipiant, illi eſt parendum, qui majorem jurisdictionem habet. Exempli gratia ſi in quadam parochia presbytero Parochus aliquid jubeat, & contrarium Epiſcopus eidem præcipiat, obedire hic debet Epiſcopo, qui primus ejus eſt Superior. Idem eſt dicendum de Pontifice & Epiſcopis circa ſpiritualia, quando eorum præcepta Eccleſiarum libertatibus adverſantur. Si vero de temporali negotio ageretur, & aliquid Pontifex juribus Principis adverſum juberet, illi obedire non teneremur.

Nulla igitur præſtanda eſt obedientia Superiori, qui vel veniale peccatum præciperet: at *ejus juſtus recte poteſt agere, ſi quod ſibi jubetur vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi; innocentem oſtendat*

dat ordo ſerviendi (23. quæſt. 1. can. *quid culpatur.*). Attamen ſi hoc præceptum proxim ſcandalum, aut grave damnum afferret, pare dum non eſſet; nam ut obediendi adſit obligat ea imperentur oportet, in quibus imperans Superior, & obediens ſit inferior, ut filius domeſticis rebus, & famulus in ſervilibus. Quo ſi pater aliquid filio præciperet, & dux, in cuj exercitu hic militat, aliud contrarium juber attendendum tunc eſſet, an majus bonum, v malum ex obedientia, vel ex inobedientia eſſe oriturum: etenim ſi aliquod ex inobedientia m lum exercitui oriretur, teneretur filius duc præceptum præcepto patris anteferre. Oporte etiam ad inducendam obediendi obligationem, u Superioris voluntas tacite vel expreſſe innoteſc

Religioſi Superioribus obedire non tenentu in iis, quæ ſunt majoris perfectionis, veluti je juniis, aut extraordinariis aliis mortificationibus quæ a Regula non præcipiuntur. Quamvis & i aliis obedire perfectius ſit, ſufficit tamen, ut e obſervent, quæ Regula præcipit, aut ſine quibu Regula obſervari nequit, & pœnas ſubeant, qua illa præſcribit. Multo vero minus Superiorib obedire tenentur, ſi aliquid contra Regulam pre cipiant, niſi gravis id faciendi adſit ratio. Poſſe exempli gratia Superior jejunium ſubdito proh bere, quia valde nocet ejus ſanitati; & tunc e obediendum. Id attendere præcipue debent Re ligioſæ, quæ ſuæ Regulæ exercitiis nimis adhæ rent; quibus neque ex Superiorum præcepto de eſſe volunt, quamvis ſuæ ſanitati vehementer no

ceant

ceant: & in hoc amor proprius, & propria voluntas magis reperitur, quam verus mortificationis amor.

§. VIII.

Ambitio.

Ambitio juxta hominum exiſtimationem eſt magni animi ſignum, & Heroum paſſio; imo, ſi hos audias, illuſtrium actionum eſt parens: at juxta Evangelii principia eſt vilis animi nota, & ſcelerum omnium mater. Indigniusne aliquid homine eſſe poteſt, quam inferiora ſe diligere, & hæreditatem ſuam, quæ in cœlis eſt, reſpuere? Mundi dignitates omnes creata ſunt bona, ideoque longe inferiora increatis bonis, ad quorum acquiſitionem creatus eſt homo. Cum igitur homo Deum deſerit, ut creaturis adhæreat, ipſe ſe deprimit, illamque animi ſui imbecillitatem declarat, quam præſefert, qui in exercitu calo mavult eſſe, quam imperator. Habeme mundus regnum, quod cœleſti regno poſſit æquari? Verum non ego concionatorem hic agam: ſufficit ambitioſorum errorem obiter innuiſſe, qui magnum preſeferre animum putant, dum animi ſui puſillitatem declarant. Supervacaneum eſt ambitionis mala recenſere: depopulatæ, & deſolatæ provinciæ, hominum clades, urbium incendia hujus paſſionis ſunt fructus, crebraque horum exempla Hiſtoriæ ſuppeditant.

Itaque intra dogmaticos terminos me contineo, & dico ambitionem inordinatum appetitum dignitatum & honorum mundi. *Tripliciter autem*

tem (inquit ſanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 131 *art.* 1.) *appetitum honoris contingit eſſe inordinatum, Uno modo per hoc, quod aliquis appetit teſtimonium de excellentia, quam non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem. Alio modo per hoc, quod honorem ſibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc quod appetitus ejus in ipſo honore quieſcit, non referens honorem ad utilitatem aliorum.* In hoc ambitioſi omnes peccant. Quis enim eorum meritum ſuum vult metiri, ſuasque vires ad munera exercenda penſare? quis Dei gloriam quærit? quis ad proximi bonum, utilitatemque reſpicit?

Non ſemper mortale peccatum eſt ambitio. Poteſt optari dignitas familiæ ſuæ conveniens, aut munus, quo recte in Reipublicæ bonum fungi poſſumus; neque interim malis artibus ad illam obtinendam uti, neque ab hoc appetitu deprimi, neque illius cauſa debita ſibi officia omittere. Hiſce in circumſtantiis nullum committitur peccatum. Grave autem peccatum committitur, quando honor propter ſeipſum optatur, quin referatur ad Deum, aut mortali peccato illum adipiſci conamur, aut illo ſumus prorſus indigni. Hinc qui Epiſcopatus, aliasve eccleſiaſticas cupiunt dignitates, quarum munera explere non valent, graviter coram Deo peccant, dum hoc deſiderium formant, foventque. Præterea dignitatis deſiderium, cui pravus finis ſit adnexus, peccatum eſt; veluti ſi quis dignitatem cuperet, ut ulciſceretur, aut pravæ alicui cupiditati ſerviret.

ret. Demum quando in optato honore ultimus finis statuitur, lethaliter peccatur, creatum enim bonum ultimus hominis finis esse nequit.

Caritas (inquit Apostolus 1. *Cor.* 13.) *non est ambitiosa*, caritati igitur opponitur ambitio, ideoque est vitiosa. Nil ambitione est magis adversum spiritui Evangelii, qui humilitatis spiritus est, & humilia, ultimosque recubitus amat, sicut monet Dei filius inquiens: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, sed recumbe in novissimo; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* 14.). Omnes mundi honores nullius apud nos ponderis esse debent; *quia* (ait sanctus Augustinus *de Civit. Dei*) *nullius ponderis est fumus.*

§. IX.

Præsumptio.

Præsumptio, superbiæ filia, *peccatum est, quo aliquis ea agere assumit, quæ suas vires superant* (*S. Th.* 2. 2. *quæst.* 130. *art.* 1.). Mortale est peccatum, quando grave proximo damnum infert. Sic qui Medicinæ ignarus illam exercere præsumeret, mortale præsumptionis peccatum committeret; quia incognitam sibi artem exercendam suscipiens infirmos mortis periculo exponeret.

Præterea cum præsumptio ecclesiasticum, seu civile officium suscipere aliquem impellit, quod

scientiam suam viresque superat, mortale est peccatum.

Denique mortale peccatum est, quando non mortaliter peccandi periculo exponit. Si quis exempli gratia ex propria experientia sciret se contra castitatem peccare, quoties cum fœminis loquitur, & nihilominus cum fœminis loquitur, tentationem se victurum præsumens, hac præsumptione mortaliter peccaret.

Alia est præsumptio, quæ spei christianæ virtuti opponitur, & committitur, cum perverse de Dei misericordia præsumimus, pœnitentiam, & bona opera ommittendo, aut cum Deum tentamus, & insolitum aliquid ab ejus potentia expectamus, quod Providentiæ suæ ordinem pervertat; vel cum nimis de nostris viribus præsumimus ad bona opera facienda, nec sicut oportet Dei gratiam petimus, nec in Deo spem nostram ponimus. Desperatione minus est peccatum præsumptio, Deus enim ignoscere mavult quam punire; sed semper peccatum est contra Dei potentiam, sine cujus ope nullum bonum fieri potest, & contra justitiam, quæ mercedem iis solum largitur, qui bonis operibus veluti coronam justitiæ illam meruere, sicut peccantes punit. *Idem directius* (inquit sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 3.) *præsumptio opponitur spei, quam timor, quia importat quamdam inordinatam spem de Deo*; sperat enim a Deo sine bonis operibus retributionem accipere, quam solis bene agentibus ille promisit.

CAPUT

CAPUT III.

Avaritiæ notio, ejusque malæ ſoboles.

Avaritia (inquit ſanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 118. *art.* 1.) *peccatum eſt, quo quis ſupra debitum modum cupit acquirere, vel retinere divitias.* Quare per avaritiam homo aliis opponitur, non tribuens illis quæ debet, aut indebita ab iis accipiens; opponitur etiam ſibimetipſi, vitæ neceſſaria ſibi denegans. Juſtitiæ, & liberalitati ipſa opponitur; juſtitiæ quidem, inquantum aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena ſurripiendo, vel retinendo; liberalitati vero, cum id non largitur, quod largiri debet. Avaritiæ prodigalitas eſt oppoſita, quæ pariter opponitur juſtitiæ & liberalitati: juſtitiæ, cum aliena diſperdit; liberalitati, cum ſua inordinate diſtribuit (*S. Th.* 2. 2. *quæſt.* 119.).

Avaritia, quæ juſtitiæ adverſatur, peccatum mortale eſt, niſi imperfectio actus adſit; quæ vero liberalitati contraria eſt, niſi caritati adverſetur, ſemper veniale eſt peccatum (*quæſt.* 118. *art.* 4.). Tunc autem *caritati adverſatur*, cum aliquis amore nimio pecuniæ indigenti negat eleemoſynam; vel Dei legem violare paratus eſt, & mortaliter peccare, ſive pecuniam dando ad uſuram, ſive egenum eſurientem non paſcendo. *Prodigalitas* quoque mortale eſt peccatum, cum juſtitiæ adverſatur; veluti ſi Tutor pupilli ſui bona diſſipaverit, aut alienorum adminiſtrator ſe inhabilem ad reſtituendum reddat. Si vero *liberalitati ſit contraria*, eſt tantum peccatum veniale,

nisi caritatem violet, aut grave scandalum præbeat: quod quidem scandalum præbent Beneficiarii, qui superfluos sumptus faciunt. Id illi diligenter est considerandum hoc præsertim tempore, quo pleriqne a peccato se immunes credunt, dummodo sua dumtaxat expendant, nec aliena se pecunia obstringant. Præterquam quod amittunt pauperes, quidquid isti Beneficiarii inutiliter expendunt, unde ipsis possunt reponere: *Nostrum est quod expenditis:* hac profusione jure probi scandalizantur, quæ nec in laico excusaretur.

Ubique sacræ Litteræ avaritiam reprehendunt, illamque vitare suadent. Dei Filius ait: *Videte, & cavete ab omni avaritia* (*Marci* 8.) Deinde sanctus Paulus inquit: *Neque fures, neque avari regnum Dei possidebunt* (1. *Cor.* 6.). Nec ejus quidem nomen vult proferri, dicens: *Fornicatio autem, & omnis avaritia nec nominetur in vobis* (*Ephes.* 5.). At aliquid considerationе dignum affert, dum de avaritia loquens ait: *Quæ est idolorum servitus* (*ibid.*). Maximum, quod ab homine patrari possit, peccatum profecto est idololatria, quæ soli Deo debitum honorem dœmoni tribuit: idem quodammodo facit avarus; spem siquidem in divitiis suis ponit, quibus a malo quocumque se putat liberandum. Hinc de avari morte loquens Psalmista dicit: *Videbunt justi, & super eum ridebunt, & dicent: ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum* (*Psalm.* 51.). Præterea avarus velut rem sacram pecu-

pecuniam suam colit, quam vel in imminentibus suis angustiis tangere nefas putat. Denique huic cor suum consecrat, & a Deo removet: qui communis divitiarum effectus est, pessimusque, ut Christus ait: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* (*Matth.* 6. 21.). Hoc divitiarum amore se homo a Deo separat, qui cor nostrum non vult cum creaturis dividi, sed totum vult ipse possidere; quin & Deum offendere paratus est, ut avaritiæ suæ serviat.

Hoc vitium œconomiæ nomine tegitur, quod eo infecti corrigere non curant; verum nil Evangelii spiritui magis est adversum, qui pauperratis spiritus est aut re, aut affectu, & cordis dispositione, exemplo Christi, qui, ut ait Apostolus, *propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis* (2. Cor. 8.).

Avaritiæ filiæ juxta S. Gregorium (*Mor. lib.* 31. *c.* 17.), & S. Thomam (2. 2. *q.* 118. *a.* 8.) sunt proditio, fraus, dolus, perjurium, turbatio, vis, & adversus proximum cordis abduratio. „Quia vero (inquit Angelicus) avaritia est superfluus amor habendi divitias, in duobus excedit. „Primo enim superabundat in *retinendo*; & ex „hac parte oritur ex avaritia *obduratio contra* „*misericordiam*; quia scilicet cor ejus misericordia non emollitur, ut de divitiis subveniat miseris: secundo ad avaritiam pertinet superabundare in *accipiendo*, & secundum hoc avaritia „potest considerari dupliciter: Uno modo secundum quod est in affectu; & sic ex avaritia „oritur *inquietudo*, in quantum ingerit homini

„ſollicitudinem, & curas ſuperfluas; avarus enim
„*non implebitur pecunia*, ut dicitur Eccleſ. 5.
„Alio modo poteſt conſiderari in effectu; & ſic
„in acquirendo aliena uritur quandoque quidem
„vi, quod pertinet ad *violentias*, quandoque au-
„tem dolo; qui ſi fiat verbo, erit *fallacia* quan-
„tum ad ſimplex verbum; *perjurium* autem, ſi
„addatur confirmatio juramenti: ſi autem dolus
„committatur in opere, ſic quantum ad res erit
„*fraus* quantum ad perſonas erit *proditio*, ut
„patet de Juda, qui ex avaritia prodidit Chri-
„ſtum. Majus aliquid addit Apoſtolus dum ait:
Radix omnium malorum eſt cupiditas (1. *Tim.* 6.).
Sententiam hanc infelix experientia confirmat.

Nihilo tamen minus recentes plerique Caſuiſtæ avaritiam tueri conati ſunt, ejusque timorem Chriſtianis eripere. Eorum quidam expreſſe affirmat, inordinatum divitiarum amorem venialem tantum eſſe peccatum, modo abſit ab injuſtitia, & ab alienas ſubſtantias rapiendi, vel retinendi voluntate; neque erga pauperum calamitates cor ita obduret, ut iis in extrema neceſſitate non ſubveniatur. Juxta pravum hoc principium non eſt amplius ex ſe, & natura ſua mortale peccatum; niſi illam injuſtitia, & crudelitas comitetur. At Apoſtolus, quem citavimus, ait pecuniæ amorem, id eſt avaritiam, non modo malum eſſe, ſed malorum omnium radicem. Sacræ litteræ avaritiam ubique pariter damnant, veluti ſpeciale peccatum. Idem docent ſancti Patres. Quis igitur ferat novum Caſuiſtam docentem, inordinatum divitiarum amorem eſſe de ſe veniale peccatum?

Non-

Nonne hoc eſt hominum cupiditatem fovere, & loco illam ejiciendi; in eorum cordibus altius ſtabilire?

Hoc igitur averruncare peccatum Confeſſarii ſatagent, & iis, qui ſunt eidem obnoxii, hæc conſideranda proponent. Primo Evangelium divitiarum contemptum præcipue ſuadere; *facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei* (*Lucæ.* 18.) ideo ait: *Væ vobis divitibus.* 2. Divitiarum copia earum ſitim non extingui, vehementius imo augeri. 3. Omnibus, quæ poſſidemus, neceſſario nos in morte eſſe ſpoliandos. 4. Nihil hæc omnia ante tribunal Chriſti nobis eſſe profutura. 5. In divitiarum contemptu ſuo nobis Chriſtum exemplo præiviſſe, illumque Sanctos omnes eſſe imitatos, nec illorum gloriam adepturos eſſe, qui, quod illi ſpreverunt, diligunt, & conſectantur. 6. Deum, qui avium quoque curam gerit, homines nullo modo deſerturum. 7. Sua avaros avaritia torqueri, & hujusmodi vitium hominibus pariter, ac Deo eſſe odioſum.

Quærit divus Thomas (2. 2. *q.* 113. *art.* 2.): *Utrum avaritia ſit ſpeciale peccatum?* & reſpondet: *Avaritia prout eſt immoderatus amor habendi pecunias & poſſeſſiones ſpeciale peccatum eſt.* Rationem affert, *quod peccata ſortiuntur ſpeciem ſecundum objectum: objectum autem peccati eſt illud bonum in quod tendit inordinate appetitus: & ideo ubi eſt ſpecialis ratio boni, quod inordinate appetitur, ibi eſt ſpecialis ratio peccati. Alia autem eſt ratio boni utilis, & boni delectabilis. Di-*

vitiæ autem ſecundum ſe habent rationem utilis; ea enim ratione appetuntur in quantum in uſus hominis cedunt. Et ideo ſpeciale quoddam peccatum eſt avaritia, ſecundum quod eſt immoderatus amor habendi poſſeſſiones, quæ nomine pecuniæ deſignantur, ex qua ſumitur avaritiæ nomen.

Eſt quædam in ordine gratiæ ſpiritualis avaritia, quæ juxta Sanctum Auguſtinum ibi reperitur, *ubicumque omnino plus vult quisque, quam quod ſatis eſt.* Hæc avaritia cupiditas eſt, omnisque cupiditas eſt mala voluntas, *qua primi homines ſubmerſi ſunt; plus enim volentes habere quam acceperant, &, quod acceperant, amiſerunt.* Ut omnis excludatur avaritia, gratis Deo ſerviatur; *ſi enim cor non habemus inclinatum in avaritiam, non colimus Deum, niſi propter Deum, & ſic cultus ipſe ſit merces* (*in Pſalm.* 118.). Verum quemadmodum unus Deus nobis eſt optandus, ita ea menſura contenti ſimus, qua nobis ſe donat; extraordinariæ ſiquidem gratiæ talenta non ſunt optanda. Id nobis ſufficiat, ut in Regnum ſuum nos ingredi Deus velit: hæc altioris ſtatus deſideria fruſtra cor noſtrum occupant, & acceptæ gratiæ fructum impediunt; quæcumque hæc ſit, merita noſtra excedit, & veluti divinæ miſericordiæ donum eſt excipienda. Eſt & alia avaritia circa gratias exteriores, cum iis in aliorum commodum non utimur, ſed otioſas, occultasque cuſtodimus, quemadmodum avarus pecuniam in arca ſervat, nec in ſui, aliorumve commodum utitur.

CAPUT

CAPUT IV.

Luxuriæ descriptio, ac pessimæ ejusdem Soboles.

Luxuria est inordinatus appetitus venereorum, nempe actuum, qui contra ordinem, a naturæ Auctore Deo constitutum, ad humani seminis profusionem disponunt. Luxuria equidem quævis *superfluitas* dicitur; potissima tamen, ac propria ejus sedes in rebus venereis est. Luxuriosus (inquit S. Thomas 2. 2. Q. 153. *a.* 1. *in corp.*) *aliquis dicitur, quasi solutus in voluptates; maxime autem voluptates venereæ animum hominis solvunt; & ideo circa voluptates venereas maxime luxuria consideratur.*

Vitium *Capitale* est luxuria, ac peccatum ex natura sua *mortale.* Delectatio enim venerea, quæ præcipuæ luxuriæ materia est, homines, eam inordinate desiderantes ad pessima sæpe consilia pertrahit; ac venereorum usum, quem natura ad propagationem, & conservationem humani generis destinavit, propter se ipsum quæri facit, quæ extra matrimonii statum deordinatio est, *in se semper gravis*, nisi consensus seu, advertentiæ imperfectione excusetur.

Unde Apostolus, dum carnis opera enumerat, præprimis luxuriam recenset, subditque: *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur* (*Galat.* 5.). Et ad Ephesios scribens immoderatum vini usum, luxuriæ nutritivum, prohibet, obtestans: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* 5.). Sancti quoque Patres luxuriam

veluti idololatriæ ſcelus execrantur. Vitium hoc Salomonem, Regum ſapientiſſimum, ſtolidum idolorum adoratorem effecit; ſuccendit urbes, evertit Regna, & cuncta, quæ orbem premunt, mala invexit.

Luxuriæ ſpecies a Doctore Angelico ſex numerantur (Q. 154. *a.* 1.), quæ omnes actu quodam externo complentur, ſuntque ſimplex fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam. De his infra, dum de ſexto decalogi præceqto nobis ſermo, diſtincte diſſeremus. Hic de luxuria *imperfecta*, quæ in interna concupiſcentia, ac delectatione conſiſtit, pauca dicere viſum fuit. Duplex impura delectatio diſtingui ſolet; moroſa una, operoſa altera. *Moroſa* eſt libera de re venerea complacentia, absque tamen intentione procedendi ad actum. Id ſæpe contingit, dum conjux de copula cum conjuge habita, quaſi præſente delectatur; dum fornicarius de tactibus oſculis, aſpectibus, verbis aliquando factis noviter ſibi complacet, quin tamen reiterationem proponat. Delectatio hæc *moroſa* dicitur; non a certa temporis mora, ſed a voluntatis tergiverſatione, utut breviſſima, quia nempe illa objecti turpitudinem advertens, a recogitando non ſtatim deſiſtit, nec remedia arripit. *Operoſa* delectatio eſt libera de re venerea complacentia cum intentione, ac propoſito data occaſione actum impurum ponendi. Hæc multoties ex illa moroſa oritur: utraque eſt graviter peccaminoſa; quia inordinatorum motuum, ac ipſius pollutionis periculum adfert.

ſent. *De corde* (inquit Chriſtus *Matth.* 15.) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria fornicationes ... Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Item: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* (*Matth.* 5.) (a).

Ea quæ modo de gravi delectationis venereæ malitia diximus, potiore jure de impudicis tactibus,

(a) Triplicem Delectationem P. Antoine (Tr. *de Peccat. cap.* 8. *a.* 4. *q.* 8.) diſtinquit, nempe ſpiritualem, mere ſenſibilem, & veneream. „*Spiri*„*tualis*, inquit, eſt ea, quæ in ſola voluntate re„ſidet ſine ullo motu ſenſibili in corpore. Hæc „delectatio, ſi ſit de actu mortali, eſt mortalis, „& ſumit ſpeciem ab illo ut objecto. Delectatio „mere *ſenſibilis* eſt, quæ oritur ex proportione, „ac conformitate rei ſenſibilis cum organo ſen„ſus, ſine ulla commotione ſpirituum genitalium „circa partes venereas: qualis eſt delectatio, „quæ percipitur ex tactu rei blandæ ex guſtu, „ex muſica &c. Delectatio *venerea* ea eſt, quæ „ſentitur circa partes venereas ex commotione „ſpirituum genitalium, ſeu generationi ſervien„tium. *Prima* per omnia peccatorum genera vagatur, eſtque peccatum veniale, quando ejus objectum eſt leve malum; ut ſi de jocoſo mendacio læteris: mortale vero, quando illius objectum eſt grave malum, ut ſi de homicidio, ſtupro &c. olim commiſſo delecteris. *Secunda*, propter ſe quæſita, peccatum veniale eſt, ex ſingulari agentis fragilitate nonnumquam ad mortale diſponens. *Tertia* deliberate admiſſa, ſive directe, ſive indirecte qnæſita, utut brevis juxta tutiorem peccatum lethale eſt, atque adeo non ſolum in ſe, ſed etiam in ſuis cauſis, non neceſſariis, procul facien-

bus, diuturnis aſpectibus, colloquiis, ac libidinoſis oſculis ſunt vera. Actus hi omnes ab objectis, circa quæ fiunt, ſuam ſpecificam malitiam ſumunt. Circa uxorem alterius prave delectaris, vel omnino eam concupiſcis? Adulter es: aliam innuptam inordinate deſideras, tangisque &c. Fornicarius, aut ſtuprator es: erga eumdem ſexum inardeſcis? Sodomita es; quia actus imperfecti a perfectis, circa idem objectum ponendis, denominationem, & ſpeciem accipiunt. Actus autem perfectus in genere luxuriæ copula eſt; delectationes, deſideria, tactus &c. adhuc imperfecti reputantur; unde non minus horum quam illorum objectum in Confeſſione exprimi debet (a).

Peſſ-

---

facienda. Unde ſi jocoſum, adhuc tamen honeſtum cum Caja colloquium venereos in te motus excitat, abrumpendum eſt, ac impoſterum evitandum; ſecus, ſi te hominem ſæcularem, quævis cum qualibet fœmina loquela turbaret.

(a) Hic bene adnotanda, ac in praxi obſervanda P. Antoine doctrina. *Amplexus, contactus manuum, oſcula in facie, ſi juxta morem Patriæ fiant, urbanitatis, ac benevolentiæ honeſtæ cauſa non ſunt peccata per ſe, quia non ſunt impudica, nec per ſe tendunt in actum venereum, & fiunt ob rationabilem cauſam. Ita communiter cum S. Thoma* (2. 2. q. 154. a. 4.). *Si vero iſta fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, juxta multos ſunt ſolum venialia, modo abſit omnis affectus libidinoſus, & periculum peccati gravis tam in ſe, quam in alio, nec habita ratione conſtitutionis perſonarum delectationem veneream multum excitent. Si autem iſta ſine cauſa exercita langiora ſint, aut crebro fiant inter perſonas libidinis capaces, ſunt mortalia; quia arguunt affectum ad libidinem, & excitant delectatio-*

Pessimæ matris pessimas *filias* ex Sancto Gregorio Divus Thomas octo numerat (2. 2. *q.* 153. *art.* 5.) earumque genesin, prout solet, perspicue explicat. Dum enim appetitus inferior, seu concupiscentia vehementer circa delectabile occupatur, potentias superiores, quo minus rite operentur, impedit: unde consequitur in *intellectu* 1. *Cæcitas mentis*, ne agnoscat veritatem. 2. *Præcipitantia*, ne prudenter deliberet, sed bestia-

---

tionem veneream, afferuntque morale periculum consensus in illam. Nam (ut recte monent) in materia tam lubrica, quæ de se essent solum venialia, si repetantur, aut diutius protrahantur, fiunt mortalia, curiositate aut levitate degenerante in libidinem. Quare admittens oscula morosa, aut crebra, aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter; quia cooperatur affectui libidinoso alterius, qui satis per ista indicatur. (Loc. cit. *Resp.* 5. ad Quæst. 11.). Idem judicium juxta eumdem clariss. Authorem ferendum de ejusmodi actibus ob *solam delectationem sensibilem* morose, ac sæpius factis quia illi actus sic exerciti, per se non parum excitant commotionem, ac delectationem venereum, quæ necessitate quadam physica oritur ex tali delectatione sensibili repetita vel diuturna. Malitia autem actus non ex fine solum, sed etiam ex affectu, quem pariunt, sumi debet. Hinc Alexander VII damnavit hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Et Benedictus XIV per speciale decretum istam proscripsit: *Vellicare genas, & mamillas tangere Monialium sunt actus subimpudici, de se veniales, & solum ex pravo affectu, & ex prava intentione mortales.*

ſtiarium more ſtatim in actum prorumpat. 3. *Inconſideratio* ne actus inhoneſtatem, & ſequela conſideret. 4. *Inconſtantia* ne ea, quæ hinc in de bene decrevit, exequatur. Intellectui ſic m ſere excæcato, flebilis voluntatis depravatio re ſpondet. In hominis ſiquidem luxurioſi volu tate. 1. Regnat *amor ſui*, quo ſibi nonniſi del ſtabilia cupit. 2. Succedit *odium Dei*, qui ha delectabilia prohibet, ac punit. 3. *Affectus pra ſentis ſæculi*, quo hiſce lubricis ſemper frui poſſ exoptat. 4. *Deſperatio futuri ſæculi*, qua a carn libus detentus, ſpirituales futuræ vitæ delicia faſtidit, ac non minus harum abdicationem, quam illarum aſſecutionem velut impoſſibilem concipit.

Remedia contra luxuriæ malum univerſalio ra (nam ſpecialia quædam infra adulteris &c. pro pinabimus) Sanctorum Patrum calculo ſunt 1. Se ria *graviſſimarum pœnarum*, quibus Deus luxu riioſos punit, ac frequens conſideratio. Has in ter præcipue ſunt mentis hebetudo, corporis laſ ſitudo, ac varia infirmitas, impœnitentia finalis ac æterna damnatio. 2. *Otii fuga*, ac ordinatum laboris exercitium; vix unquam megis tentator diabolus laborat, ac dum homo vacat. David in domus ſolario pro exemplo ſerviat. 3. *Gulæ & ebrietatis* dereliario. Nam *Gulæ appendices lu ſcivia, atque luxuria*, inquit Tertullianus (*lib. de Jejun.*) & Hieronymus: *Eſus carnium, & po tus vini, ventrisque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt. Unde & Comicus, ſine Cerere, inquit, & Libero friget Venus* (*lib. 11. adverſ. Jovin.*). 4. *Familiaritatis* cum altero ſexu generoſa abdica tio. *In medio mulierum noli commorari; de vi*

ſtimen-

stimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens (*Ecclesiastici* 42.). Unde non modo infames, sed & piæ fœminæ, quoad fieri potest, sunt vitandæ. 5. *Vigilans sensuum custodia. Sensus corporum quasi equi sunt*, (inquit Hieronymus *lib.* 11. *cont. Jovin.*) *sine ratione currentes, anima vero in aurigæ modum retinet fræna currentium, & quomodo equi absque rectore præcipites ruunt; ita corpus sine ratione, & imperio animæ in suum fertur interitum.* Et Job ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*cap.* 31.). 6. *Chorearum lascivarum, libellorum, imaginum* ac *exhibitionum obscœnarum* perpetua exclusio. His enim impura phantasmata procreantur, queis concupiscentia, ut inordinatos in motus prorumpat, irritatur. 7. *Humiliatio sui* coram Deo propter præterita, & divini auxilii implo-ratio propter futura. Orationibus jaculatoriis, de mane, & per diem ad cælum mittendis, maxima vis inest; hisque Psalmi Davidici abundant: *Fiat cor meum immaculatum Domine! Spiritum rectum innova in visceribus meis!* &c. 8. Frequens, ac sincera apud eumdem Confessarium facienda Confessio, qui genio, ac pœnitentis statu explorato, efficaciora continuo suggerere remedia poterit, & quidem si ordinaria non fructificent, etiam extraordinaria, uti carnis macerationes per jejunia, flagella, cilicia &c. dummodo ista pœnitentis conditio ferat (*a*). CA-

(*a*) Qui graves carnis motus in se advertit, illosque nec approbat, nec improbat, sed indifferenter,

CAPUT V.

Iræ definitio, ejusque gradus.

Ira, quæ capitale est vitium, sic definitur: appetitus, seu desiderium vindictæ, quod ex ap-

pre-

---

ter, & negative se habet, graviter peccat. Hic enim motus, ex objecto suo graviter inordinatus, sicut non positive approbari, ita nec indifferenter permitti possunt, sed positiva displicentia sunt improbandi. *Contingit* (inquit S. Thomas 1. 2. q. 74. *a.* 6.) *peccatum esse in ratione dupliciter. Uno modo, quando imperat illicitas passiones ... alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum: sicut, cum aliquis postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit.* Concupiscentiam *non nocere* Concilium Trid. definit (*Sess.* 5. *Can.* 5.); ast non mere *non consentientibus; sed virtualiter per gratiam repugnantibus.* Virtualiter ille repugnat, qui non solum internam displicentiam habet, sed & actionem, unde tentatio oriebatur, quantocyus abrumpit, nisi ejusdem continuationem necessitas, aut Proximi utilitas exigat. Porro Remedia contra luxuriam alia *præservativa;* alia *sanativa*, seu irruentis tentationis expulsiva sunt. Ad priorem classem pleraque in textu allata pertinent; ad posteriorem ista spectant. 1. Seria ad studium literarium, vel negotium quoddam œconomicum, domesticum &c. mentis applicatio. 2. Pia, ac fixa Christi flagellis dilaniati, in cruce transfixi &c. consideratio. 3. Artificiosa phantasmatum gratorum in ingrata, ac horrifica conversio. Pulchræ fæminæ impura species mentem occupat? Illico mutata scena eamdem, in sepulchro repositam, putritam, ac vermibus scatentem tibi repræsenta, vel

omni-

prehensione oritur injuriæ acceptæ, vel quam nos accepturos fore timemus, & quam repellere nitimur. Tres in ira gradus sunt considerandi. Primus, cum ira concipitur; quod Dominus apud Matthæum docet dicens: *Qui iraſcitur fratri ſuo* (*Matth.* 5.). Secundus, cum declaratur ira aliquibus verbis, veluti: *Qui dixerit, Raca.* Tertius, cum verba injuriosa proferuntur, veluti: *Qui dixerit, Fatue.* Quandoquidem Dominus in hisce tribus gradibus tria judicia distinguit, extra dubium est non æque omnes esse peccata. Primus, qui naturalis est, & involuntarius animæ motus, cum a ratione reprimi possit, meriti, & virtutis potest esse subjectum. Ideo Psalmista dicit: *Iraſcimini, & nolite peccare* (*Pſalm.* 4.); id est, si iraſcimini, cavete ne vos ira ad peccandum pertrahat.

---

omnino gehennalibus absorptam flammis. Actum impurum cum alio committendum, aut commissum diabolus suggerit? Hunc e vestigio complicem velut hostem omnium periculosissimum concipe, qui damnum infinitum non semel tibi causavit. Quid? dicito, si iste me sclopo trajicere, gladio confodere, aut bonis meis spoliare attentasset; adhucne illum adirem, ipsiusque amicitia frui optarem? An non potius velut hostem execrarer? Ita sane. Sed quis meam animam pessumdedit? Quis eam gratia, ac beatitudinis jure exspoliatam Deo, & hominibus odibilem reddidit? An non hic inimicus homo, iste seductor &c. hoc fecit? Et insanus ego eum adhuc sequor, amo, foveo? Sed ex nunc jam non sequar &c.

hat. Cum ex ira injurioſa in proximum verb jacimus, majus vel minus peccatum eſt, prou graves, aut leves ſunt injuriæ. Sancta vero e ira in dæmonem, & in peccatum, cum adverſu utrumque pugnamus, & eorum opera deſtru mus: hæc ira vocatur *zelus*. In veteri Teſta mento Deus iratus ſæpe legitur contra pecca res, contra Judæos, & contra Jeruſalem. Davi ſic Deum orat: *Effunde iram tuam in gente quæ te non noverunt* (*Pſalm.* 78.), & alibi ait *Neque in ira tua corripias me* (*Pſalm.* 6.). De Filius, adeo in homines miſericors, contra vende tes in templo iratus eſt *circumſpiciens eos cum ira* (*Marci* 3.). Sancti homines ſic irati ſunt immania crimina intuentes: qui vero hac ira non corripitur, ſe Dei honorem parum curare decla rat. Verum magna hic adhibenda eſt cautela; interdum enim zeli ſpecie ira, invidia, vel odium tegitur. In quatuor igitur circumſtantiis ira pec catum eſt, 1. quando is, cui iraſcimur, malum quod minamur, non meretur. 2. Quando non tantum meretur. 3. Quando licet hoc malum ille mereatur, juſtitiæ tamen ordinem non ſer vamus; veluti ſi filius, cujus pater peremptus eſt, occiſorem, non ſervato juris ordine, vellet occidi. 4. Quando finis debitus non reſpicitur, veluti ſi quis iram ſuam ſolum vellet explere. In quatuor hiſce caſibus grave ira eſt peccatum. Si vero tantum vehementer animum turbaret, nec compeſceretur, non adeo grave eſſet pecca tum; nihilominus in hoc etiam caſu iram vitare ſacræ nos paginæ docent, ex illa ſiquidem mala plura proficiſcuntur. Sanctus Paulus fideles ſic ad-

admonet: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* 4.). Sanctus Jacobus ait: *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* 1. 20.) Subdit Ecclesiasticus: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit* (*cap.* 7.). Salomon inquit: *Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior* (*Prov.* 15.). Ethnici Philosophi, Seneca præcipue, eximia contra iram dant præcepta, quam Poetæ *brevem furorem* vocant, & rationis hostis est præcipuus. At non argumentis hisce fideles ab ira Confessarii debent avertere; sed qua ipsa spiritui Evangelii adversatur, qui benignitatis, & mansuetudinis spiritus est, ut Christus nos admonet dicens: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde* (*Matth.* 11.); & hanc mansuetudinem inter evangelicas beatitudines recenset (*Matth.* 5.). Hoc nos contra iram adhibere remedium Salomon docet inquiens: *Responsio mollis frangit iram* (*Prov.* 15.). Apostolus vero nos admonet, ut veluti turgido torrenti locum demus iræ: *Non vosmetipsos defendentes; sed date locum iræ* (*Rom.* 12.) (*a*).

Ira

(*a*) Molliter respondere, & alienæ iræ fortiter cedere addiscet. 1. Qui turpes iræ effectus & actus in alio iracundo attentius adnotarit. 2. Qui iræ damna (qualia sunt continua mentis amaritudo, mortis acceleratio, hominum odium, & divinæ Benedictionis propulsatio) serio recogitarit. 3. Qui ad quævis adversa animum jam de mane præmunierit, auxiliumque ab eo petierit, qui dixit: *Discite a me; quia mitis sum, & humilis corde.*

Ira, si in animo moretur, duas malas gigni filias, indignationem nempe, & mentis tumorem seu audaciam. *Indignatio* est, cum familiaritatem cum illo abrumpimus, cui sumus irati, & omnia urbanitatis officia illi negamus. Si praterea ejusdem necessitati non subvenimus, dum illi opem ferre tenemur; aut si intrinsecus illum vehementer aspernamur; aut si grave inde scandalum proficiscitur; tunc indignatio mortale et peccatum. Mentis *Tumor* est audacia, qua ad vindictam impellimur, eamque meditamur; & prout magna vel exigua est vindicta, mortale seu veniale peccatum committitur.

Si exterius ira prodeat, & aliquo indicio declaretur, tres inde malæ filiæ proficiscuntur, videlicet clamor, contumelia, & blasphemia. *Clamor* est inordinatus loquendi modus, qui peccatum dumtaxat veniale est, si grave scandalum non pariat. *Contumelia* est injuriosum verbum. *Blasphemia* vero est in Deum maledictio.

Ira, quæ ad actiones se extendit, *rixam*, gignit, quo nomine contentiones, bella, & pugnæ comprehenduntur.

CAPUT

---

de. 4. Qui Jesum inter lictores, & iniquos ante Judices velut agnum mansuetum sibi ad imitationem proposuerit. 5. Qui suos defectus, aliis forsan domesticis satis onerosos, secum ruminaverit. 6. Qui omnia a Deo summe justo, summeque provido ad peccata expianda, ac augenda merita, paterne sibi immissa, certo crediderit. Vid. Nat. Alexander Theol. Dog. Mor. lib. 3. art. 1.

CAPUT VI.

Gulæ, & Ebrietatis explanatio.

Gula juxta D. Thomam (2. 2. *quæst.* 148.) est *inordinatus comedendi, vel bibendi appetitus.* Multipliciter autem hoc peccatum committitur. Primo quoad ciborum & potionum *qualitatem*, cum nimis pretiosi, aut nimis accurate præparati sunt cibi, & potus: secundo quoad *quantitatem*, cum in edendo vel bibendo nimis exceditur: tertio quoad gustus *delectationem*, cum edendi & bibendi voluptas ardenter quæritur: quarto quoad *tempus*, cum extra debitum tempus cibus sumitur, veluti jejunii tempore. Gula, quæ ad comedendum &c. pertinet, *crapula* & *comessatio* vocatur. Sic nos Dei filius in evangelio monet: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate* (*Luc.* 21.). Et Apostolus ad Romanos ait: *Non est regnum Dei esca & potus* (*cap.* 14.).

Mortale peccatum est gula 1. si finis ultimus in edendo & bibendo statuatur, quemadmodum illi affolent, *quorum Deus venter est*, ut inquit Apostolus (*Philip.* 3.): 2. cum propter cibum & potum aliquod violatur præceptum; veluti si præceptum jejunium frangitur, aut divini officii recitatio omittitur; aut cum propter gulæ excessus nequit ali familia, nec ablatum restitui, nec debita possunt solvi: 3. cum propter gulam sanitas graviter læditur: 4. cum cibo aut potu proximus scandalizatur; de hoc scandalo loquitur Apostolus ad Romanos, cum illos reprehendit,

qui idolothytis vescebantur: 5. si cibus aut potus naturæ repugnet, veluti humana caro, aut sanguis humanus: 6. cum prudenter timendum est, ne propter cibi, aut potus excessum in mortale aliquod peccatum labamur. Alimenta vitæ sunt necessaria, nam sine his servari nequit; ideo veluti remedia, ut ait sanctus Augustinus, sumenda sunt: ad voluptatem autem illa sumere non licet, ut Tractatu secundo diximus. De hoc juxta christianam doctrinam non est ambigendum; & propterea absona illa detestanda est opinio aliquot Casuistarum recentium, qui docent licitum esse ad satietatem usque edere, absque necessitate, & solius voluptatis causa, dummodo id sanitati non obsit; & nullatenus gustui obtemperando peccari, sicuti non peccat, qui visui, & auditui obsequitur. Ab Epicureis fortasse doctrina hæc probaretur; sed in christiana schola, quæ sensuum mortificationem docet, & naturales actiones moderatur, detestandum est paradoxum. Postrema hac ætate doctrina ista prodiit, cum diabolus adversus veritatem, & Sanctitatem Ethicæ christianæ apertum bellum indixit (a). Tempore abuterer, si tam immanem errorem refutare aggrederer: honesto homini sufficit illum audiisse, ut detestetur. Eximium quemdam sancti Augusti-

(a) Laxam hanc Doctrinam e Scholis Christianocatholicis ad Epicuream Innocentius XI. exulare fecit, dum an. 1679. istam num. 8. propositionem confixit: *Comedere & bibere ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

gustini textum referam, quo divino revera modo hanc materiam explicat. Alibi illum recitavi; sed opportuna hic, & grata erit ejus repetitio. *Hoc me docuisti* (inquit ille *lib.* 10. *Confess. cap.* 31.), *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam: sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est, & sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quod satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Nil dici potest melius aut illustrius, ut gulæ tentatio declaretur. Quod si novos hosce Casuistas audias, simplicitatem suam licet doctissimus ostendit Augustinus, dum tam exacte quid circa edendi & bibendi voluptatem ipse pateretur describit. Sed tutius est cum ipso timere, quam cum reliquis concupiscentiæ motibus indulgere. Christiani, qui tam delicate vivunt, & nova semper quærentes gulæ irritamenta epulantur quotidie splendide, a christiana pœnitentia longe absunt, & prudenter timere debent,

ne in inferno cum divite evangelico sepeliantur qui *epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* 16.).

Quicumque immoderato vini usu, aut alterius potus, qui vim inebriandi habet, se inebriat, mortaliter profecto peccat; grave siquidem damnum hanc delectationem comitatur, usus scilicet rationis jactura. Similiter peccat, qui alteri potum ejusmodi tribuit, quo hausto hunc sese inebriandum. Ad vitæ conservationem potus est homini necessarius, sed justæ necessitatis limites bibendo transgredi natura vetat: quod si adeo ut transgrediantur, ut bestiis par homo evadat, quemadmodum in ebrietate evenit, tunc natura & honestas læditur, ac graviter proinde peccatur (*a*).

Quæri

(*a*) Ebrietatis perfectæ, seu, ut vocant, crapulæ theologicæ signa, a probatis Authoribus passim adnotata, hæc sunt: 1. Si inter honestum, & inhonestum amplius distinguere nescias, ac amentium more miscellanea quæquæ garrias: 2. Si, quæ egeris, quæve locutus fueris, posteridie, admonitus licet, non recorderis: 3. Si alias pacificus pudicus &c. sumpto liberius vino in contentiones, rixas, maledicta, turpiloquia &c. prorumpas. Vomitus subsequens, cum ex mala stomachi dispositione, aut avida ciborum ægre digestibilium devoratione &c. sæpe oriarur, nisi unum ex tribus præmissis sibi adjunctum habeat, certum crapulæ, aut gulæ, graviter peccaminosæ, signum non est. Porro nædum plene ebrii; sed & qui eos importune ad haustum provocant, ac quodamodo dolose inebriant, gravis peccati reos se faciunt. Scandalosum hunc circa Dei dona abusum

Quæri potest, an ad sanitatem recuperandam medico obtemperare liceat, qui, ut se inebriet, ægro jubet? Casuistæ nonnulli asserunt, æque licitum esse se inebriare, ut mors vitetur, quam se inebriare nolenti tyrannus minatur; ac se inebriare ut sanitas recuperetur. Fieri potest, ut potus sano homini superfluus, ægro sit moderatus, quin nihilominus rationis usum amittat; at ebrietas tam in primo, quam in secundo casu est illicita (*D. Thom. 2. 2. qnæst. 150, art. 2.*), secus ad mortem vitandam omnia liceret peccata committere. Non est de se necessarius potus ad violentam mortem vitandam, nec naturalis hic est ipsius effectus.

Si voluntaria sit ebrietas, & homo in ebrietate aut blasphemare soleat, aut alios lædere, aut simile quidpiam committere, ebrietas hæc peccata non excusat, imo aggravat (*ibid. art. 4.*). Clericus ebrius alium occidens irregularitatem ex delicto incurrit, Initi

---

sum in omnibus Christianis, ac in Clericis præcipue Ecclesia detestatur. Unde Innocentius III. in Concilio Lateranensi can. 15. ita statuit: *A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel Beneficio suspendatur.*

Initi in ebrietate contractus sunt invalidi; in ebrietate contractum matrimonium est nullum. Nec, si quis cum ebrio ludat, pecuniam ex lu lucrari potest; ebrius enim in hoc casu amen æquiparatur.

Quinque, ut ait divus Thomas, sunt gulæ liæ, *inepta lætitia*, *scurrilitas*, *immunditia*, *tiloquium*, & *hebetudo mentis circa intelligentia* (2. 2. *quæst.* 148. *art.* 6.). Mentis *hebetudo* læ & ebrietatis potius est pœna, quam speciale peccatum, nisi forte hominem ad sua obeunda munera ineptum reddat: veluti si medicus ad sub veniendum ægroto ineptus evadat, aut advocatus ad sui clientis causam tuendam. *Inepta lætitia* est iis delectari, quibus non oportet, quemad modum solent ebrii: hæc de se veniale peccatum est, nisi materiæ gravitas reddat mortale. *Mul tiloquium* non est de se mortale peccatum; nisi graves in proximum contumeliæ, in Deum blas sphemiæ, aut obscœna verba proferantur. At ex ebrietate graves plerumque contumeliæ & blas sphemiæ proficiscuntur.

Scurrilitas ridicula, & inhonesta verba, aut actiones complectitur; quæ si ob carnalem volup tatem fiant, lethaliter peccatur; si vero dumtaxat fiant ad risum excitandum, ut in ebriorum actio nibus usuvenit, peccatur solum venialiter.

Immunditia aut obscœnitas tunc committitur, cum quis ad vomitum usque se ingurgitat. Mor tale est peccatum; si adsit scandalum, aut si sani tas graviter lædatur; potest enim ex repletione stomachi vel infirmitate hic vomitus oriri; at si

ex immoderato potu oriatur, grave est peccatum, & circumstantia aggravans.

Denique Dei filius crapulam & ebrietatem expresse prohibet: *Attendite* (inquit *Lucæ* 21.) *vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Apostolus quoque hæc vetat inquiens: *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus* (*Rom.* 13.). Alibi ait: *Neque fures, neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (1. *Cor.* 6.). Et rursus inquit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* 5.). Græcus textus pro *luxuria* habet ἀσωτία, quæ vox omnem contra honestatem actionem complectitur. Ebrietatem sacræ Litteræ ubique detestantur, & hinc hominibus hujus vitii horror est incutiendus, quod Ethnicorum Ethica damnat, in hoc magis honesta quam recentiorum aliquot Casuistarum Moralis, qui ebrietatem voluptatis solius causa ad vomitum usque permittunt. Sapiens inquit: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens* (*Prov.* 22.). Osee vero Propheta ait: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor* (*cap.* 4.) (*a*).

CAPUT

(*a*) Gulosi, aut Ebriosi emendationem aspirante Deo Confessarius procurabit, si in illo salutarem tum erga Superfluitatem; tum erga socios compotatores aversionem excitarit. Facile id efficiet, si energice eidem exponat 1. Damna *animæ*, quæ sunt intellectus hebetudo, mentis distractio, ac mutabilitas; Divinæ gratiæ, & æternæ felicitatis jactura: 2. Damna *corporis*, qualia sunt membrorum

CAPUT VII.

Invidiæ notio, variique modi.

Invidia (inquit sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 36 *art.* 1.) *est, tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & diminutivum proprii boni.* Porro de bono proximi multipliciter tristari possumus. Primo si aliquod inde malum nobis eventurum timemus; veluti cum aliquis dignitatem quampiam obtinet, unde nobis nocere potest. Secundo de alterius bono tristari possumus, cum hunc æstimamus indignum; sic boni de malorum prosperitate tristantur, quæ tristitia *indignatio* vocatur. Tertio de aliorum bono tristari possumus, quia hoc alii obtinent, & nos caremus; quæ tristitia *zelus* appellatur. Quarto de aliorum bono tristamur, cum aliquod malum dumtaxat cupimus; & hoc vocatur *odium*. Quinto de proximi bono dolere possumus, quia majus eidem bonum optamus; veluti si de temporali malorum felicitate doleamus, qua in Dei injuriam abutuntur; & hæc tristitia vocatur *æmulatio*. Sexto ex zelo tristari possumus, cum videlicet gratia indignum beneficio affici videmus. Verum invidiæ propria tristitia illa est, quæ ex alio-

rum

---

brorum languor, virium decrementum, infirmitatum vicissitudo, ac præmatura mors: 3. Damna *Oeconomiæ.* Rarius enim suscipitur, minusque succedit labor; minuuntur recepta, augentur expensa; ad ruinam vergunt omnia. Hinc 4. Creditorum concursus, servorum gemitus, uxorum lamenta, parvulorum fletus, quia petierunt panem, & non est, qui frangat eis in damnum *fœmæ*, ac patris confusionem sempiternam.

rum bono proficiscitur, prout hoc revera, aut specietenus nostrum imminuit: si tristitia hæc magna sit, si in voluntate sistat, si ex bono aliquo eximio oriatur, mortale est peccatum.

Invidiæ malignitatem mirabiliter Sapiens declarat inquiens (*Sap.* 2.): *Invidia diaboli mors introivit in mundum.* Enim vero ideo primum hominem dæmon tentavit, quia in eo illum loco ab initio positum vidit, unde ipse exciderat. Propter hoc præcipue peccatum, inquit sanctus Augustinus, malus est dæmon, & propter hoc in æternum punietur: hinc diabolum invidi proprie imitantur, nihilque magis Evangelii spiritui adversatur, qui caritatis spiritus est, quæ de proximi bono lætatur, sicut de malo dolet. Carnifice alio non est opus, ut invidia puniatur, & ab iis angue pejus timeatur, qui animi tranquillitatem amant. Amatorum mundi hoc vitium est, qui de illo non cogitant, nec se accusare sunt solliciti. Fæminis etiam peculiare illud est, quæ pulchræ haberi, & audire vehementer cupiunt. *De invidia* (inquit sanctus Gregorius *Moral. lib.* 31. *cap.* 31.) *oritur odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis*: si grave sit malum proximi, de quo lætamur, tunc mortale peccatum committimus (*a*).

CAPUT

(*a*) Confessarius apta contra invidiæ livorem remedia subministraturus Invido exponere adlaboret. 1. Diabolicam hujus vitii *malitiam*; nam *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem eum, qui ex parte illius sunt* (*Sap.*

CAPUT VIII.

Acediæ natura, malique ſurculi.

Acedia ultimum inter capitalia peccata locu obtinet; eſtque torpor, ſeu negligentia erg cæleſtia, & ſpiritualis boni diſplicentia. Acedi nomen a græco ἀκηδία oritur, quod ſine cura labore ſignificat. Spirituale hominis bonum e beatitudo, & quidquid ad illam obtinendam proc eſt, veluti caritas, bona opera, Dei præcepta, Sacramenta. Tripliciter hæc bona ſpectari po ſunt; prout a Deo bonorum omnium auctor proficiſcuntur, vel prout reperiuntur in aliis. D ſpirituali bono triſtari, prout a Deo proficiſcitur cujus potentiæ & miſericordiæ declaratio alic ſit inviſa, proprium eſt damnatorum vitium. D ſpirituali bono, quod in aliis reperitur, triſtar eſt proximo debitam caritatem lædere. Potu poteſt aliquis de omnibus omnino ſpiritualibu bo

(*Sap.* 2.). 2. Invidorum *miſeriam*, qui invidiæ ru bigine veluti ferrum conſumuntur. Bonum, quod invident, ipſi non acquirunt, nec alii propterea illud amittunt: 3. Rerum terrenarum *vanitatem*, quæ mentem ad Superna aſpirantem triſtem, aut inquietam reddere nequeunt. Unde juxta Jobum non fortem virum; ſed ignavum invidia ſuperat. *Parvulum occidit invidia* (*cap.* 5.): 4. Exercitium Gaudii de proſperitate proximi, quem Deo jubente ſicut ſemet ipſum diligere tenetur: 5. Frequentem ac quotidianam orationem pro iis, quibus invidebat, utpote qui ejusdem corporis membra, ejusdem Patris filii, ejusdemque æternæ felicitatis hæredes eſſe creduntur. Vid. Natalis Alexand. lib. 3. *de Peccat.* art. 3.

bonis dolere, & optare, ut nulla eſſent, vel nobis non eſſent promiſſa, quia labore, & bonis operibus ſunt comparanda. *Acedia* (ait divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 35. *art.* 3. *&* 4.), *quæ triſtitia eſt perfecta de ſpirituali bono divino, peccatum mortale ex ſuo genere eſt, cum caritati adverſatur;* quando videlicet eidem voluntas aſſentitur, & gravis adeſt materia. Acediæ effectus, ſeu *filiæ ſunt malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, ac mentis evagatio.* Primo *deſperatio*, qua finem ſuum ultimum conſequi homo deſperat. Secundo *puſillanimitas*, qua ægre perfectionis conſilia ſectamur. Tertio *torpor* circa præcepta, quo, qæc noſtri ſunt officii, negligimus. Quarto *malitia*, qua cupit homo, ut nulla ſint ſpiritualia bona, nec religio, nec gehenna, & bona opera ſe feciſſe dolet. Quinto *rancor* erga illos, qui nos ad virtutum exercenda opera hortantur. Sexto mentis *evagatio*, qua ad actiones noſtras non attendimus; veluti cum ſine attentione divinum recitamus Officium, aut Miſſæ interſumus: de his alibi prolixius agemus. Ex mundi dilectione hæc vitia naſcuntur, propter quam cæleſtia deſpicimus. *Nemo poteſt* (inquit Chriſtus *Matth.* 6.) *duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Adverſus hoc vitium illam Chriſti ſententiam conſiderandam Confeſſarii proponant: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (*Luc.* 12.); Ex quo liquet, vero Chriſtiano neque negligendum eſſe, neque dormitandum, ut cum Dominus ejus venerit, ſalutem ſuam operan-

rantem, & paratum inveniat. Præterea æterna beatitudinis *excellentia* ſerio eſt inculcanda, pro qua adipiſcenda nimius nullus poteſt eſſe labor. Proderit quoque Chriſti exemplum ſubjicere, qui in laboribus fuit a juventute; Sanctorum parens exemplum, qui laboribus & pœnitentiis Chriſtum ſunt imitati (*a*).

CAPUT

(*a*) Acedia gravis latere diu non poteſt: manifeſtis brevi ſe ſignis prodit. Acedioſus enim ad omo ſpiritualia quævis exercitia perfunctorie luride, & absque ordine peragit; non ut Deum honoret, præceptum adimpleat, ſed ut pœnam evitet, infamiam declinet. Eccleſiam adit ſine intentione; pſallit, orat ſine attentione; confitetur ſine emendatione; communicat ſine fructu, & devotione. Moderna vivendi ratione contentus altiorem virtutis gradum haud quaerit. Erga mortalia peccata horrorem qualemcumque oſtendit; venialia ſpernit, & audacter committit: Cum Piis, ac Timoratis ægre, cum vanis, ac nugacibus libenter converſatur. E variis diſcurſibus, ac libellis fallacia ſibi principia congerit, quibus ſua vitia virtutum ſpecie colorat; dignus proin, ut ex ore Dei evomatur, ſibique relictus obcæcatorum, ac reproborum agregetur cumulo. Omnes conſuetudinarii, & maximi quique peccatores acediæ morbo decumbunt, nec ulla reconvaleſcentiæ ſpes affulget, niſi prius Acedia, quæ omnem ad ſpiritualia appetitum corrumpit, per apta remedia deſtruatur. Remedia acedioſum phlegma propulſantia ſunt. 1. Humilis, ac frequens oratio, utut hæc ab invito deſipiat. 2. Horror etiam venialium. 3. Divinæ Majeſtatis, Bonitatis, cæterorumque Dei Attributo-

CAPUT IX.

Omissionis, & peccati alieni explicatio.

Quæ opere complentur peccata adeo sunt manifesta, ut facile dignosci possint, & de his se quisque passim accuset: at non adeo facile omissionis peccata cognoscuntur. Ad ea plerumque non attendimus, neque de iis nos accusamus; cum tamen periculosiora sæpe sint, & propter illa plerique hominum damnentur. Varies hominum status Dei providentia in orbe instituit, ut humana firmaretur societas: quare *unusquisque* (ut ait Apostolus 1. *Cor.* 7.), *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Verum ut in vocatione nostra salvemur, munera vocationis nostræ debemus exequi. Potest igitur aliquis, si ejus dumtaxat spectetur persona, non solum culpa vacare, sed virtutibus quoque clarere; qui propter officium suum a Deo damnabitur, si ea, quæ statum suum decent, non impleverit: de his præcipue peccatis in divino judicio erit quæstio. Fideles omnes unum sunt corpus, cujus singuli membra sunt: non omnia vero in corpore membra eumdem actum habent; oculus videt, auris audit, gustus sapores discernit, reliqua pariter suum singula actum habent. Quod si secus fieret,

---

butorum consideratio. 4. Menstrua saltem Sacramentorum susceptio. 5. Pia Lectio, nec non laboriosæ vitæ Christi, ac dolorosæ passionis recollectio. 6. Laboris brevitas, & Mercedis æternitas &c. matutino tempore bene perpensa &c.

ret, cuncta vehementer in corpore turbarentur corpusque ipsum tandem periret. Idem de politico seu ecclesiastico corpore est affirmandum; in his variæ sunt personæ, quarum singulæ officium suum & munus habent. Oportet ergo, ut quisque suo fungatur munere; secus scinderetur corpus, & a Deo institutus ordo turbabitur. Princeps sibi subditos recte debet regere: si munus suum negligat, nec justitiam recte administrari curet, malorum proculdubio reus erit, qui rempublicam propterea vexabunt. Quod si perfectus esset veluti Angelus, aut pietate eximius, damnaretur nihilominus in judicio, quia quemadmodum bonum Principem decet, regnum suum diligenter non fuerit moderatus. Idem pariter de cæteris officiis statuendum est: quo quisque aliis eminet, quo nobiliora & graviora sunt munera, eo majora, majorique digna sunt supplicia omissionis peccata. Quamobrem Confessarii de eorum muneribus pœnitentes diligenter interrogent, præcipue si de nullo omissionis peccato se accusant. Verum singulorum obligationes prævis mundi regulis minime metiantur, neque novos nullos novos Casuistas sequantur, qui tam facile hominum obligationes abrogant, neque harum normam ab Evangelio, aut saniori Theologia capiunt, sed ab avara, aut carnali politia. Maxime pleraque, quibus orbis premitur, inde proficiscuntur, quia non exacte suo quisque munere fungitur, vel negligentia, vel ignorantia, aut contemptu, vel variis cupiditatibus præpeditus. Religiosi plerique homines vehementer errant, dum plura supererogationis opera exercentes, illa omnia

tunt, quæ statui suo conveniunt; quibus id est repetendum, quod Pharisæis Dominus exprobrabat (*Matth.* 23.). *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Ambigi quoque potest, an molestum minus esset hominem, qui publica munera sive ecclesiastica sive politica sustinet, privatis vitiis urgeri, nec vero muneri suo deesse; an vero cum privatis vacet vitiis, munere tamen suo exacte non fungi: verum utrumque hoc malum est everrendum, sicque actiones nostras moderari oportet, ut patrifamilias & vitæ nostræ & traditi nobis muneris rectam reddere rationem possimus.

Illa vocamus *aliena* peccata, quæ non ipsi patramus, sed ideo nobis imputantur, quia peccandi causam vel occasionem aliis tribuimus: horumque a Deo veniam orabat Psalmista inquiens: *Ab alienis parce servo tuo* (*Psalm.* 18.); hæc vero cavere suum Timotheum, & nos hortatur Apostolus, dum ait: *Ne communica veris peccatis alienis* (1. *Tim.* 5.). Novem omnino modis alienis communicamus peccatis, eorumque participes efficimur. 1. *Consilio*, cum alios ad peccandum hortamur, aut docemus: sic peccant hæresum aut schismatum duces, aut novarum deliciarum inventores. 2. *Jussu* & auctoritate, cum Princeps aut Superior alicui peccatum jubent. 3. *Consensu*, de quo ait Apostolus: *Digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* 1.). 4. *Hortatione* aut suasione, quando videlicet alios ad peccandum hortamur, aut peccare suademus: sic Jobi uxor

peccavit, quæ illum ad blaſphemandum prov
cabat. 5. *Adulatione*, aut laudibus, quibus pe
catum aut peccantem celebramus; ſicut Pſalmiſt
inquit: *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſu*
(*Pſalm.* 9.): hinc per Iſaiam populum Iſrael ſ
Deus alloquitur: *Populе meus, qui te beatum d*
cunt, ipſi te decipiunt (*Iſaiæ* 12.). 6. *Silentio*
quando peccantem non monemus, nec peccati a
guimus. Paſtorum hoc vitium eſt, qui cane
muti ſunt latrare non valentes, quos per Ezechi
lem ſic Deus increpat: *Si dicente me ad impium*
Morte morieris, non annunciaveris ei, ſanguine
ejus de manu tua requiram (*Cap.* 3.). Pate
tum, ac dominorum hoc vitium eſt, qui filios v
famulos non corrigunt, cum peccant. 7. *Indul*
gentia & impunitate, quando auctoritate non u
mur ad punienda peccata. Principum hoc
Magiſtratuum vitium eſt, qui nimia benignitat
impunita in populis peccata relinquunt. 8. *Cri*
minis *participatione*, de qua inquit David: *S*
videbas furem, currebas cum eo; & cum adulte
ris portionem tuam ponebas (*Pſalm.* 49.). Hinc
ſatis prava confutatur doctrina recentium aliqu
Caſuiſtarum, qui famulis & ancillis permittun
amatorias litteras perferre, & dominos domina
que ſuas in eorum patrandis peccatis juvare
dummodo tamen peccatis hiſce non commun
cent, & ſolum dominis ſervire intendant, ne do
mo expellantur. Quaſi vero ob temporale emo
lumentum iis liceret peccantes juvare ea ſervitu
te, quæ peccato eſt conjuncta, & hinc legi no
ſubderentur, quæ damnat *non ſolum qui ea fa*
ciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus
(*Rom.*

(*Rom.* 1.) (*a*). 9. Denique quando aliena peccata *defendimus*, & peccantes tuemur, aut fovemus auctoritate, sicuti Magnates faciunt, qui gravium reos criminum protegunt, & contra juridicam perquisitionem iis asylum domi suæ præbent; id quoque faciunt interdum Magistratus, qui sua utuntur auctoritate ad reos enormium criminum absolvendos; idque præcipue committunt mali Presbyteri, qui absolvendi facultate abutentes in vitiis suis homines perseverare permittunt, & universæ diœcesi scandalum creant. His decimum adde modum alienis peccatis communicandi, malo videlicet exemplo.

(*a*) Horum opinionem Innocentius XI. proscripsit, dum hanc num. 51. propositionem damnavit: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, aut torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

TRACTATUS IV.

DE LEGIBUS.

SECTIO I.

DE NATURA, ET DIVISIONE LEGIS.

CAPUT I.

Vulgata Legis exponitur notio.

Lex, Sancto Thoma definiente, *ordinatio rationis est ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata* (1. 2. quæst. 90. art. 4.) Definitio hæc quatuor præcipuas Legis conditiones continet. Nam *primo* Lex agendi regula est, ejusque actus præcipere, & prohibere; actus isti soli rationi competunt, unde Lex *ordinatio rationis* sit oportet. *Secundo* cum Lex stabilis norma sit actuum humanorum, quorum finis beatitudo, & quidem communis, illam *ad bonum commune* ordinari, necessum est. Non igitur omnia, quæ Deus, aut Princeps præcipit, stabilem Legis naturam habent. Dum unigeniti immolationem Abrahamo Deus injunxit; præceptum, non legem dedit. Similiter, Rex dum cuidam ministro, Duci, aut

aliis

aliis privatis personis privato ex fine aliqua exequenda committit, præcepisse, non vero Legem Tulisse censetur. *Tertio* quia bonum commune, quod Rex respicit, non a quolibet, sed ab habente vires, & potestatem promoveri potest, solummodo ab eo, qui *curam communitatis habet*, Lex est ferenda. Unde Leges, quæ universum hominum genus stringunt, a Deo; quæ certam nationem, vel provinciam concernunt, a Rege seu Principe sunt conditæ; imo in terris, ubi Democratia viget, legislativa potestas penes populum, vel selectos ab ipso optimates manet: unde Isidorus, *Lex est*, inquit, *constitutio populi, secundum quam majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt* (Originum Lib. 5. c. 10.) *Quarto Promulgata* esse Lex debet; homines enim in subjecta materia non solum dirigit, sed & ita obligat; ut transgressores culpæ, aut saltem pœnæ reos constituat; nec culpæ, nec pœnæ locus, quousque obligationis cognitio deest; quæ quidem primum per Legis promulgationem acquiritur. Hinc illud apud Gratianum: *Leges instituuntur, cum promulgantur* (c. *in istis.* dist. 4.) Quia Leges, dudum forsan latæ, respectu subditorum a tempore, quo debite sunt promulgatæ, primum esse, suamque vim exerere incipiunt. Promulgatio hæc quoad Legem *naturalem* interna rationis suggestione; quoad Legem *positivam* externa præconis voce fieri solet.

Legis itaque *finis* Bonum commune est: *effectus* obligatio in subditis: *actus* præcipui præ-

cipere, prohibere, punire. Præmia iis, q
Leges obſervant Deus aut Princeps non qua L
gislator, ſed qua beneficus Pater largitur.

CAPUT II.

Multiplex Legum ſubjicitur diviſio.

Legis Diviſio prima eſt in æternam, & tempo
ralem. Hæc in naturalem, & poſitivam,
& iſta rurſus in divinam & humanam diſpeſ
tur. Divina in ſcriptam & non ſcriptam, vet
rem, & novam; humana in Eccleſiaſticam, d
civilem diſtinguitur; quibus adhuc aliæ in affi
mativam & negativam; in pœnalem & mixtam
in prohibentem, & irritantem; in favorabilem
& odioſam; in provincialem, & municipalem
in Localem, & perſonalem cum communi ſub
diviſiones accedunt.

Lex *æterna* (inquit Sanctus Auguſtinus lib
22. *cont. Fauſt.* c. 27.) *eſt ratio divina, vel vo
luntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens
perturbari vetans.* Seu eſt ordinatio rationis di
vinæ, qua Deus ab æterno ſtatuit quid creatur
intellectualis conformiter ad ſuam naturam age
re, quidve omittere debeat. Sicut Deus, ita d
Lex hæc immutabilis eſt, ſemper in Deo manens;
notitia ejus, quæ homini, in tempore creato,
communicata fuit, Lex *temporalis* dicitur, &
quia una cum natura illi quaſi indita, Lex natu
ralis vocari conſuevit. Unde

Le

Lex *naturalis* eſt participatio Legis æternæ in rationali creatura (S. Th. 1. 2. qu. 91. a. 2.) De hac loquitur Pſalmiſta, dum canit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Et Apoſtolus ait: *Gentes, quæ Legem non habent,* (ſcilicet ſcriptam in libris) *naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis* (Rom. 2.). Lex hæc quaſi habitualiter ſpectata in ipſo rationis lumine conſiſtit; omnibusque per actuale quoddam dictamen intimatur, ac quodamodo promulgatur. *Materia* ejus res neceſſaria eſt; actiones nimirum, & omiſſiones, ſine quibus humana ſocietas ſalva perſiſtere diu non poteſt. Obligatio illius eodem rigore ſtringit omnes (*a*); nec ullam admit-

(*a*) Caute diſtingendum inter Legem ſeu Jus naturæ permiſſivum & præceptivum. *Hoc* ita obligat ad unum, e. g. ad honorandum Deum, ut nunquam permittat oppoſitum, e. g. Dei inhonorationem: *Illud* econtra aliquid ita approbat ceu bonum, & juſtum, ut ejus oppoſitum velut injuſtum & malum non reprobet. Sic communitas bonorum, ſtatus conjugalis eſt Juri naturæ conformis, quin tamen bonorum diviſio, & cœlibatus ei poſitive difformis ſit. Commoda corporis nutritio, aut veſtitio ſic juri naturæ congruit, ut diſcreta carnis mortificatio, defectuum ſupportatio eidem non repugnet: vitæ, famæ, & bonorum fortunæ defenſionem Jus naturæ tribuit; quin ſpontaneam (absque præjudicio tertii) jacturam, aut ceſſionem prohibeat. Porro licet ipſa naturæ immutabilis, & neceſſaria ſit, poſſunt tamen mutari res ut ſub Lege naturali non amplius comprehendantur. Sic Votum vin-

admittit dispensationem. Præcepta ejus primaria: *Bonum est faciendum: malum omittendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c. Cuique intellectui, quamtumvis rudi sunt pervia. Ex his alia facili deductione fluunt, eaque summarie Decalogo comprehensa citius, & distinctius Christianis, quam gentilibus innotescunt. Alia denique circa varios contractus, ac speciales obligationes subtiliore ratiocinio vix a Sapientibus deteguntur, proin nec mirum, si ea plebei, ac rudes ignorent, sed de his jam supra Tract. 3. Sect. 2. c. 2.

Lex *positiva* est ordinatio rationis, quam Legislator sive divinus, sive humanus ad majus communitatis emolumentum fecit. Differt a Lege naturali; quia Lex naturalis intrinsece bona præcipit, & intrinsece mala prohibet; cum econtra Lex positiva res de se indifferentes respiciat, solumque bonas quia præceptæ; & malas quia prohibitæ.

Lex *positiva divina* est, quam supremus Legislator Deus circa fidem, & cultum liberis hominibus dedit. Legis hujus Revelatio primo Adamo

---

culo naturali voventem ligat, quodsi tamen Deus per suum in terris Vicarium de jure suo cedat, promissionem remittat, jam ex parte voventis naturalis cessat obligatio; quia Lex naturalis eousque obligat ad servandum votum, quousque promissionis non sit facta relaxatio. Eodem modo de furto de homicidio servata proportione est ratiocinandum.

Adamo facta, ejusque ad posteros per traditionem est transmissa, ac tandem per Moysen, Christique Discipulos in libris scripta, atque variis statibus accomodata fuit (*a*). Unde communiter tres

(*a*) Divina Revelatio est *possibilis*; ex parte *rei revelatæ*; licet enim hæc mysteriosa sua sublimitate intellectus nostri capacitatem transcendat, non tamen propterea repugnat, nisi multa naturæ phænomena, quæ captum nostrum excedunt, impossibilium acervo addere velimus: 2. ex parte *Dei revelantis*, utpote qui omnia, in se ipsis non impossibilia, potest: Est etiam *conveniens* 1. Divinæ *Majestati*, cujus utut infinite beatæ apud terricolas per revelationem magis manifestatur, & augetur gloria: 2. *homini*, qui Revelationis beneficio suam originem & finem, infirmitatis radicem, Dei cultum, placandique modum, ac ipsa Legis naturalis præcepta citius, certius, ac distinctius cognoscit. Est denique *actu facta* Revelatio. Id enim doctrinæ Sanctitas, mira unitas, ac propagatio contra omnes humanæ prudentiæ Leges peracta; Prophetiarum adimpletio, & miraculorum splendor, (qui olim in Mosaica, hodie in Religione Christiana notatur) clare demonstrant. Miracula præprimis ceu certissima divinæ Missionis, ac doctrinæ cœlestis sigilla omnes populorum nationes acceperunt. Communem autem persuasionem falsam esse non posse melioris notæ Philosophi contra scepticos tuentur. De Religione Revelata scripsere Illustr. Huetius lib. de *Demonst. Evang.* P. Vinc. Valsechius Ord. Præd. egregio opere *de Fundamentis Christ. religionis, & Impietatis Fontibus* elucubrato, Romæ summa Laude, ac gratiarum actione excepto &c. quos nuperrime alii ex Societate Jesu sunt imitati.

tres Legis divinæ ſtatus, videlicet non ſcriptæ ſeu naturalis; ſcriptæ veteris, & ſcriptæ novæ. Dogmatici diſtinguunt, quos plura ſciendi cupidus adeat; nos enim hic non dogmata, ſed morum præcepta explicanda ſuſcepimus.

Lex *humana* eſt, quæ a Legislatore humano libere eſt lata; ea, quam Princeps Eccleſiaſticus in bonum ſpirituale animæ promulgat, Lex *Eccleſiaſtica;* quam Princeps ſæcularis in bonum civium temporale; Lex *civilis* nuncupatur. De hac utraque plura Juriſtæ. Lex *affirmativa* actum præcipit; *negativa* aliquem prohibet actum (a). *Pœnalis* ſolum ſub pœna; *præceptiva* vel *mixta* etiam ſub culpa obligat: *Prohibens* actum, quem pro-

(a) Notatu digna, quæ Legem affirmativam inter & negativam datur, differentia. Lex *affirmativa* obligat *ſemper*, ſed non *pro ſemper*, i. e. non continuo pro quovis temporis puncto, quia actus honeſtus, vel virtuoſus, quem præcipit, a certis circumſtantiis pendet, quæ non ſemper adſunt. Lex econtra negativa obligat *ſemper*, & *pro ſemper* i. e. pro omni temporis parte, quia inhoneſtum, vel vitioſum, quod interdicit, quovis tempore vel loco honeſtum effici nequit; nisi forſan ex fine, aliisque circumſtantiis objectum actus adeo ſit mutatum, ut ſub Legis negativæ tenore Prudentum, ac timoratorum judicio non amplius comprehendatur. Sic honorare parentes eisque obedire ſemper tenemur, non tamen ad quidquam inhoneſti præcipiant: Rem alienam rapere ſemper, & pro ſemper prohibemur, quousque extrema neceſſitas ex re aliena cuique communem non efficit.

prohibet, illicitum, adhuc tamen validum; *irritans* ſimul nullum, & invalidum reddit. Lex *favorabilis* favorem continet, ſimilesque ad caſus, licet non expreſſos, ex præſumpta Legislatoris intentione extenditur: *odioſa* ob gravamen, quod plerisque adfert, ad caſus ſimiles extendi nequit: *Provincialis* integram provinciam, aut Regnum; *municipalis* unam civitatem, vel Dynaſtiam ſtringit: *Localis* ſubditos ſolum intra proprium territorium afficit; *perſonalis* eosdem extra patriam ad quasvis terras comitatur.

SECTIO II.

DE LEGE HUMANA.

CAPUT I.

Juſta humanæ Legis determinatur materia.

Principi tantum a peccatis mundo ordinariam Leges ferendi poteſtatem Wicleffus permiſit. *Nullus* (inquiebat) *eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Hunc ſecutus eſt Joannes Hus contendens: *Nemo gerit vicem Chriſti vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus.* Quam utramque propoſitionem Conſtantienſe Concilium Seſſione octava damnavit; & quidem juſte. Tributa Cæſari

ſari utut ethnico Principi ſolvenda Chriſtus
dæis injunxit (Matth. 22.) & Divus Paulus Pr
cipibus etiam diſcolis non ſolum propter ira
ſed & propter conſcientiam obtemperandum e
docuit (Rom. 13. Tit. 3.) Veri igitur Catho
ci in Regibus, Eccleſiæque Prælatis (puta in P
pa, & Conciliis Generalibus reſpectu totius E
cleſiæ, & Epiſcopis reſpectu ſuarum Diœceſiu
Legislativam poteſtatem agnoſcunt, quam tam
æquis conditionibus circumſcriptam eſſe volu
Conditiones iſtas ſanctus Iſidorus recenſet. E
autem (ait Lib. V. *Originum* Cap. 28.) *L*
honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſ
cundum patriæ conſuetudinem, loco, tempori
conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta, ne qu
per obſcuritatem in captione contineat, nullo pr
vato commodo, ſed pro communi utilitate civi
conſcripta. Et ſubdit, id ſolum aptam Leg
materiam eſſe, *quod ratione conſtat, quod Re*
gioni congruit, quod diſciplinæ convenit, qu
ſaluti proficit. Hinc Concilium Toletanum VI
Can. 10. ſtatuit ut *Reges nulla vi, aut factio*
Scripturarum, vel definitionum qualiumcun
contractus a ſubditis exigant, neque ſint pro
ctantes proprii jura commodi, ſed conſulentes P
triæ, ac Genti. Et Sanctus Leo ad Leone
Imperatorem ſcribens, *Debes* (inquit Epiſt. 7
incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi
ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccle
præſidium eſſe collatum, ut auſus nefarios com
primendo & quæ bene ſunt ſtatuta defendas, &
veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas.

Actio

Actiones itaque de se indifferentes, ex circumstantiis, quæ eis superveniunt, bonæ, & communitati utiles effectæ propria Legis humanæ materia sunt. Frumenta ad alienas ditiones transvehere quid indifferens, imo civili sæpius commercio utile est; at dum segetum inopia annonæ defectum, famisque plagam incolis minatur, fructuum retentio utilis, evectio nociva provinciæ evadit; unde hanc statuta Lege prohibere, illam præcipere Princeps potest.

Non raro, quæ jam Lege naturali erant præcepta vel prohibita, adhuc Legislatores humani stricta lege præcipiunt, aut prohibent; novam tamen obligationem non inducunt, sed antiquam, ex naturali Lege ortam noviter insinuant, gravesque contra transgressores pœnas decernunt; quæ, licet temporales, male moratos magis quam æternæ in officio continent; quia mala gravissima, quo remotiora apparent, eo minus improvidos terrent. Suspendium, rotas, enses, aliaque pro malefactoribus taxata mortis genera sublata finge, & nil nisi homicidiorum, rapinarum, injuriarumque Tragœdiam in orbe conspicies.

Divinæ quoque Leges occasionem novas condendi Leges Ecclesiæ præbuerunt. Peccata, post baptismum commissa, ex Christi præcepto fideles confiteri tenentur, ac pœnitentia delere. Saluberrimo hoc remedio primus Christianorum fervor intra unius anni spatium sæpiusutebatur; atque Laici diebus Dominicis, & Festis inter

Missa-

Missarum solemnia sacram synaxim sumebant subnascens dein tepor utrumque neglexit. Ecclesia eidem limites positura universalem de annua confessione, & communione Legem promulgavit, quæ proin secundum suam substantiam divina, secundum temporis determinationem Lex ecclesiastica atque adeo mixta est.

Possintne actus *mere interni*, id est cum externo quodam actu non connexi Lege humana saltem ecclesiastica præcipi? multi dubitant. Quæstio hæc parvæ admodum utilitatis est, nec multa discussione eget. Mea quippe opinione de ejusmodi actibus Legem ferre ad unicum, qui corda & renes scrutatur, Deum spectat. Ut quid enim homo Legem ferat; cujus adimpletionem urgere, cujusve transgressionem scire & punire perpetuo nequeat? Sic autem circa actus, de quibus loquimur, res se habet; hi igitur nunquam congrua Legis humanæ materia erunt.

Actus proin mere internos Deo relinquemus. Ecclesiasticæ jurisdictioni sufficit actus Virtutum externos præcipere, qui vel ex sua natura, vel naturali, vel divina Lege cum quibusdam internis nexum habent. Unde quantumvis Ecclesia per se non possit præcipere dolorem internum, potest tamen præcipere doloroſam confessionem; quia sacramentali confessioni, quam præcipit, internus dolor ex divina institutione est annexus. Item potest attentam Breviarii recitationem exigere; quia vera orationis natura

sine omni interna mentis attentione aliunde non subsistit. Simile judicium ferendum est de casu, quo homines religiosi ad actus Meditationis, Recollectionis &c. mere internos libera, ac solemni professione se ultro obstringunt (*a*).

CAPUT II.

Vera humanæ legis ostenditur obligatio.

Legibus humanis in foro solum externo, non interno subditos ligari, nostri temporis hæretici docent. Quibus Tridentinum Concilium (*Sess. 7 cap. 8.*) anathema dixit. Christi Domini, & Apostolorum doctrinam, quam præcedenti capite adduximus, sacra Synodus vindicavit,

(a) Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini* omnes ad assensum *internum* obligatos declarat, obligatione videlicet, quæ, postquam Ecclesia est locuta, ex lege non jam humana, sed divina fluit. Idem Pontifex ecclesiasticis pœnis eos subjicit, qui *aliter senserint, prædicaverint, docuerint*, nempe in complexo, ita, ut suum exterius manifestarint errorem. Denique Innocentius XI. istam Michaelis Molinos damnavit propositionem: *Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Episcopos, quia Ecclesia non judicat de occultis*; non quia potestatem circa *mere interna* Molinos Ecclesiæ abjudicavit; sed quia *omnia interna*, cum externis utcumque connexa Ecclesiæ gubernio, & jurisdictioni subtracta esse voluit. Id quod nec Auctor, nec ullus hujusce sententiæ Patronus tuetur.

cavit, utpote qui obedientiam & subjectionem non mere ut pœnam evitent, sed ne conscientiam lædant, Christianis inculcarunt. Legislatorum potestatem Princeps cum ecclesiasticus, tum politicus a Deo habet. *Non enim est potestas nisi a Deo* (inquit Apostolus *Rom.* 13.). *Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quomodo autem damnationem sibi acquirerent; si libera legum transgressio culpa vacaret? Filius, qui paternis præceptis non obedit, contra sanam rationem peccat, & conscientiam conspurcat; & subditos, legum humanarum transgressores, ob omni immunes non pronunciemus (*a*)?

Orthodoxis itaque in principiis justas Principum leges nædum acceptare (*b*); sed & juxta easdem agere populus sub peccato tenetur. Sitne lex *justa* a Prudentibus, non a plebeis est discendum; hi enim quamvis legem, quam sibi ora-

rosa-

(*a*) Innocentius XI. hanc num. 52. damnavit propositionem: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali sepposito scandalo, si absit contemptus.* Alexander VII. hanc num. 25. proscripsit: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta; quia non vult se subjicere præcepto.* Si autem pro foro interno humana lex non obligaret, secluso scandalo, & contemptu sepposito nemo umquam contra eam peccaret.

(*b*) Huc spectat Propositio ab Alexandro VII. confixa: *Populus non peccat, etiamsi absque justa causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Est inter damnatas 28va.

roſam credunt, veluti injuſtam traducunt, ac diris devovent. Quodſi diſcretivum Sapientum judicium deſit, juſtitiæ præſumptio pro Principe ſtabit, ejusque legi obtemperandum erit.

Nec tamen eadem & æqualis legum, quas homo condit, cenſenda eſt obligatio. Legis materia, ac Legislatoris intentio rite penſandæ ſunt. Si materia ſit gravis, ſimulque Princeps, quantum poteſt, obligare intendat, lex ab eo lata gravem obligationem parit. Materiæ *gravitas* ex re præcepta vel prohibita, non nude ſumpta, ſed ad finem proximum, aliasque circumſtantias comparata cognoſcitur. Legislatoris vero *intentio* ex rigore verborum, ex gravi adjecta pœna, & in dubio ex conſuetudine, ac judicio Prudentum innoteſcit. Sic excubias relinquere de ſe quid leve; attamen ex fine Ducis prohibentis, & funeſtis ſequelis delictum grave eſt, ſupremo mortis ſupplicio obnoxium. Quodſi materia levis ſit, vel gravis quidem; ſed ad eam ſub levi culpa, aut ſola pœna obligare Superior intendat, levis culpæ, aut ſolius pœnæ reus evadit, qui ſecluſo contemptu eiusmodi legem tranſilit; prout in variis religioſorum Ordinum Statutis patet.

Sunt leges, quæ in præſumptione fundantur. Præſumptio hæc vel de aliquo facto, vel facti periculo eſſe poteſt. Lex *facti* præſumptioni innixa non obligat, ſi factum numquum extitit; quia tunc tota legis ratio ceſſat. Econtra lex, quæ in præſumptione *periculi* fundatur, ſemper obligat; quia periculum, ceu legis fundamentum,

tum, communiter adesse solet, utut hic & nun respectu alicujus privati per accidens absi Hinc mulier, occulto impedimento laborans viro, cui legitime conjuncta præsumitur, cohabitare jussa, Judici parere nec debet, nec potest; quia Judicis decisio in falsa facti, videlicet legitimi matrimonii, præsumptione fundatur. Econtra a lege primi mariti soluta cum alio, liberrime consentiente &c. contrahere clandestine nequit; quia lex, quæ clandestina matrimonia vetat non propter absurda actu secuta, fuit lata; sed propter eorum periculum, quod ab hisce matrimoniis vix umquam, aut non nisi per accidens abest.

Lex humana cum certo fortunæ, famæ, at vitæ periculo, alioque gravi incommodo non obligat. David dira fame excruciatus Propositionis panes, laicis interdictos, comedit, suisque distribuit. Machabæi necessitate compulsi Sabbato pugnarunt, quin veluti legis transgressores increpati fuerint, aut puniti. Si legis divinæ obligatio ex Legislatoris voluntate ad casus arduos se non extendit, id multo minus de lege humana est asserendum. Quodsi tamen humanæ legis transgressio in Dei, aut Superioris contemptum; ecclesiasticæ, aut regiæ potestatis despectum cederet, potius mors, vel aliud grave malum foret sustinendum, quam violanda lex; quia publica legislatorum Auctoritas cujuscumque privati hominis vitæ præponderat. Idem dicendum, si ex legis humanæ transgressione Ecclesiæ vel Patriæ ingens damnum immineret.

Potius

Potius itaque mortem pati miles tenetur, quam irruente hoſte ſtationem relinquere; potius famæ, vel bonorum jacturam ſubire, quam in Eccleſiæ contemptum diem Feſtum profanare (a).

Sed quid; ſi quis non poſſit legi ſatisfacere ex toto, poſſit autem ex parte? Juxta communiorem tenetur ad partem, ſi hæc notabilis, reique præceptæ diviſibilis materia ſit. Unde qui non poteſt abſtinere a carnibus, adhuc abſtinere a ſecunda refectione tenetur. Qui non valet recitare totum Breviarium, valet autem horas minores, easdam dicere tenetur, quia impotentia ceu cauſa excuſans ultra ſe non extendit. Recentioribus Caſuiſtis hæc ſententia non arridet; eoquod major pars ad ſe minorem trahat, ſuumque principale acceſſorium ſequatur. Axiomata iſta non reptobamus; ea tamen de

(a) Eadem lex, quæ ad actum quemdam obligat, ad removenda quoque obſtacula, actum illum impedientia, ſubditos obſtringit. Duplicis generis impedimenta dantur. Quædam in ſe mala ſunt: alia in ſe indifferentia, vel omnino honeſta. Illa ſemper ſunt vitanda; non item hæc, ſi eorum amotio magnum damnum homini privato cauſaret. Hinc tempore, quo audiendæ Miſſæ præceptum urget, ab inebriante potu eſt abſtinendum; poteſt tamen commercii cauſa in profeſto, & feſto die per hæreticorum terras, ubi nec abſtinentiæ, nec Miſſæ præceptis ſatisfiet, iter inſtitui; quia leges humanæ ſicut ad ipſum actum ponendum, ita & ad actus impedimenta cum gravi damno removenda ex præſumpta Legislatorum voluntate non obligant.

de partibus neceſſario connexis, vel minimis quæ Prætor non curat, accipienda eſſe affirmamus (*a*).

CAPUT III.

Genuinus leges adimplendi præſcribitur modus.

Modus, quo leges humanæ ſunt adimplendæ, ille ipſe eſt, qui actum humanum efficit. Quisquis actum præceptum cum cognitione & voluntarietate ponit, legi ſatisfacit; licet expreſſam ſatisfaciendi intentionem non habeat. Unde ſi quis, de præcepto Eccleſiæ nihil cogitans, attentus Miſſæ intereſſet, ſuæ obligationi ſatisfaceret. Imo ſi poſt Sacrum, cui peculiari devotione adſtitit, de die feſto admoneretur, aliud audire non teneretur; quia priore devota præſentia eccleſiaſticæ legi factum eſt ſatis. Sed quid; ſi actu illo ſatisfacere quis nollet? Juxta multos ſatisfaceret. Si tamen neque per hunc quem rite ponit, neque per alium quemcumque actum adimplere legem vellet, hac refractaria voluntate non tam in legem humanam, quam naturalem & divinam, quæ legum contemptum prohibet, graviter delinqueret. Aliſat multi, & docti contrarium tenent, utque huma-

(*a*) Contrarium tamquam nimis laxum, & falſum Innocentius XI. damnavit, dum 2da Martii Anno 1679. hanc numero 54tam confixit propoſitionem: *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

humanæ legi satisfiat, intentionem saltem interpretativam (qualis in casu non adest) requiri docent. Hisce & nos (præterquam si de scrupulosorum intentione sit sermo) libenter subscribimus. Si enim qui alteri aureum debet, postquam intentione liberali, ac titulo donationis aureum tradidit, adhuc alium titulo debiti exsolvere tenetur; potiore jure ab eo, qui contraria intentione actum præceptum ponit, denuo alius exigi actus potest (*a*).

Nec

(*a*) Hanc quæstionem vanis, ac frivolis P. Concina adnumerat, eamque extra Casum scrupulorum verbis ludere &c. existimat. Nam (inquit Tom. 6. lib. 1. Diss. 5. *de leg. hum.* cap. 9. num. VI.) quis ratione utens præfatos hos duos actus eliciet? Quis tam stultus, ut velit peccatum committere, dum actum virtutis exercet? Nam qui constituit, se nolle hac auditione Missæ, hac recitatione Officii implere præceptum, vel deliberat aliam audire Missam, aliud recitare Officium; vel definit, se reapse nolle toto illo die adimplere præceptum, licet deliberate rem præceptam ponat. Ego in primo casu non modo permitterem, & obligatum declararem (nisi aliqua obstaret scrupuli circumstantia) ad audiendum aliud Sacrum, aliudque recitandum Officium; sed in pœnam sui otiosi actus tertiam Missam audiendam, tertium Officium recitandum (ut ita dicam) imponerem. In secundo casu hominem rejicerem ut dementem, tamquam qui vellet peccare, ut peccaret. Nam rem præceptam attente, & diligenter exequitur urgente præcepto; & præceptum implere recusat? Delirium hoc mihi apparet. Sed, inquis, si re ipsa similis reperiretur stultus; quid sententiæ fer-

Nec tamen, ut humanæ legis adimpletio ex virtutis motivo, aut caritatis habitu fiat, necessum est. Motivum siquidem virtutis in interore intellectus & voluntatis actu consistit: qui soli Deo reservatur, uti jam supra ostendimus. Nihilominus qui secluso virtutis motivo, omnique interna mentis attentione neglecta leges adimplere præprimis Ecclesiasticas solent, in legem naturalem vel divinam, quæ sancta sancte, ac digne peragi jubet, ut plerumque impingunt. Quamobrem explodenda est, ac detestanda Caramuelis opinio, qui docet, attentionem in divini Officii recitatione non esse de præcepto. Addit autem de se ipso loquens: *Et nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor, quia prudenter suppono, me ad actionem internam non teneri. Ego me ne venialiter quidem peccavisse in hac materia certo scio, & ita certo, ut possim jurare* (*num.* 442.). Si sic orando Deus non illuditur, quonam umquam modo illudetur? Ab nude proponendo confutatur satis tam absurda opinio.

Ut legi pœnali, qua pœnali, fiat satis, ante Judicis sententiam pœnam in se ipso exequi nemo ullus tenetur, si pœnæ executio actum quemdam *positivum* exigat; quia hujusmodi actu pœnali quis semetipsum infamaret, quod plerumque sanæ rationi adversatur. Attamen pœna mere *privativa*, nimirum inhabilitas a Jure

---

ferres in ipsum? Ad aliam audiendam Missam, ad aliud recitandum Officium obligarem, ut peccati pœnam lueret. Ita Ille.

Jure in transgressores statuta, quæ actus cujusdam omissionem e. g. *fructuum non fruitionem* præcipit, ante Judicis decisionem subiri debet; quia usitatæ legum clausulæ: *Ipso facto: Ipso jure &c.* id clare significant. Profecto si Judex privativæ pœnæ executionem mandandi potestate pollet; cur simili potestate Jus commune careat, jam non apparet. Hinc si quis legem violat, cujus transgressioni mutilatio, aut bonorum publicatio est adnexa, antequam condemnetur, a subeunda pœna liber manet: Econtra si Canonicus non profitetur, non residet &c. fructuum emolumento, priusquam Judex pronuncier, ipso facto privatur.

Possintne *actu unico* plura præcepta adimpleri, ex legis tenore, ac Legislatoris fine speciali est desumendum. Nisi probata ex consuetudine ac Timoratorum sensu pro unico actu interpretatio fieri in dubio possit, per plures distinctos actus distinctis præceptis occurrendum erit. Sic per unicum jejunium præcepto quadragesimali, quatuor temporum, & Vigiliæ satisfacimus; non item per unicam Missæ auditionem Ecclesiæ, & Confessarii præcepto. Similiter uno, eodemque tempore *per plures actus* pluribus diversis præceptis satisfieri potest, si actus unus compatiatur alterum, & utriusque simul salva stet conditio. Unde sub Missa præcepta Breviarium recitare (a), non item confessionem paschalem lon-

(a) *Vix ego consulerem absque peculiari necessitate, ut quis eodem tempore & Missam die festo audiret,*

longiorem peragere licet; quia debita ad utrumque actum attentio in primo, non secundo casu salvatur.

Plures nonnumquam leges concurrunt, quæ simul observari non possunt: cedere igitur lex inferior, prævalere superior debet. Si leges invicem comparentur, lex naturalis positivæ, divina humanæ, negativa affirmativæ erit præferenda. Unde servitium ægroto impendendum Missæ auditioni est præhabendum; potius huic præcepto, quam Principis mandato obtemperandum. Quodsi plures leges *ejusdem ordinis*, puta plures naturales, plures divinæ, vel affirmativæ &c. concurrant, illa, quæ ad nobiliorem virtutem tendit, quæve magis saluti necessaria videtur, præ altera est adimplenda. Secus qui facit, divinæ Sapientiæ ordinem invertit, & nisi invincibili ignorantia excusetur, graviter peccat (*a*). Hinc Parochus, qui ad suam vitam conservandam, & ad ovium suarum salutem promovendam lege naturali stringitur, pestis tempore ovicularum curam vitæ suæ securitati præ-

& horas canonicas persolveret. Contrariam sententiam, utpote communem, non improbo. At tam severa œconomia qui tributa Deo debita solvunt, nescio, quo animo divitias Misericordiæ divinæ copiosas sperare valeant. P. Concina Tom. VI. lib. 1. *Diss.* 5. *cap.* 10. *num. III.*

(*a*) Regulas utiles in legum concursu observandas tradit D. Amort in sua Theologia Morali Tom. I. Tract. 2. *de legibus.* §. 9. Q. 13.

præponere debet, & Parochianus in rebus ecclesiasticis Pastori magis, quam loci Præfecto obedire tenetur (*a*).

CAPUT IV.

Legum humanarum Subjectum proponitur.

Omnes rationis usum habentes naturæ legibus subjici, nullus nisi atheus negat. Divinis quo-

(*a*) Ut lex humana actu obliget, sufficiens ejusdem promulgatio præcedat, necessum est. Sintne leges pontificiæ solum Romæ, anve in singulis, in quibus obligent, Provinciis promulgandæ? Scholastici disceptant. Communior, ac verior Sententia legum, quæ Jus novum constituunt, promulgationem in singulis Diœcesibus faciendam esse propugnat. Id enim clare in Jure civili (*Novell.* 66.) pro legibus imperatoriis statuitur, eademque prorsus ratio de legibus papalibus tenet. Absque hac enim promulgatione nec *authentica*, nec *uniformis* legum notitia ad subditos perveniret, sicque amplus confusioni, aliisque absurdis ad Christianam Rempublicam pateret aditus; quem tamen ut perpetuo præcluderet, Christus suos Apostolos, aliosque Evangelii Præcones universum in mundum misit. Apostoli Decreta, Ierosolymis concepta, ad eos, qui Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ erant per Judam & Sylam direxerunt. Zephirinus Papa suum de Mæchis pœnitentibus ad pacem recipiendis Decretum in omnes Christiani Orbis partes distrahi voluit. Eumdem morem Innocentius III. circa Canonem *Omnis utriusque sexus* de Communione paschali, & Pius IV. circa Sacri Tridentini Concilii Decreta observarunt. Sed de his latius Canonistæ.

quoque legibus positivis singulos, quibus hæ[c] notuerunt, quique juxta ætatem earum capaces sunt, stricte obligari contra Sectarios Catholi[cos] docent. Unde legis dumtaxat humanæ ambitum metiri, ac subditos videre præsenti capite com[-] bimur.

Pueri rationis usum adepti iis legibus, quæ eorum conditioni, ac ætati sunt accomodatæ subjiciuntur. Hinc septennis puer confiten[-] non communicare: a carnibus, non a secunda refectione abstinere tenetur; quia priori obliga[-] tioni explendæ tenuior ætas sufficit, pro poste[-] riore ætas maturior, fortiorque corporis habitus requiritur (*a*).

Adulti, qui ratione utuntur, Superioris ec[-] clesiastici æque, ac politici legibus subduntur, ita, ut absoluta solummodo amentia, aut invo[-] luntaria ebrietas transgressionem excuset. Pec[-] cant proin, qui deliberata ebrietate impedi[-] prævisam obligationem non exsolvunt; neque culpa illi vacant, qui ob specialem stupiditatem amentibus vulgo æquiparati Ecclesiæ præcepta scire, & adimplere negligunt; cum tamen ad varias

(*a*) Infantes ante rationis usum legibus in actu *primo* solum subduntur; adeoque actu contra eas peccare non possunt. Nihilominus eos ad iram, libidinem, aut blasphemiam excitare non licet; quia actus, utut materialiter solum malos, studiose procurare, inhonestum est; talis enim excitans ad actus intrinsece malos hisce pusionibus, aut etiam amentibus, veluti instrumentis utitur, & quod deterius est, ad tales eos assuefacit, quod certo iniquum est.

varias nugas addiscendas impigri, satisque capaces sint. Horum socordiam confundere Parochus debet, nec prius acquiescere, donec nobiliora christiani hominis officia suam juxta capacitatem didicerint.

Hæretici quoque postquam per januam Baptismi quodammodo Ecclesiam sunt ingressi communibus ejusdem legibus subjacent. Opposita ratio de infidelibus, & catechumenis tenet. Unde Calvinianus homo, qui die vetito carnes comedit (nisi forte materialis hæreticus sit), contra ecclesiasticam legem peccat; Judæus, qui eadem agit, a tali peccato immunis manet.

Utrum viatores, vagi, & peregrini (*a*) particularibus locorum, per quos transeunt, vel ubi morantur, legibus teneantur, non eadem omnium est sententia. Nos affirmativam amplectimur. Viatores enim & peregrini, e loco proprio egressi a patriis legibus toto, quo absunt, tempore liberantur, unde quo minus locali-

(*a*) *Vagus* dicitur, qui nullibi domicilium fixum habet: *Viator*, qui extra territorium ubi domicilium habet, per aliquem locum transit. *Peregrinus* qui extra suum domicilium alicubi moratur cum animo redeundi. *Advena* qui extra suam patriam domicilium fixit. Non de hoc, sed de illis in textu sermo est. Porro *domicilium* ille figit, qui perpetuo in aliquo loco persistendi animum gerit: *Quasi domicilium* erigit, qui per majorem anni partem in quodam loco commorandi intentionem habet. De his plura Jurisconsulti.

calibus ſtatutis ſubjecti fiant, nihil obſtat (a). Si ſolus e patria egreſſus eos quoad tempus municipali lege abſolvit; ut quid ſolus in alienum territorium ingreſſus pro tempore ſubſiſtens legum, quæ ibi vigent, obligationem non adi rat? Viator privilegiis, ac commodis localib fruitur; qui autem commodum ſentit, eni onus ſentiat, oportet. Legislatores locales u formem ſuarum legum obſervantiam intendun ſcandala, ac turbationes, quamtum poſſunt, ſuis arcere ſubditis cupiunt. Aſt id numqua efficient, niſi vagos & viatores pro notabili te pore, quo ſua in ditione morantur, ſuis legib ſubjectos reddant. Hæc in vagos &c. potes ceu appendix illius, quam in proprios ſubdi habent, ipſis a Deo conceſſa videtur; quia h ſine illa ſæpe langueſceret. *Cum Romam ve* (ſcribit ſanctus Ambroſius apud S. Auguſtinu *Epiſt.* 118.) *jejuno ſabbato: cum hic ſum non j juno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſia veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non v eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Et ſanctus Au guſtinus: Quisquis eis (rebus) utitur, ut ma tas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatu excedat, flagitioſus eſt (lib. 3. *de Doctr. Chriſt. cap.* 12.). Quare, qui in loco, ubi Feſtum, v jejunium de præcepto incidit, toto mane conve ſatur

(a) Rationabilis ſolum ac ſincera abſentia a legib patriis eximit, ea nempe, quæ commercii, a negotii cauſa contingit. Unde qui unice ut Fe ſtum locale vel jejunium evitet, patriam pa ſper deſereret, legibus ſubjectus maneret; qu fraus & dolus patrocinari iniquis non debet.

fatur, Missam audire, in prandio a carnibus abstinere tenetur, quia talis mora Prudentum judicio legis observantiæ proportionata est, atque sufficiens.

Legibus civilibus, quæ communem ac tranquillam gubernationem concernunt, etiam Clerici parere tenentur. Huc illa collimant, quæ sanctus Paulus suo Tito suggessit: *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire* (*cap.* 3.). Et illud divi Petri: *Subjecti estote Regi quasi præcellenti, & Ducibus tanquam ab eo missis* (*Epi.* 1. *cap.* 1.). Et Christus ipse, quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddenda esse respondit. Unde eadem rerum pretia, easdemque contractuum formas, quas cives alii observant, etiam clerici observare obligantur. Quia eorum circa hæc exemptio magnam deordinationum farraginem induceret. Clerici muneris sublimitate Lajcos præcedunt: unde ut virtutis ac obedientiæ exemplo iisdem præluceant, dignum & justum est. Porro Ecclesiasticos a quibusdam civium oneribus, puta a communibus gabelis, & tributis &c. sacri Canones excipiunt. Canones autem isti nædum Episcoporum suffragio, sed & Principum annutu sunt firmati, suumque in æquitate naturali fundamentum habent. Profecto si Principum Ministri, quia Reipublicæ se totos impendunt, a communibus oneribus eximuntur; simile privilegium Viris ecclesiasticis, qui pro omnium animabus laborant, non nisi inepte a quibusdam abjudicatur.

Sed

Sed quid? Ipſine Legislatores legibus a ſe vel prædeceſſore latis ſtringuntur? Eos ſaltem directive ſtringi cum ſancto Thoma Theologi docent. Principis enim transgreſſio apud ſubditos ſcandalum cauſat, eosque ſæpe ad damnabilem legis contemptum provocat; quem ſicut ex officio impedire, ita & legibus ſuis morem gerere Superior tenetur. *Princeps* (inquit ſanctus Thomas 1. 2. *Quæſt.* 96. *art.* 5. *ad* 3.) *dicitur eſſe ſolutus a lege, quamtum ad vim coactivam legis, nullus enim proprie cogitur a ſe ipſo; lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat.. Sed quamtum ad vim directivam Princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundum quod dicitur* (extra *de Conſtitut.* cap. *cum omnes*): Quod quisque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure uti debet. *Et Sapientis dicit auctoritas* (Caton. *in Rudiment.*): Patere legem quam ipſe tuleris.. *Improperatur etiam his a Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea movere* (*Matth.* 23.). Quodſi tamen quædam leges ſua ex materia populi ſolum conditioni, non Principis dignitati congruant, legum conditor nec ſecundum vim directivam iſtis obſtringetur.

SECTIO

SECTIO III.

DE MODIS, QUIBUS HUMANA RESTRINGITUR VEL TOLLITUR LEX.

CAPUT I.

Lex obscura a quo, & quomodo sit interpretanda?

Legis verba obscura sæpe sunt, quæ proin *simplici*, ac prout vocant, *verbali* interpretatione sunt explananda: nonnumquam verba clara quidem sunt, ne tamen in sensu rigoroso, ac universali hic & nunc accipiantur, de benigna legislatoris intentione præsumitur. Hic leges interpretandi modus *Epjikia* dicitur, ac communiter a legistis describitur, quod sit æqua interpretatio mentis, quam legislator actu quidem non habuit; habuisset tamen si præsentes circumstantias prævidisset.

Interpretatio legum *authentica* præprimis ad illum, qui eas tulit, vel ejus successorem spectat, eamdemque ac ipsa lex in judiciis vim habet. Dum legislator tacet, consuetudo, tamquam optima legum interpres, est attendenda. Interpretatio a consuetudine petita *usualis* nuncupatur. Quæ consuetudo legum interpretationi serviat, postea dicemus. Non raro, cum

nec legislator, nec consuetudo quidquam de-
nit, docti ac prudentes viri interpretationes
legum *doctrinalem* suppetitant, quæ eos, a qu-
bus illi consulti fuere, pro foro saltem intern
securos reddit.

Regulæ, quas legum interpretes respicere
debent, in utriusque Juris codicibus invenitur
tur. Potiores huc pertinentes sunt. 1. Ut leg
verba in sensu obvio & proprio eousque acc
piantur, quousque hic absurdas sequelas no
procreat. 2. Ut leges odiosæ, ac pœnales,
quamtum fieri potest, restringantur: favorab
les extendantur. 3. Ut lex instituta paritate
alias facti species non extendatur, nisi objecta
correlativa sint, aut connexa, & legis ra
exacte utrisque congruat. 4. Ut lex obscu
cum aliis propinquis, & clarioribus conferatur
atque una exponatur per aliam. Sic circa m
trimonii contractum, & usum quæ mulieri co
ceduntur, etiam viro concessa reputantur,
quæ marito prohibentur, etiam prohibita un
censentur.

Epjikia non temere est facienda, sed ra
ac sobrius ejusdem usus sit oportet. Si in verb
legis generalibus etiam hæc, quæ modo po
nenda esset, actio comprehendatur, ex leg
tamen adimpletione quidquam aperte injustum
ipsi operanti, aut toti communitati nocivum
consecuturum certo prævideatur, Epjikia est ad
hibenda, atque concludendum, quod legislator
si hasce circumstantias prævidisset, hujusmod
casum excipere rationabiliter debuisset. Quod

damnum, aut injustitia ex legis observantia emersura non certo, sed mere probabiliter timeatur, vel Legislator, vel Prudentes erunt consulendi; aut si moram rei negotium non admittat, exortumque semel dubium majore probabilitate elidi non possit, omissa Epjikia sensui legis litterali erit insistendum; quia ut supra diximus, in dubio pro lege standum, ac tutius eligendum est. Porro damnum, ad quod a nobis, vel a communitate avertendum Epjikia utimur, grave esse debet, si enim quodvis leve sufficeret, legislatorum auctoritas, & legum utilitas brevi collabesceret; cum paucæ admodum leges sint, quarum observantia privatis quibusdam leve incommodum, aut damnum non creat. Unde iniquitas sibi mentitur, dum tenui ratione fulta identidem suis adclamat: *Leges humanæ cum tanto rigore non obligant: Ecclesia pia mater, non noverca est &c.* Ita sane! Ecclesia noverca non est; adhuc tamen vera legislatrix est. (*a*)

CAPUT

(*a*) Epjikia idem ac æquitas, seu æqua acceptio sonat. *Est autem æquitas justitia pensatis omnibus circumstantiis particularibus dulcore misericordiæ temperata*, ait S. Antoninus 4. *Part. tit.* 5. *c.* 19. Pulchrum ac utilem regularum quæ hanc æquitatem dirigunt, catalogum ex jure canonico, jure civili, & libris Ciceronianis Paulus Comitolus compilavit, quem P. Concina in sua Theologia christiana *Tom.* 6. *Lib.* 1. *Diss.* 6. *cap.* 4. tribus in paragraphis refert. Similem D. Amort. Theol. mor. *Tom.* 1. *Tract.* 2. §. 8. exhibet. Vide si lubet.

CAPUT II.

Dispensatio a quibus, & quam ob causam sit facienda?

Dispensatio juris seu legis relaxatio est ex justa causa facta ab eo, qui legitimam potestatem habet. Latius accepta cum interpretatione & Epjikia coincidit; eamque divus Thomas nonnumquam ita exponit; strictius tamen sumpta, prout in data definitione sumitur, actus jurisdictionis est, qui solis Superioribus competit, sicque altiorem quam Epjikia doctrinalis originem petit. Magis adhuc ab irritatione, abrogatione, & derogatione differt; quia per istas lex quoad se totam vel partem tollitur, omnesque liberi ab abligatione fiunt: cum econtra dispensatio legem intactam relinquat, cæterorumque manente obligatione unum vel alterum dumtaxat solutum ab onere efficiat; quod quia jam expressis verbis, jam signis aut factis, jam quoad totalem jam quoad partialem legis materiam contingit, *expressa* vel *tacita*, *totalis*, vel *partialis* dispensatio esse potest.

Præcipua in lege humana dispensandi potestas (legem enim divinam nullus hominum naturalem proprie relaxare nec Deus ipse potest) in superiore residet non tamen ita, ut sive ab homine, sive a canone aliis delegari non possit. Facultas dispensandi, quam Jura cuidam officio in perpetuum adnexuere, *ordinaria* æquivalet; ea econtra quam homo certæ cuidam personæ concessit, mere *delegata* est, ac libe-

libero concedentis arbitrio revocari potest, deficitque cum vita delegantis, nisi forte jam inchoata dispensationis executio sit, aut in gratiam delegati specialem a Superiore facta fuerit delegatio; quia *concessum a Principe beneficium decet esse mansurum* (cap. *si cui. de præbendis* in 6.) Hinc Papa in universa Ecclesia leges universales, Episcopus suis in Diœcesi leges particulares relaxare valet. Imo ut in omnibus irregularitatibus occultis, exceptis iis, quæ ex homicidio voluntario contractæ, aut quæ ad forum contentiosum deductæ fuerunt, imposterum Episcopi dispensent, in Tridentino Concilio fuit sancitum. In aliis quoque, quæ minis frequenter occurrunt, quæque moram non ferunt, qualia sunt jejunia, festa, impedimenta occulta &c. vel ex consuetudine, vel tacito Papæ consensu Episcopi ultramontani dispensant, sicut jam olim dispensarunt, priusquam pontificiæ invaluerant reservationes.

Dispensatio a certa forma non pendet. *Expressa* verbis plerumque in charta descriptis expeditur; quæ, quia exemptionem a lege, juridice odiosam, continent, stricte interpretari, nec ultra extendi debent: dispensatio *tacita* facto, aut alio signo fieri solet, ex quo actualis dispensandi voluntas in Superiore cognosci clare possit. Non igitur sola Superioris taciturnitas sufficit. Sæpius, dum Præpositus tacet, majoris incommodi vitandi causa connivere, aut permittere; nullatenus vero dispensare intendit. Id clare experientia docet, Jurisque in corpore confirmatur, ubi dicitur: *Cum multa per patien-*

tiam tolerentur, quæ, ſi deducta fuerint in judi-cium, exigente juſtitia non debent tolerari (c. cum jam dudum. *de præbend.*) (*a*)

Ut diſpenſatio *licita* fiat, rationabili cauſa innixa ſit oportet. Rationabilis cauſa aderit, ſi pietas, utilitas, aut neceſſitas ad diſpenſandum moveat. Sic, ut cum debilibus, cum nimis fragilibus &c. quoad abſtinentiam a carnibus, quoad caſtitatis votum diſpenſetur, pietas ac caritas ſuadet: relaxationem reſidentiæ major Eccleſiæ ut-

(*a*) Ex diverſis, oppoſitisque oriri principiis hanc „ taciturnitas poteſt: ergo ex ea certus diſpen-„ ſationis concedendæ colligi conſenſus nequit. „ Hæc proficiſci taciturnitas poteſt. 1. Ex Prælati „ lati negligentia. 2. Ex nimia conniventia. „ 3. Ex puſillanimitate. 4. Ex ignorantia. 5. Ex „ malitia. 6. Ex ſtudio ſcandali vitandi, majo-„ risque mali declinandi. 7. Ex prævisione re-„ pugnantiæ ſubditi ad malum propenſi. Qui „ inficias iverit, ex his, aliisque principiis oriri „ hanc Prælati taciturnitatem poſſe? Inepte ex-„ go colligunt probabiliſtæ ex hac taciturnitate „ conſenſum conceſſæ diſpenſationis. P. Conci-na Tom. 6. *lib.* 1. *diſſ.* 6. c. 5. *num.* 10. Et poſt pauca adverſariorum fundamentum conte-tans ſubdit: „ Nullius apud me ponderis ſunt „ adverſæ ſententiæ rationes: quæ omnes hoc „ recidunt: nempe præſumendum eſſe, Prælatum, „ tum, dum videt, & non impedit, cum facile „ poſſit, velle diſpenſare, ne ipſe peccet non „ impediendo peccata. Ex iis, quæ diximus, „ vanam, arbitrariam, & commentitiam eſſe „ hanc præſumptionem conſtat; quoniam ex „ ſeptem & amplius capitibus oriri hæc taciturni-„ nitas poteſt.

lias: ætatis, vel interstitiorum dispensationem nonnumquam necessitas exigit. Hisque bonis quævis mala, quæ ex dispensatione in communitatem redundant, sat, superque compensantur. *Detrahendum est aliquid severitati* (inquit Sanctus Augustinus *Epist.* 1.), *ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Et Bernardus: *Non sum ita rudis, ut ignorem vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem.* Quare superior quemadmodum justam causam allegantibus legis relaxationem discrete concedere; ita nullum aut frivolum motivum producentibus dispensationem denegare debet. Secus si faciat, ceu infidelis dispensator gravem rationem domino reddet, pœnasque luet. Hæc quippe dispensandi facilitas legum vigorem enervat, deordinationem parit, bonoque communi non leve præjudicium infert. Quæ quam adversa legislatoris officio sint nemo non videt.

Utrum dispensatio absque sufficiente causa nædum illicita, sed & *invalida* sit; major difficultas est. Eam, quam *inferior*, seu delegatus absque causa concessit, nullam, ac irritam esse, omnes admittunt. Iste enim sub hac expressa, aut tacita conditione, ut causam præponderet, dispensandi facultatem a superiore accepit: unde si hanc non observat; quidquam sibi numquam concessum attentat, nihilque agit. Ast ubi de *superiore*, seu supremo legislatore, qui in sua vel prædecessoris lege sine causa dispensat, quæstio movetur; multi, probabilitatis præcipue

patroni, eamdem validam pronunciant, hoc fere unico fundamento nixi, quod legislator sicut absque causa legem tollere, suosque subditos a lege liberare; ita quoque manente lege unum vel alterum absque causa ab ejus obligatione eximere valide possit: eoquod tota legum obligatio suam a legislatoris voluntate & originem, & finem habeat.

Hæc tamen ratio tanta non est, ut omnem a nobis scrupulum pellat. Quod Princeps legem non condere, & abrogare absque justa causa possit, ultro fatemur; sed quod vigente adhuc lege, quemvis eximere pro arbitrio valeat, sicque exemptus contra legem agendi jus acquirat, asserere non audemus. Quamdiu lex manet, ipse quoque legislator eadem stringitur, utque uniformitas servetur, naturalis lex præcipit: unde sicut lex positiva legi naturali adversa numquam obligat, ita exemptio a lege, naturæ legi contraria, pro foro interno numquam deobligat. Hanc ob rationem sanctus Thomas hujusmodi dispensatorem *infidelem* vocat, & sanctus Bernardus in eumdem veluti *crudelem* invehitur, quod nempe subditos, qui scientes tali dispensatione utuntur, in peccati laqueos ipsemet conjiciat, ac misere jugulet; quæ crudelitas est maxima (*a*).

Dum

(*a*) Eandem sententiam D. Amort. tenet, Concilii Trid., quod similes dispensationes ceu subreptitias declarat, auctoritate nixus (Theol. mor. *Tom.* 1. *Tr.* 2. §. 14. *q.* 12.). P. Billuart cum pluri-

Dum causa ab illo, qui dispensari petit, falsa allegatur, vel quid veri, quod dispensationem retardaret &c., subdole reticetur, irrita, ac invalida dispensatio evadit; quia dispensanti pro talibus circumstantiis est involuntaria, & quia recta ratio postulat, *ut mendax precator, penitus careat impetratis* (cap. *super litteris. de Rescriptis.*). Hinc est, quod in singulis fere dispensationum formulis ista clausula inveniatur: *Si preces veritate nitantur* (a). Quodsi ob-

vel

---

pluribus contrariam tuetur, contrariasque rationes fere omnes haud inepte solvit (Tract. *de legib. dissert.* 5. *art.* 3. §. 2.). Via media P. Antoine incedit, docetque, dispensationem, absque justa causa datam, validam esse, ipsumque dispensatum contra legem humanam, quæ valide relaxata est, non delinquere; in legem tamen naturalem inpingere, quæ propter bonum commune uniformitatem præcipit, & ne quis sine justa causa a communi onere se subtrahat, stricte vetat. Unde ipsius opinione inter talem dispensatum, & non dispensatum hoc intercedit discrimen, quod sic dispensatus tantum vi legis naturalis, non positivæ (utpote relaxatæ) obligetur, nec contrahat pœnas, aut censuras lege positiva in transgressores latas; cum econtra non dispensatus nædum legis naturalis, sed etiam humanæ legis vigore ad servandam conformitatem obligetur, pœnisque subjaceat in jure statutis (Theol. moral. *Tr. de legib. cap.* 6. *Q.* 4.). Jam verisimiliora ipsiusmet eligas.

(a) Duplex præprimis Tribunal ad expediendas dispensationes Romæ est erectum. Unum Pœnitentiaria, alterum Dataria vocari consuevit.

vel ſubreptio ex ignorantia contigerit, diſpenſationis executor, juxta quod ipſum legislatorem deſuper informatum præſumit acturum, procedere poterit. Denique cum diſpenſatio non le-

---

Sacra *Pœnitentiaria* diſpenſationes concedit ſolum pro foro interno circa impedimenta matrimonii *occulta* impedientia, & dirimentia tam ad matrimonium contrahendum, quam in ſemel contracto manendum, excepto impedimento *conſanguinitatis*, ſuper quo numquam diſpenſat Pœnitentiaria ad matrimonium contrahendum, ſed ſolummodo ad manendum in contracto, & quidem in quarto vel tertio gradu, non ſecundo vel primo. Item diſpenſat ſuper irregularitatibus ex homicidio, ex defectu natalium &c. provenientibus. Concedit etiam novas proviſiones beneficiorum ſimoniace obtentorum. Litteræ ſupplicatoriæ ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium ſunt dirigendæ cum hac inſcriptione: *Em. ac Reverendiſſ. D. D. S. R. E. Cardinali, majori Pœnitentiario.* In ſupplicatione non exprimuntur nomina Oratorum ſed N. vel *Titius*, aut *Titia*. Reſcriptum omnino gratis expeditur, & ad quemdam tertium mittitur, qui ſecreto ſacro in confeſſionali diſpenſationem exequi debet, ac diſpenſationis chartam quamprimum flammis tradere abſumendam. *Dataria* diſpenſat pro foro externo in impedimentis *manifeſtis*, aliisque ad forum contentioſum jam deductis; item in gradu conſanguinitatis ſecundo & tertio, aut etiam primo mixto cum ſecundo, tertio, vel quarto. Litteræ ſupplicatoriæ ad ipſum ſummum Pontificem diriguntur cum inſcriptione: *Sanctiſſimo Domino Domino Clementi Papæ XIV. Romam.* Oratorum ſeu ſupplicantium intus exprimuntur nomina, cognomina, Diœceſis &c. Diſpenſationis

Breve

gis abolitio, ſed ejusdem dumtaxat relaxatio ſit, rationabilem ob cauſam facta; quam primum cauſa deficit, etiam diſpenſatio deſinit, & ille, cui fuit conceſſa, cum aliis denuo ad communem legis obſervantiam obligatur; hoc quippe ſanæ rationi convenit, ac clare ex iis, quæ hucusque diximus, ſequi videtur.

CAPUT III.

Legis abrogatio, derogatio, & ceſſatio exponuntur.

Sicut res humanæ omnes, ita & leges ab hominibus conditæ mutationi ſunt obnoxiæ, cum econtra lex naturalis firma ſemper ac immobilis ſtet. Diſparitatis rationem Doctor Angelicus adfert, dum ad primum argumentum reſpondet: *Lex naturalis eſt participatio quædam legis æternæ; & ideo immobilis perſeverat; quod habet ex immobilitate & perfectione divinæ ratio-*

Breve a Cardinale Datario ad Vicarium generalem, vel officialem dirigitur, ubi & taxa pecuniaria, a diſpenſatis ſolvenda, ſæpe non modica exigitur, niſi in forma pauperum petita, & obtenta diſpenſatio fuerit. Porro triplici forma peti, & concedi Romæ diſpenſatio ſolet; nimirum in forma *nobilium*, *honeſtorum*, & *pauperum*. Pauperes ſtylo romano illi reputantur, qui in bonis ſuis quinquaginta aureos non habent, vel qui de labore, aut commercio quotidiano vivunt, propterea etiam *miſerabiles* dicti. Varias ſupplicationum formulas Auctores exhibent, præprimis P. Amort. Theol. mor. *Tom.* 1. *Tr.* 2. §. 14. *num.* 27. Vide.

rationis instituentis naturam. Sed ratio humana mutabilis est, & imperfecta: & ideo ejus lex mutabilis est & imperfecta. Et præterea lex naturalis continet quædam universalia præcepta, quæ semper manent; lex vero posita ab homine continet præcepta quædam particularia secundum diversos casus, qui emergunt (1. 2. 9. 97. art. 1. *ad* 1.). Triplici autem modo humanæ legi contingere mutatio potest. *Primo* per *Abrogationem* cum tota simul lex vel Principis edicto, vel contraria consuetudine abolitur. 2*do.* per *Derogationem* cum una dumtaxat vel altera legis pars per legem subsequentem expresse revocatur, aut incompossibilis redditur. 3*tio.* per *simplicem cessationem*, cum nempe ex aliqua superveniente circumstantia lex se ipsa deficit.

Lex humana in tantum recte mutatur juxta sanctum Thomam (1. 2. *quæst.* 97. *art.* 2. in *corp.*), in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Unde pro arbitrio legem *abrogare* Principi non licet. Quodsi legem absque gravi motivo abroget, valida ejusmodi abrogatio erit, ac subditi liberi a lege evadent, de mala tamen œconomia rationem Princeps aliquando illi reddet, qui *Rex Regum, & Dominus Dominantium* suo in femore scriptum habet. Id totum de legislatore ipso vel ejus successore intellige; inferior enim aut nihil, aut tantum præcise, quantum superior indulserit, in legem potest.

Quæ modo de abrogatione diximus, etiam de legum derogatione sunt accipienda. Ut autem

autem legi anteriori, præcipue favorabili, aut privilegio per poſteriorem derogetur, generica revocatio *Non obſtantibus quibuscumque &c.* non ſufficit, ſed ſpecialis & expreſſa legis reſtringendæ, vel tollendæ mentio eſt facienda. Unde (cap. *licet. de Conſtitut. in* 6.) Bonifacius VIII. dicit: *Romanus Pontifex - - quia locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta (cum ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare; ipſis (dum tamen ſint rationabilia) per conſtitutionem a ſe noviter editam, niſi expreſſe caveatur in ipſa, non intelligitur in aliquo derogare.* Et juxta regulam juris (34. *in* 6.) *Generi per ſpeciem derogatur*, etiamſi genus ſeu lex generalis poſt ſpecialem emanet.

Triplici quoque modo ſimplex legum *ceſſatio* contingit. 1. Cum tempus, legis obſervantiæ a legislatore præfixum, ſuum terminum attigit. 2. Cum ex novis circumſtantiis finis legis totalis adeo deſiit, ut communitati non modo non utilis, ſed omnino nociva deprehenſa legis obſervantia fuerit. 3. Cum finis, & adæquata legis ratio reſpectu totius communitatis ceſſat; lex enim rationabilis eſſe debet, & gravi cuidam cauſæ innixa; unde quamprimum illa cauſa corruit, ipſam quoque legem ruere neceſſum eſt. Quodſi legis finis & ratio reſpectu unius dumtaxat, aut alterius privati deſinat, priſtino in vigore lex manet, illosque unacum reliquis obligat; quia lex, ſicut propter bonum privatum lata non eſt, ita nec propter privatum ac leve

ſæpe

sæpe incommodum cessat. Opinio adversa quam quidam pauci tuentur, laxitati januam aperit, ac artificiose legibus illudendi modum tradit (*a*). Porro utrum *totalis* legum finis desierit, uti jam semel monuimus, non a plebeis, sed prudentibus, ac timoratis viris secus discitur.

CAPUT IV.

Consuetudinis legitimæ origo & effectus declarantur.

Dum pleraque alicuius communitatis membra libere ac frequenter eadem agunt, consuetudinem, quæ *facti* dicitur, introducunt. Ex hac diutius continuata alia nascitur, quam consuetudinem *juris* vocant, ac definiunt, quod sit *Jus moribus hominum institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* (Isidor. *lib.* 5. *Etymol. c.* 3.). Non autem quælibet facti consuetudo illam juris progignit, alias furta, adul-

(*a*) Hac quippe admissa opinione omnes fere humanæ leges in nihilum redirent „ Quisque pro „ suo affectus commodo & ingenio contenderet „ legis finem locum non habere. Quin hac ipsa „ gula leges ipsas naturales quisque metiri au„ deret. Divites omnes contenderent: finem „ vetitæ fornicationis eorum respectu non con„ sistere, cum habeant, unde & mulieri & fi„ turæ proli providere abunde possint. Liber„ rum hæreticorum lectionem, accessum ad „ monasterium, armorum delationem, pompa„ rum usum, & plurima alia quisque sibi licere „ fore judicaret „ P. Concina *Tom. 6. lib. 1. Diss. 6. cap. 1. num. 12.*

teria, fraudes, & id genus alia jam impune, ac pleno ex jure fierent. Unde certis quibusdam conditionibus vestita sit oportet. Conditiones legitimæ consuetudinis quas cum sancti Patres; tum Legistæ recensent, sunt 1. ut sit rationabilis, 2 libera, 3. animo se obligandi a populo propagata, 4. debito tempore continuata, 5. Principis consensu firmata.

Rationabilis consuetudo erit, quæ communi bono utilis, nec tamen alicui sive naturali sive divinæ legi adversatur. *In his rebus* (inquit sanctus Augustinus *Epist.* 86.), *de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.* Id clarius sanctus Thomas exponens ait: *Lex naturalis & divina procedit a voluntate divina, ut dictum est, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis; sed solum per auctoritatem divinam mutari posset: & inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam, vel legem naturalem. Dicit enim Isidorus* (in Synonymis): *Usus auctoritati cedat, pravum usum lex & ratio vincat* (1. 2. 97. *art.* 3. *ad* 1.). Mos itaque, qui legi divinæ &c. præjudicium adfert, non inter legales consuetudines sed inter abominabiles collocari corruptelas debet.

Libertas actuum altera consuetudinis introducendæ conditio est. Unde quæ libertati, etiam consuetudini obsunt. Actus, quos populus ex gravi metu frequentat, vix umquam legalem consuetudinem fundant. Illi vero, qui ex ignorantia profecti, aut

per

per violentiam extorti, legitimæ consuetudinis fundamenta esse numquam possunt. Populus proinde aut saltem major ejusdem pars id, quod agit, cognoscere, sicque agendi obligationem intendere debet. Quemadmodum enim legis obligatio a sola Principis voluntate, ita consuetudinis legamen etiam a populi intentione pendet; illa deficiente sicut lex, ita & consuetudo legalis deficit. Hac autem obligandi intentione introductam consuetudinem fuisse certis quibusdam ex signis colligitur. Quod omnes, etiam prudentes, studiose observant; quod plebei non minus quam Præsides urgent, eosque, qui istud negligunt, male notant; consuetudini obligatoriæ innixum crede, utque scandalum evites, te conformare cæteris stude (*a*).

In terris, quibus Princeps dominatur, quæcumque consuetudo vacillat, donec Principis consensu firmetur. Duplicem ejusmodi consensum Legistæ distinguunt. Primum *personalem* dicunt; cum nempe Princeps consuetudinem advertens eam vel expresse vel tacite approbat, non obstante, quod eam supprimendi & occasionem

(*a*) Regula universalis ac certa, prout P. Concina observat, hac de re statui nequit. Actus enim quibus consuetudo invehitur, indifferentes cum sint, & liberi, nonnisi ex personarum, temporum, materiæ diversitate, aliisque circumstantiis definiri hæc obligatio potest. Genius quoque societatis spectandus est. Nam si societas communiter refugiat obligationem inducere sub culpa; regula hinc erui potest, pro consuetudine interpretanda, quod sub culpa non obliget.

nem & vires habeat. Alterum *legalem* vocant, eoquod jura, & leges, quæ in terra vigent, quasque ipse Princeps approbavit, consuetudinem rationabilem ac certo tempore observatam, approbent, legisque ad fastigium evehant; licet eam forsan Princeps immediate non approbet, aut omnino ignoret.

Ut consuetudo consensu Principis *legali*, ac titulo præscriptionis vim legis obtineat, aut legem præexistentem abroget, per tempus longum, decem videlicet annos continuari publice debet, & nullo contrario actu interrumpi. Ut vero Principis consensu *personali*, atque conniventiæ interventu legis vices suppleat, certus temporis tractus non requiritur; sed quamprimum de populi intentione, ac Principis consensu constat, illius currere obligatio, aut deobligatio incipit.

Facti proin consuetudo genuinis insignita characteribus effectum sortiri triplicem potest. Quandoque legem novam *fundat*, quandoque priorem legem *abrogat*, quandoque obscuram *interpretatur*. Ut consuetudo quamdam legem inducat omnibus conditionibus antea recensitis prædita sit oportet. Ut vero legem abrogat, aut interpretetur, una abesse potest. Non enim qui contra legem agunt, obligationem inducere, sed potius tollere intendunt. Et licet primi legis violatores peccent, temporis tamen progressu, quo eadem agendi ratio communis est facta, ac Principis consensu fulcita, finem prævarica-

tio accepit, hocque modo agendi jus subintro-
vit. Pro coronide Angelicum adhuc Doctorem
audire juvat, qui perpulchre in rem nostram
ita differit: *Possibile est quandoque præter legem*
agere in casu scilicet, in quo deficit lex; & tu-
men actus non erit malus. Et cum tales casus
multiplicantur propter aliquam mutationem hom-
num, tunc manifestatur per consuetudinem, quod
lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifesta-
retur, si lex contraria verbo promulgaretur. Si
autem adhuc manet ratio eadem, propter quam
lex prima utilis erat, non consuetudo legem, sed
lex consuetudinem vincit; nisi forte propter hoc
solum inutilis lex videatnr, quoniam non est pos-
sibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat
una de conditionibus legis. Difficile enim est con-
suetudinem multitudinis removere. (1. 2. qu. 97. a. 3. ad 3.). Verba sancti Doctoris ad-
perspicua sunt, ut eis quidquam superaddere
supervacaneum foret. Porro sicut lex contraria
consuetudine enervatur, ita vicissim consuetu-
nem nova sæpe contraria lege, aut consuetu-
dine abrogari ratio suadet, & experientia do-
cet (*a*).

(*a*) Privilegii explanatio hic omissa; quia forum
potius externum, quam internum concernit, a
obvios apud Canonistas invenitur. Est autem
Privilegium specialis facultas aliquid contra, ve
præter legem agendi, a Principe concessa cum
adnexa prohibitione, ne quis illius usum impe
diat. *Reale* officio, muneri, vel statui adhæren
eique

eique privata renunciatio non nocet: *personale* privatæ cuidam personæ est concessum, hujusque morte vel renunciatione perit. Illud, quod a communibus oneribus eximit, contra legem datum, & *odiosum* est, ac proin stricte interpretandum; quod vero simplicem ac novam quidquam agendi &c. potestatem alicui tribuit, *favorabile* est, amplæque interpretationis capax. Tam hoc, quam illud vel diuturno non usu, vel nimio abusu, vel expressa revocatione amittitur.

TRACTATUS V.

DE

SUMMARIO DILECTIONIS PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE

PRÆCEPTO DILIGENDI DEUM.

CAPUT I.

Deum diligere omnes obligantur.

Ante omnia dilectionem sui a nobis Deus requirit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* (*Deuteron. cap.* 6.). Unde legis doctori de magno legis mandato inquirenti Christus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum,* (*Matth.* 22.) *Maximum*; quia nempe omnium maxime necessarium, & *primum*; quia reliqua huic veluti fundamento innituntur. Hinc est, quod Tractatum hunc *de summario dilectionis præcepto* inscripserimus; summa enim, ac *plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* 13.). Priusquam igitur singulatim de-

calogi præcepta explicemus de præcepto hoc magno verba sunt facienda, sine quo cætera recte servari nequeunt.

Non dilectionis habitus, sed dilectionis actus nobis hoc præcepto imperatur prout S. Thomas (2. 2. 9. 44.) docet, qui non in fallacibus cogitationibus intellectus consistit, neque in solis teneris & suavibus cordis affectibus. Dei Dilectio proprie est actus voluntatis, sive in hac sistat, sive operibus se prodat. Pondus est voluntatis, quo Deum antefert omnibus, & super omnia diligit, creaturasque propter eum amat, & omnia ad illum refert. Cum dico Deum a voluntate omnibus præferri, id juxta omnem latitudinem suam dico; nec solum quoad ea, quæ mala sunt, Deo contraria, & nostram cum eo amicitiam valent destruere. Si enim secus loquerer, viderer docere neminem teneri Deum supra creaturas diligere; nulla siquidem creatura est de se mala, nec Dei amicitiæ adversa. Hinc solum mortali peccato Deus esset anteferendus; hoc enim solum Dei amicitiam destruit. Præstat sane sanctum Augustinum audire; qui sic eximie loquitur (*lib.* 1. *de doct. Christi, c.* 20.): *Hæc regula divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut teipsum; Deum vero ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas; & totam vitam, & omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit,*

quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit: sed quidquid aliud diligendum ve nerit in mentem, illuc rapiatur, quo totius di lectionis impetus currit. Quisquis ergo rati proximum diligit, tamquam seipsum, totam di lectionem sui & ipsius refert ad illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patia tur, cujus derivatione minuatur. Idem dicit divus Thomas, sed more scholastico, ut assue let (*a*).

Dei

(*a*) Duplici modo Deum magis quam creaturas di ligere homo potest. 1. *Appretiative*, ita, ut affectuose Deum plus quam creaturas omnes æsti met, paratus quodvis bonum creatum amittere, quam Dei amorem exuere. 2. *Intensive* ita ut actus, quo Deum amat, cujuscumque creaturæ amorem sua energia, vehementia, ac efficacia exsuperet. Hunc ultimum, ut caritatis præcepto satisfiat, necessarium esse Lovanienses con tendunt. Doctores alii amore Dei appretiative summo contenti sunt. Hæcque sententia com munior, scrupulisque pene infinitis abigendis aptior est. Priori enim qui sententiæ subscribunt, sitne in ipsis Dei amor, proximi aut creaturæ &c. amore intensior continuo pertimescere deberent, eoquod præsentes & sensibiles res fortius men tem afficiant, ac appetitum irritent, utut cæte roquin major Dei æstimatio ibidem suam sedem retineat. Sic mater filioli mortem lacrymis de plorans intensius hic & nunc infantulum quam Deum amat; ast, num Deo potius, quam filio carere vellet, interrogata utique Dei magis quam pueri jacturam appretiaret. Id quod sufficit; licet decentissimum sit, ut quamtum fieri potest etiam intensive super omnia Deus diligatur.

Dei cultus, qui in Evangelio proponitur, non est nisi amor. *Pietas* (inquit idem sanctus Augustinus *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 3.) *cultus est Dei, nec colitur ille nisi amando. Hoc colitur quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.* Ab hac dilectione vera Religio nomen accepit. *Hunc religentes* (inquit idem sanctus Doctor) *unde religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, a quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & diliges proximum tuum tamqnam teipsum. Ut enim homo se diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret.*

In hoc Evangelii lex ab antiquo distat, quod antiqua timoris & servitutis lex erat; Evangelium autem est libertatis & amoris lex, in qua ideo servantur præcepta, quia amamus: *Si quis diligit me* (inquit Dei filius *Joan.* 14.), *sermonem meum servabit.* Observa non sic Dominum dicere: *Si quis sermonem meum servat, me diligit*; sed: *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Hinc erronea damnatur aperte opinio recentis illius Auctoris, qui asserere ausus est, in sola mandatorum executione Dei amorem consistere, & absque ullo Dei amore servari

illa posse; Deumque a nobis non amorem, sed obedientiam postulare. Idem plerique alii docent; ex quibus hanc quidam rationem affert oportere hominem anxium semper fore & anceps, utrum Deum plus diligat, quam creaturas quaslibet: deinde addit, hoc pacto diligendi Dei præceptum reddi moraliter impossibile, hominemque perpetuo & omnino incertum an illud impleverit. Quicumque sic loquitur, destruit præceptum Deum diligendi; impossibile hominibus præceptum dedisse Deum accusat; vel hoc a Deo nullatenus esse præceptum: cum nos fides doceat Deum impossibilia non jubere. Evangelii fundamentum sic destruitur, Judæique similes Christiani fiunt; illi siquidem non amore, sed veluti servi ex timore præceptis obediunt: Fideles vero adoptionis spiritum acceperunt, quemadmodum ait sanctus Paulus: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater* (*Rom.* 2.). Hic clamor, qui a Spiritu sancto proficiscitur, & spes, quam in Deo veluti Patre collocamus, qua paternæ ejus providentiæ nitimur, illiusque semper voluntatem amamus. Filiosne imitamur, qui patrem diligunt, si Dei mandata faciamus, quin ullo amoris sensu in eum feramur?

Caritas Dei (inquit idem Apostolus *Rom.* 6.) *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Otiosa non est caritas, imo nil operosius: *Omnia vestra* (ait sanctus Paulus 1. *Cor.* 16.) *in caritate fiant:* & alibi:

alibi: *Finis præcepti est caritas* (1. *Tim.* 1.). Quomodo ergo absque Dei amore ejus præcepta servare possumus? Anima, ut ita dicam, bonum opus carebit; seu verius, Dei præceptum non implebitur. *Si forinsecus* (inquit sanctus Augustinus *Quæst.* 54. *super Deuteron.*) *ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant; nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri.* Propterea de Judæis idem sanctus Doctor ait: *Propter mercedem terrenam, atque carnalem Dei mandata facere conabantur Judæi; neque faciebant, quia* non *ipsa, sed aliud diligebant* (*in Psalm.* 118.).

Deus igitur amandus est, ut lex impleatur. Quamobrem potestne sine horrore legi, quod prædictus novus Auctor scripsit, præcepto Deum ex toto corde diligendi non amorem ejus præcipi, sed odium vetari? Solius dæmonis, & reproborum est Deum odisse, ejusque diligendi præceptum durum & non ferendum existimare. „ Estne aliquid, inquit S. Franciscus Salesius, „ amore dulcius? Nonne hæc est naturalis „ hominis passio? Naturalem in ejus corde „ propensionem Deus indidit, non solum ut „ generatim, sed etiam singulariter bonum amaret, nempe præ cæteris divinam bonitatem, „ qua nil melius aut suavius. Interim corrupta est hominis conditio: sanitatem amisit, „ & originalem justitiam; cœcus est ejus intellectus, & perversa voluntas. Dei tamen super omnia amandi propensio in eo remansit, „ sicuti & naturalis scientia, qua super omnia

„ Dei bonitatem amandam cognoſcit. Nequ
„ fieri ullo modo poteſt, ut attente aliqui
„ Deum meditetur, quin ullum amoris ej
„ ſenſum experiatur, quem naturalis propen
„ clam in corde excitat, & quo in ſupremu
„ hoc objectum vix apprehenſum voluntas fer
„ tur, eoque delectatur.

Quamvis autem relicta ſit hæc propenſio adeo tenuis & infirma eſt propter concupiſcen tiam in ſtatu naturæ lapſæ, ut diſerte docet divus Thomas nullum modo naturalem erg Deum amorem in homine reperiri. *Homo* (in quit ille 1. 2. *qu.* 109. *art.* 2.) *in ſtatu naturæ integræ non indiguit divinæ gratiæ gratuito au xilio viribus naturalibus ſuperaddito ad Deum ſuper omnia naturaliter diligendum, quamquam Dei ad hoc moventis auxilio ei opus eſſet: at in ſtatu naturæ corruptæ indiget ad hoc gratia ipſum naturam interius ſanante.* De Dei, velut natu ræ & gloriæ auctoris, amore id eſt intelligen dum; docet ſiquidem ſanctus Doctor, hominem lapſum non poſſe naturaliter Deum amare, ſicut poterat Adam in ſtatu innocentiæ. Docet præ terea, non potuiſſe Adam ſolis naturæ viribus Deum veluti gloriæ auctorem diligere; unde colligitur amorem illum, quem in Adam inno cente ſupponit, & qui in homine peccatore non reperitur, non eſſe ſupernaturalem amorem quem Adam absque gratiæ auxilio habere non potuit, ſed naturalem amorem, quo Deum veluti generale univerſi bonum amabat, & ad illum referebat amorem, quo ſeipſum & creaturas reliquas proſequebatur.

Pra

Præterea idem sanctus Doctor aperte ait: *Cum per caritatem dirigatur homo in ultimum finem, ut ad ea disponatur, quibus ipsum assequitur, conveniens fuit de caritate aliqua dari præcepta* (2. 2. *qu.* 44. *ar.* 1.). Et alibi inquit: *Modus caritatis cadit sub illo divinæ legis præcepto, quod specialiter de dilectione Dei & proximi datur, non autem sub cæteris præceptis. Considerari enim potest actus caritatis secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum. Alio modo potest considerari actus caritatis secundum quod est modus actuum aliarum virtutum, hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, quæ est finis præcepti, ut dicitur* 1. Tim. 1. *Et hoc modo verum est, quod modus caritatis non cadit sub præcepto: hoc est quod in hoc præcepto, honora patrem, non includitur, quod honoretur pater ex caritate, sed solum quod honoretur: unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu caritatis, propter quam transgressionem meretur pœnam* (1. 2. *qu.* 100. *art.* 10.).

Subdit idem Doctor: *Sub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare,*

re, non ex vi hujus præcepti: Honora patrem, sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Parum igitur christiane loquitur Auctor, cujus sententiam attulimus, dum docet, ex caritatis præcepto nos non teneri Deum unice diligere, & nostra commodis ejus gloriam anteferre; posse vero perfectam caritatem ab eo possideri, qui præsentia semper sectatur, & qui sua præcipue quærit, quin propterea a potiori dilectionis suo objecto recedat; quemadmodum in beatis evenit, qui mala omnia respuentes, retributionem quærunt, quin a Deo recedant. Hæc doctrina Theologum non refert, qui sanctum Paulum sic aperte docentem audierit: *Caritas non quærit, quæ sua sunt* (1. *Cor.* 13.), caritatis veræ naturam & perfectionem destruit. Imo & ab ipsa ethnicorum philosophia reprobatur; perfecta siquidem amicitia amici commoda suis commodis præfert. Nonne ait sanctus Joannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo?* additque: *Qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo* (1. *Joan.* 2.). Quomodo potest id cum memorati Doctoris verbis convenire, qui licitum dicit sua imprimis quærere.

A veritatis via vehementer errat Casuista recentior, dum docet, Christianos sub gratiæ lege viventes non teneri supernaturali caritate Deum tam frequenter diligere, ut mortale peccatum, æternamque virent damnationem, cum ad hæc vitanda sufficiat attritio; sub veteri vero lege

lege debuisse homines supernaturali caritate frequentius Deum diligere, quam in nova lege debeant Christiani. Ante legem gratiæ, inquit ille, & antequam singulari misericordia Deus Sacramenta instituisset, quæ cum attritione eadem suscipientes justificant, ita ut horum Sacramentorum virtute supernaturalem caritatem accipiant, quemadmodum habentes contritionem absque Sacramentis eamdem accipiunt, tenebantur homines supernaturali caritate Deum frequentius diligere, quam in lege nova Christiani. Qui sic loquitur, duarum legum statum perturbat, dum veteri amorem, & novæ timorem assignat, quod cum earum natura omnino pugnat.

CAPUT II.

Dilectio Dei non minus affectiva quam effectiva Christianos obligat.

Fateor quidem amorem alium esse affectivum, alium vero effectivum; sed non eo sensu, quem præfert Auctor libri, cui titulus *Defensio veritatis*. *Affectivi* namque amoris nomine pii dulcesque affectus sunt intelligendi, quibus Sancti plerique viri ac mulieres flagrant; in effectivo autem amore, quo Dei mandata servantur, nefas est dicere nullum interioris amoris affectum reperiri, quamvis affectus hic non sit sensibilis, & in voluntate moretur, ac lateat, etiam cum homo operatur: secus non esset hæc actio Christiana, sed naturalis, ethnica, vel ad summum Judaica.

Mire

Mire hanc distinctionem, verbisque simp-
cibus explicat sanctus Franciscus Salesius. „ C
„ ritas, inquit ille, est sacra dilectio; val
„ pulchrior quam Rachel, quæ humano spi
„ tui copulata sanctas operationes parere semp
„ optat. Quod si propria virtute concipere il
„ nequit, sacra illique propria unione virtut
„ cæteras tamquam ancillas suas vocat, suoq
„ conjugio copulat, jubens spiritui ut illis u
„ rur ad sanctas gignendas actiones, quas il
„ adoptat, suasque appellat, quia suo juss
„ suo sunt spiritu genitæ. Sed duos præter
„ actus habet hæc divina dilectio, qui ex ip
„ proprie exeunt ac promanant, quorum alt
„ est effectivus amor, qui veluti novus Jose
„ regiæ auctoritatis plenitudine urens, nostr
„ rum virium, potentiarum, passionum,
„ affectuum populum moderatur, Deique v
„ luntati subdit, ut super omnia Deus diligatu
„ illique vires, potentiæ, passiones, affectusq
„ omnes serviant, ac pareant, magnumq
„ illud cœleste præceptum impleant: Dilig
„ Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
„ tota anima tua, ex tota mente tua, & ex om
„ nibus viribus tuis. Alius vero actus est amo
„ affectivus, qui veluti parvus Benjamin sue
„ me est delicatus, tener, jucundus, & amabi
„ lis; sed ideo hic Benjamino præstat, qu
„ mater ejus caritas pariens non moritur, se
„ novam veluti vitam vivit propter amoris p
„ cunditatem.

Fol

Post magni hujus Episcopi, nuper in Sanctorum album ab Ecclesia relati, auctoritatem, vehementer miror horribilem hanc propositionem a nonnullis defendi, videlicet Dei diligendi præcepto nos satisfacere, si servemus Decalogum; cæterum nos solum moneri, nobisque duntaxat consilium dari, ut frequenter pro viribus amoris actus eliciamus. Si vera esset hæc doctrina, damnandus esset Apostolus inquiens: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema* (1. *Cor.* 16.). Cum in Evangelio Legisperitus Dei filium sic interrogasset: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* (*Luc.* 10.), utique id petiit, quod ad vitam æternam obtinendam omnino est necessarium. Cumque illi dixisset Dei filius: *In lege quid scriptum est?* respondit Legisperitus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.* Tunc ait illi Christus: *Recte respondisti: hoc fac, & vives.* Hinc eruitur, interiorem Dei dilectionem, de qua profecto hic textus loquitur, ad vitam æternam assequendam esse necessariam.

Cum Baptismum suscepturus offertur infans, ita Sacerdos illum admonet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum sicut teipsum.* Patet ex hisce verbis, ab Ecclesia inter præcepta recenseri illud diligendi Deum, ita

ita ut absque hoc amore cætera præcepta ſicu oportet ſervari nequeant. Hoc præcepto ad ſtringimur, cum Eccleſiæ adſcribimur, cum pe Baptismum renaſcimur, Deique filii efficimur Quomodo igitur Baptismi ſui promiſſa impleſſe ille cenſendus eſt, qui toto vitæ ſuæ tempore nullum amoris Dei actum protulerit? Quomodo absque hoc amore debitus Deo cultus exhiberi poteſt, vera nempe pietas & religio? vera ſiquidem pietas juxta ſanctum Auguſtinum eſt Dei dilectio. *Hoc colitur* (inquit ille *in Pſalm.* 77.), *quod diligitur; unde quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur, plus omnibus diligendus ut colatur.* Et alibi ait: *Deus noſtræ poteſtatis fons eſt, noſtrique appetitus finis. Hunc eligentes, ſeu potius religentes, amiſeramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde religio dicta perhibetur, ad Deum dilectione tendamus, ut perveniendo requieſcamus: ideo beati, quia illo fine contenti* (*lib.* 10. *de Civit. Dei c.* 13.). Libenter hunc textum propter miram ejus pulchritudinem affero.

Diſerte adeo Angelicus Doctor illuſoriam hanc relati Auctoris diſtinctionem refutat, ut ejusdem Summam ſolummodo aperire ſufficiat ad malam hanc doctrinam confutandam (2. 2. *qu.* 147. *a.* 4. *qu.* 44. *a.* 1. *qu.* 31. *a.* 4. *ad* 1. *qu.* 33. *a.* 2. *qu.* 32. *a.* 5.). Verum quoniam ejus librum confutare, quod alii jam præſtiterunt, mihi non eſt propoſitum, enucleatius examen non inſtituam: quæ autem hactenus dixi ſufficere arbitror, ut intelligant Chriſtiani præceptum

ceptum diligendi Deum præceptum esse ab aliis distinctum, quod non habitum solum, sed actum amoris præcipit, neque christiani esse sine ullo interioris amoris sensu præcepta servare.

Addam solummodo præceptum diligendi Deum ex toto corde & ex tota anima non posse in hac vita *perfecte* impleri; concupiscentia siquidem, quæ in nobis est, nostros omnes virtutis actus enervat, nostrique corporis infirmitas, ne Deo omnino vacemus, vetat, ideſt singulis vitæ nostræ momentis. Ait sanctus Augustinus Deum, jubendo ut illum toto corde totisque viribus amemus, veluti sagittarium egisse, qui docens adolescentes scopum ferire, illos procul a scopo valde collocat, ut omnes vires suas exerant, dum sagittam jaciunt. Ubi vero beatitudinem assecuti fuerimus, destructa jam penitus concupiscentia, nobisque intime Deo adhærentibus, toto illum corde, tota mente, totisque viribus perfecte amabimus.

CAPUT III.

Sæpius in vita dilectionis obligatio fideles stringit.

Non modo habitualem, sed actualem insuper Dei dilectionem Christianos nos obligare, dilectionisque præceptum a cæteris distinctum esse hucusque ostendimus. Cum autem præ-

ceptum hoc affirmativum sit, non pro omni sed aliquo vitæ tempore, certisque dumtaxat in circumstantiis hominem obligabit. Has circa temporis circumstantias Auctores diversi diversi mode sentiunt. Omnibus diebus festis dilectionis actum esse eliciendum Scotus docet. Hominem statim, ac rationis usum est adeptus, dilectionis actum teneri divus Thomas probat. Auctores alii paschale tempus, alii quinquennium, alii denique vagam temporis differentiam aut unicum mortis articulum assignant. Hæ tamen posteriores opiniones frigidæ nimis, ac falsæ sunt (*a*). Juxta hanc siquidem doctrinam posset homo quinque vel septem annos, totam imo vitam transigere, quin ullum amoris Dei actum eliciat; qui enim pro obligatione ista mortis tantum articulum designat, hominem tunc amo-

(*a*) Propositiones, quæ caritatis præceptum propemodum evacuant, præter alias summa Sedes sequentes damnavit: *Homo nullo unquam tempore suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Alexander VII. a. 1665. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum eliceret, condemnare non audemus.* Item: *Probabile est, ne singulis quidem rigoroso quinquenniis per se obligare præceptum caritatis.* Item: *Tunc solum obligat (præceptum caritatis) quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Innocentius XI. a. 1679. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum* (Deum) *interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Alexander VIII. a. 1690. Quibus doctrina tradita mire roboratur.

amoris Dei actum elicere debere docet, cum homo morbo pressus, aut nullo modo, aut remisse admodum hunc actum exercere potest. Sicque nulla, aut incerta dilectionis obligatio foret.

Ut igitur in re adeo implexa certiora statuamus 1. Deum non tantum semel in vita, sed sæpius per vitæ decursum diligendum esse asserimus. Id namque Deus ipse, postquam magnum dilectionis præceptum Moysi tradidit, his subjunctis innuit: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo. Et narrabis ea filius tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos* (*Deut.* 6.). Ad quid autem istius præcepti continua meditatio, versatio &c. si frequentior dilectionis obligatio per vitam, imo per annum hominem non stringit? Mundani amoris, ac concupiscentiæ motus supprimere, & ne hi habitualem omnino caritatem exsuffient invigilare homo tenetur. Concupiscentiæ autem suppressio, & caritatis conservatio per nihil aptius quam per repetitos dilectionis Dei actus obtinetur. *Habet* (inquit S. Augustinus in *Psalm.* 121.) *omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est, ut ducat. Sed vis nosse, qualis amor sit? Vide quo ducat: Non ergo monemus, ut nihil ametis; sed monemus, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, libere ametis.* Sæpius itaque

ne omnino cor frigere incipiat, divini amoris succendi ignis debet.

2. Prout probabilius divus Thomas (1. 2. Q. 89. *art.* 6.) existimat initio usus rationis, ubi homo de eligendo aliquo ultimo fine deliberare tenetur, & ad illum rite electum se, suaque omnia referre, quæ relatio per ipsum amoris actum perficitur.

3. In fine vitæ, aut gravi vitæ periculo; tunc enim animæ nostræ saluti, quantum possumus, consulere obligamur, Deoque juncti ex hoc mundo transire; quæ conjunctio salutifera per dilectionis actum vel primo efficitur, vel magis stabilitur. Ut ergo præter fidei, spei, & doloris actus adhuc caritatis affectum ægrotis suggerat, Confessario incumbit.

4. Cæterum quin peculiare hujusce actus eliciendi tempus assignetur, id rationabilius affirmandum esse videtur, amoris Dei actum sæpius pro viribus esse iterandum, & præcipue 1. Dum gravis tentatio urget. 2. Cum ingens a Deo beneficium petimus, vel jam accepimus. 3. Cum homo tenetur aut vult justificari extra sacramentum. 4. Quoties præceptum aliquod stringit, quod sine dilectionis actu aut ægre, aut non nisi imperfecte &c. impleri potest. Hæc proin Deum diligendi gravis obligatio per annum curſum pœnitentibus sæpius est exponenda, iis præprimis qui periculoso teporis morbo laborant, & quæ Dei sunt, parum curant, ipsaque Sacramenta semel, aut raro intra annum sci-

scipiunt. Horum enim corda Dei amore vacua esse, sat, superque eorum opera ostendunt (*a*).

SECTIO II.

DE PRÆCEPTO DILIGENDI PROXIMUM.

CAPUT I.

Proximum diligere tenemur sed ordinate.

Animadvertendum omnino est nil adeo in Evangelio commendari, quam proximi dilectionem. Ait Christus apud sanctum Joannem: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.*

(*a*) Ut tepidi, ac mali homines nonnullos divini amoris igniculos concipiant efficaci, ac brevi adhortatione commonefaciendi sunt. 1. Ut infinita fere cum corporalia tum spiritualia, quæ toto vitæ tempore a Deo acceperunt, beneficia considerent. 2. Ut larga, quæ diligentibus se Deus promisit, præmia perpendant. 3. Ut ex mira mundi fabrica, suique corporis structura infinitam Dei Sapientiam, Potentiam, Providentiam, Bonitatem &c. aliaque ejus attributa magis, ac magis cognoscere adlaborent. 4. Ut Bona intentione matutina se, suaque omnia ad Deum ceu ultimum finem referant &c. Homines vero

vicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*cap.* 13.). Magnam instructionem singula hujusce textus verba continent, sedulo que sunt consideranda. Primum, quod observo, est non dixisse Dominum: *Hoc est mandatum, quod do vobis, ut Deum tamquam Patrem vestrum diligatis, & me tamquam Redemptorem vestrum*; quod revera christianæ Religionis fundamentum est, sed: *ut diligatis invicem.* Deinde observo, mandatum hoc *novum* appellari. Sanctus Augustinus hanc affert rationem, quare novum dicatur, quia Christianus, inquit, proximi dilectione veterem hominem exuit, & novum induit. Ajunt Interpretes novum dici, quasi renovatum; cum enim Dominus proximi dilectionem in hominum cordibus pene deletam reperisset, illam instauravit: vel ideo novum vocari, quod sit excellens, nam hoc mandatum cæteris supereminet. Verum potiorem illam hujusce nov-

---

mediocriter pii ac devoti gradatim ad perfectiorem Dei amorem sunt ducendi. Amoris Dei super omnia tres gradus distingui solent. In *primo* Deus cuilibet creato bono anteponitur, ita, ut hoc potius privari homo velit, quam Deum *gravi peccato* offendere. In *secundo* Deus ita æstimatur, ut potius quovis bono temporali carere homo eligat, quam Deum suum plene deliberato *peccato veniali* offendere. In *tertio* ita Deus, ejusque beneplacitum attenditur, ut sive in prosperis, sive adversis homo nihil velit, nisi Deum, & propter Deum, ideoque semper eligat, quod est perfectius, omnesque *voluntarias imperfectiones* excludat.

novitatis explicationem existimo, quæ ex novo objecto & ratione proximum diligendi eruitur, quam Dei filius docet. Dominus enim in textus ejusdem serie ait: *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sic igitur diligendus est proximus, quomodo Christus nos dilexit. Docet nos fides, Christum nos dilexisse veluti corporis sui mystici membra, nosque propterea illi adhærere nova conjunctione, que ex Incarnatione oritur, in qua humana natura Divinitati copulatur, & per eam omnes homines, ita ut unum sint corpus, cujus caput est Christus. *Unum corpus* (ait sanctus Paulus *Ephes.* 2. & 4), *& unus spiritus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum ... legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Nos itaque debemus invicem diligere, veluti ejusdem corporis membra: *Omnes* (subdit Apostolus 1. *Cor.* 10.) *unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.*

Quemadmodum ergo Christus Jesus veluti corporis sui membra nos amans bona illa in nobis amat, quæ huc spectant, nec in fortunæ, vel corporis, vel naturæ bonis existunt; neque nos hæc eadem in proximo, veluti amoris nostri objectum aut finem debemus diligere: omnia siquidem hæc bona iis æque communia esse possunt, qui vera Christi non sunt membra, ac iis qui in ejus unitate vivunt. Proximi corpus diligi potest, sed veluti in Baptismate renova-

tum, & in vitam æternam olim resurrectu-rum. Potest & anima diligi, sed quæ Deo subdatur, & fidei radiis illustretur; nam spiritus, qui hac scientia caret, veteris hominis est spiritus, quem neque Deus neque Christus amat.

Nos Jesus Christus amavit, ut suam in nobis unitatem perficeret, ideſt ad æternam nos gloriam eveheret. Proximus igitur veluti ad hanc gloriam vocatus est diligendus, ad eamque sublevandus; proximum enim sicut nos ipsos debemus diligere, quemadmodum scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. neque nosmetipsos bene diligimus, si non propterea diligimus, ut summum bonum, ideſt Deum assequamur. Explicans sanctus Augustinus, quare nil Deus de amore, quo nos ipsos diligimus, disseruerit, nec nos hujusce amoris modum docuerit, eximie ait: *Parum dilucide, qui hoc arbitratur, intelligit* (*de morib. Eccl. cap.* 26.). Additque: *Imo vero ille solus se novit diligere, qui Deum diligit: siquidem ille sibi se diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero perfruatur bono. Non enim qui se diligit aliud vult esse, quam beatus; hic autem finis est adhærere Deo* (*de Civit. Dei cap.* 3.). Quamobrem non tribus opus est præceptis, videlicet de Dei amore, de amore sui ipsius, & de amore proximi; sed duo tantum præcepta sufficiunt, de quibus dicitur: *In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ* (*Matth.* 22.) (a). De

(a) Sicut dilectionem Dei, ita & caritatem proximi siniſtre quidam Moraliſtæ ſunt interpretati. Horum

De solo proximum diligendi præcepto sanctus Paulus meminit, & in hoc reliqua comprehendi asserit: *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Rom.* 13.)

Hinc discant parentes, quomodo filii sint amandi; domini, quomodo famulos amare oporteat; amici, quomodo amicos; non enim hi sunt amandi propter solas eorum naturales qualitates, nec ut iis temporalia bona conquiramus, sed ut instructione, punitione, & bono exemplo vitam illis æternam procuremus. *Si qui forte* (inquit sanctus Augustinus *tract. 7. in epist. Joan.*) *vultis servare caritatem, fratres, ante*

Horum laxitati limites Innocentius XI. posuit, dum anno 1679. istas propositiones proscripsit: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*, num. 10. Item: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*, num. 11. Propositiones alias hisce similes, aut omnino deteriores in locis propriis afferremus. Porro convenientius proximum *actu interno* diligendi tempus assignari nequit, quam 1. Cum præceptum dilectionis Dei urget: 2. Cum actum caritatis proximi externum, puta correctionem fraternam, eleemosynam &c. ponere tenemur. Caritatem enim *non fictam*, id est non mere externe jactatam, sed sinceram Apostolo teste Deus a nobis requirit. Quandonam ad actus caritatis externos obligemur, postea dicetur.

ante omnia ne putetis abjectam & desidiosam nec quadam mansuetudine, immo non mansuetudine, sed remissione & negligentia servari caritatem. Non sic servatur. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ita caritas, sed languor. Ferveat caritas ad corripiendum, ad emendandum; si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem. Hominem enim Deus fecit, non errorem; ipsum homo fecit. Ama illud quod Deus fecit: noli amare quod ipse homo fecit: cum illud amas, illud tollis; cum illud diligis, illud emendas. Sed etsi sævis aliquando, propter correctionis dilectionem, propterea de columba demonstrata est caritas quæ venit super Dominum: species illa columbæ in qua venit Spiritus sanctus, in quo nobis caritas infunderetur. Quare hoc? Fel columba non habet; tamen rostro & pennis pugnat, & sine amaritudine sævit.

Illud quoque circa dilectionem summopere est considerandum, quod Dominus ait: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* 13.). Quemadmodum Circumcisio proprius Judæorum character erat, quo a cæteris populis distinguebantur; sic Baptismus proprius Christianorum est character, quo ab Infidelibus separantur. Attamen Dei filius non Baptismo, sed mutuæ dilectio-

dilectione Christianos cognoscendos fore ait. Quare illam Tertullianus *summum fidei Sacramentum* vocat (*de Patient.*). Hæc dilectio Dei filios nos facit. *Omnis* (ait sanctus Joannes Epi. 1. *c.* 3. & 4.), *qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est. Qui non diligit, manet in morte.*

Si bene hæc verba intelligantur, facile quæstiones plures circa proximi dilectionem enodabimus, & recentiorum Casuistarum, qui multis caritatem modis infirmant, resolutiones nonnullas confutabimus.

Amplius (ait sanctus Augustinus *lib.* 1. *de doctr. Christ.*) *alius homo diligendus est, quam corpus nostrum: quia propter Deum omnia illa diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.* Docet autem divus Thomas (2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5.), *Quod illud est magis ex caritate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex caritate. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus.*

Addit

Addit præterea, *quod corpus noſtrum ... propinquius animæ noſtræ quam proximus, quan... tum ad conſtitutionem propriæ naturæ; ſed quan... tum ad participationem beatitudinis, major ... conſociatio animæ proximi ad animam noſtram ... quam etiam corporis proprii. Et ideo eſt de ne... ceſſitate caritatis, quod homo proprium corpus ... exponat pro ſalute proximi, in caſu quo tenetur ... ejus ſaluti providere.* Idem aperte docuit ipſe ... ctus Joannes inquiens: *In hoc cognovimus ca... ritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro no... bis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ... ponere* (1. *Joan.* 3.). Hinc in ſuis dioece... bus Epiſcopi, & in ſuis parochiis Parochi degere debent tempore peſtis, aut graſſante hæreſi quæ fidei everſionem minatur. Tunc enim bo... nus Paſtor a mercenario ſecernitur; ſiquidem *bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis ... Mercenarius autem fugit, qui mercenarius eſt ... & non pertinet ad eum de ovibus* (*Joan.* 10.).

Hominum aliquem plus alio debemus ... gere, ideſt juvare illique opitulari debemus; ſed caritate, qua æternam proximo optamus beatitudinem, omnes æque ſunt diligendi. *Vi... le debemus*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ut omnes diligant nobiscum Deum; & totum quo quo... eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum ... illum finem referendum eſt. Omnes autem homines æque diligendi ſunt. Sed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro temporum & locorum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quo...*

quadam sorte junguntur. Juxta hoc principium (ait divus Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 8. 9. 10. 11.) *Conjunctio naturalis originis est prior & immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam, aliæ autem conjunctiones sunt supervenientes, & removeri possunt; & ideo amicitia consanguineorum est stabilior.* Pergit idem sanctus Doctor in sequenti articulo sic: *Gradus dilectionis ex duobus pensari potest. Uno modo ex parte objecti, & secundum quod habet majorem rationem boni. Et sic pater magis est diligendus quam filius, quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis, & sic magis diligitur quod est conjunctius. Et secundum hoc filius est magis diligendus quam pater, quia parentes diligunt filios ut aliquid sui existentes, pater autem non est aliquid filii; & ideo dilectio secundum quam pater diligit filium similior est dilectioni, qua quis diligit seipsum.*

Addit idem sanctus Doctor articulo decimo: *Per se loquendo pater est magis amandus, quam mater; amantur enim pater & mater ut principia quædam naturalis originis, pater autem habet excellentiorem rationem principii quam mater.* At caritatis ordine debet illos Christianus anteferre, qui Deo magis sunt conjuncti, quam quos sibi natura copulavit; hinc si mater virtute ac pietate excelleret, vitioso patre plus esset amanda.

Arti-

Articulo demum undecimo sic ait sanctus Doctor: *Dicitur ad Ephes. 5. vir debet diligere uxorem suam, sicut carnem suam, sed corpus suum minus debet homo diligere, quam proximum: inter proximos autem magis debemus parentes diligere: ergo magis debemus diligere parentes, quam uxorem: Quamquam vero uxor intensius diligatur, tanquam magis conjuncta, major tamen est ex caritate parentibus reverentia exhibenda. Porro ad id, quod Gen. 2. dicitur propter uxorem relinquet homo patrem & matrem: dicendum, quod non quantum ad omnia deseritur pater & mater propter uxorem; quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quam uxori: sed quantum ad unionem cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori.* Non omnes in hoc conveniunt Theologi: verum hæc est doctrina divi Thomæ.

CAPUT II.

Inimicorum dilectio obligatoria est, & præcipua Christiani hominis nota.

Magnum caritatis præceptum est inimicorum dilectio, quod Christianorum est proprium. Cum enim apud sanctum Matthæum Dominus excellentius aliquid Fidelibus vellet tradere, quam Judæis traditum fuerat, sic illos alloquitur: *Audistis quia dictum est. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Hæc erat lex servitutis. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui odi-*

runt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos (cap. 5.).

David homo juxta cor Dei Sauli bis ignovit, cum interficere posset; & de suis inimicis aperte sic loquitur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* (Psalm. 7.). Et alibi: *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam; & oratio mea in sinu meo convertetur. Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens, & contristatus sic humiliabar* (Psalm. 34.).

Sic ante Evangelium difficillimum præceptum eximie exercebat, nobisque illustre illius servandi tradebat exemplum. *Admonemur* (inquit sanctus Augustinus *in Psalm.* 34.) *in omni tribulatione nostra non cogitare quemadmodum respondeamus inimicis nostris, sed quemadmodum orando Deum propitiemus, & maxime ne tentatione vincamur; deinde ut etiam illi, qui nos persequuntur, ad sanitatem justitiæ convertantur.* Apud Ecclesiasticum legebant Judæi: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur* (cap. 28.). Sapiens vero in Proverbiis sic ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere* (cap. 25.). Quomodo ergo persuadere sibi poterant Judæi, a Deo sibi permissum inimicos odio habere?

Hæc

Hæc verba, quibus abutebantur: *Odio habebis inimicum tuum*, nullibi leguntur in sacris Litteris: hæc erat Phariſæorum additio, qui pravis ſuis interpretationibus legem Moysi corruperant. Cum enim in Levitico Deus dixiſſet: *Diliges amicum tuum* (*cap.* 23.), contrariorum lege ipſi inferebant, inimicum odio habendum. Sane Iſraelitis præceperat Deus, ut idololatras vicinas nationes perderent, & præpue ne Ammonitis quid boni facerent: *Ne quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ* (*Deut.* 6.) verum non de Iſraelitis hoc eſt intelligendum, neque de extraneis quoad formale internum odium. Contra ſic illis Deus præceperat: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo* (*Exod.* 23.). Quomodo ergo permiſerat Deus Iſraelitis, ut inimicos ſuos odiſſent, ſi horum etiam jumenta juvare illis præceperat?

Ex naturali jure inimicorum dilectio promanat, & in proximi dilectione fundatur, qui cum homo ſit, noſtræque naturæ ſit particeps, a nobis eſt diligendus. Id explicans divus Thomas ait: *Dilectio inimicorum tripliciter poteſt conſiderari. Uno quidem modo, ut inimici diligantur in quantum ſunt inimici: & hoc eſt perverſum caritati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius. Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, ſcilicet in univerſali: & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate caritatis, ut ſcilicet aliquis diligens Deum*

& proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate caritatis absolute, quia nec etiam movens motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc est impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret (2. 2. quæst. 25. art. 81.). Aperte siquidem ait Apostolus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi* (*Rom.* 22.).

Nec sufficit inimicos suos non odisse, generali insuper dilectione sunt amandi, & generalia omnia erga illos caritatis officia sunt præstanda, veluti æternam vitam iisdem cupere, pro eorum conversione orare, omniaque illis communia amicitiæ signa exhibere, videlicet salutationem reddere, illosque alloqui, & invisere, nisi pro illorum emendatione a nostro aspectu arceremus, sicut David Absalomo post fratris sui necem aspectum suum negavit. Particularia vero amicitiæ signa, quæ solis præstantur amicis, veluti familiarem conversationem, convictum, hisce similia inimicis tribuere caritas sub lethali peccato non jubet, nisi hæc negando gravis scandali tribueretur occasio. Qui ergo inimicis suis parcere se dicunt, illosque nec

ſalutare volunt, neque aſpicere, falluntur pro
fecto. Odium ſuum tegunt, quod clam in eo
rum cordibus ſemper vivit, communia ſiquidem
ſocietatis officia inimicis ſuis negant. Non ig
tur ſolummodo propter ſcandalum, quod hac
inimicis officia negando aliis tribuitur, Deus
læditur; verum etiam quia horum officiorum
omiſſio præcepto proximum diligendi oppo
tur, cujus obſervatio non ab hominum æſtima
tione, aut judicio pendet, qui bonum malum
dicunt, & malum bonum. Quamobrem iis ad
ſolutio eſt neganda, qui inimicos ſuos nec ſalu
tare volunt, nec aſpicere, niſi juſta adſit ratio
actiones hasce omittendi.

Ad perfectionem ſpectat ea inimicis præſtare, quæ paſſim erga amicos exercentur. Hoc nobis in Evangelio præceptum tradidit Dominus: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt* (*Matth.* 5.), ſicque ſuum de diligendis inimicis præceptum concluſit. Majoris ſane perfectionis eſt inimicum diligere, quam amicum. *Commendat* (inquit ſanctus Paulus *Rom.* 5.) *caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt: cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.* Itaque inimicorum dilectio erit excellentior, quoniam magis ad Dei dilectionem propinquat. Mire explicat ſanctus Auguſtinus, quidquid in hoc negotio poteſt contingere, inquiens: *Reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis, reddere bona pro bonis, reddere*

mala pro malis, non reddere mala pro bonis: horum duo prima bonorum sunt, & eorum duorum prius melius: postrema duo malorum, & eorum posterius deterius: duo media quodammodo mediocria, sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis. Hæc in Scripturis sacris oportet attendere (in Psalm. 108.). Apostolus Paulus Fideles sic monet: *Nulli malum pro malo reddentes (Rom. 12.),* idemque repetit Apostolus Petrus inquiens: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (1. Petr. 3.).*

Amicorum dilectio impura plerumque est & carnalis, & de ea sic Dominus loquitur: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt (Matth. 5.)?* Sanctus vero Augustinus inquit: *Homo hominem vincit humana felicitate; diabolum inimici dilectione.* In statu naturæ lapsæ, in quo nullam homo injuriam pati potest, ac vindictam semper optat, difficilior est inimicorum dilectio, sicque præmio quoque dignior.

Attamen contra hanc dilectionem non peccaret, qui inimico suo temporale aliquod malum cuperet, quod ad ejus correctionem & salutem prodesset. Sic enim non odio, sed amore prosequimur inimicum; sicut optare liceret, ut omnes improbi, qui civitatem turbant, aut scandalizant, propter publicam utilitatem e medio tollerentur. Verum hæc desideria valde sunt periculosa, & animus ab omni vindictæ desiderio purus esse debet, quod facile nimis regitur

salutis inimici, aut publici boni zelo. Cum dixisset sanctus Paulus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*, subdit: *Hoc enim faciens congeres carbones ignis super caput ejus* (*Rom.* 12.). Varie hunc textum explicant Interpretes: quidam putant id intellexisse Apostolum, nempe collatis inimico suo beneficiis, caritatis ignem in ejus corde excitari, & gratum animum; alii putant hisce ignis carbonibus significari, collatis inimico beneficiis Dei iram adversus illum accendi, nisi pœniteat. Sic explicant sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus; sed hæc explicatio non bene Apostoli fini convenire mihi videtur, videlicet ad proximi dilectionem commendandam: nam qui in hostem beneficia conferret, ejusdem a Deo sperans vindictam, christianum opus non ageret.

Prima igitur explicatio mihi magis arridet, quam tradit sanctus Hieronymus inquiens: *Carbones ignis congregabis super caput ejus, non in maledictionem & condemnationem, ut plerique existimant, sed in commotionem & pœnitentiam, ut superatus beneficiis, excoctus fervore caritatis inimicus esse desinat* (*lib.* 1. *Dial. contr. Pelag.*). Hæc est quoque sancti Augustini Sententia, qui ait: *Ut intelligas carbones ignis esse ureines pœnitentiæ gemitus, qua superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo miseria ejus subvenitur* (*lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 10.).

Davidis cor ab omni vindictæ cupiditate purum habere oporteret, & cum illo divinæ justi-

næ jura tueri, & sic clamare: *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter* (*Psalm.* 6.). *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos* (*Psalm.* 53.). Non enim David inimicorum suorum ruinam petebat, ut iram suam expleret, sed ut illi ad cor redirent, & converterentur, vel ut eorum supplicio Dei justitia exaltaretur. Alibi dicitur: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psalm.* 57.). Deo relinquenda est vindicta, sed non ut vicem nostram gerat, ut jura nostra sarciat, ut nos ulciscatur. Nostri sanguinis vindictam optare licet; sed Martyres imitari oportet, qui in Cœlo clamant: *Vindica sanguinem nostrum, qui effusus est* (*Apoc.* 6.). *Si enim* (inquit sanctus Augustinus *in Psalm.* 71.) *malum pro malo non est cuiquam reddendum, non solum factum malum pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto vel voto malo. Reddit autem votum malum, qui etiamsi non seipsum vindicat, tamen ut ejus inimicum Deus puniat, exspectat atque optat. Quapropter cum & homo justus & homo malus de inimicis suis velint a Deo vindicari, unde discernentur, nisi quia justus & magis cupit inimicum suum corripi, quam puniri, & cum in eum videt a Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia eum non odit, sed divina justitia, quia Deum diligit. Denique si hoc sæculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur si corrigitur, vel certe pro aliis ut eum timeant imitari, ipse quoque fit melior, non sup-*

plicio illius odia ſua paſcendo, ſed errata emendando; ac per hoc de benevolentia eſt, non de malitia, quod lætetur juſtus cum videt vindictam, & manus ſuas lavat, id eſt opera ſua mundiora facit in ſanguine, hoc eſt in exitio peccatoris, ſua mens inde non mali alieni gaudium, ſed divinæ admonitionis exemplum.

Denique peccatorum remiſſio cum venia inimicis tributa conjuncta eſt; ſic enim in Oratione dominica precamur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Utque omnem dubitandi locum Dei filius eripiat, ſubdit apud ſanctum Matthæum: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra* (cap. 6.) & apud ſanctum Marcum: *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra* (cap. 11.). Quamobrem ait ſanctus Cyprianus: *Adjunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus, ſcientes impetrari non poſſe quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus* (de Orat. Domin.). Illumque ſequens ſanctus Auguſtinus inquit: *Si in hac pactione mentimur, totius orationis nullus eſt fructus.*

Hinc ſuſtineri nullatenus poteſt Caſuiſtarum aliquot recentiorum ſententia, qui docent licitum eſſe mortem illi optare a quo grave aliquod malum

malum timemus, dummodo non ex odio id optemus, sed solum ut malum imminens caveamus; deque alicujus morte licitum esse gaudere propter bonum, quod nobis inde provenit (*a*). Illa siquidem ad proximi odium viam sternit, & a proximi dilectione longe abest, quæ nobis tam aperte in Evangelio præcipitur, & quæ christiani hominis proprius est character. Si enim propter temporale aliquod damnum inimici mortem optare liceat, nonne hominibus occasio datur, ut clam odia sua foveant, iramque suam desideriis hisce expleant? Si apparens quælibet ratio ad hoc sufficiat, nonne aliqua semper aderit? Nonne facile sibi quisque persuadeat, se non illum odisse, cujus mortem optat, vel quem obisse lætatur; sed lætari unice ob damnum a se remotum, vel ob acceptum emolumentum? Vehementer hoc a caritate distat, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quod aliis prosit.

SECTIO

(*a*) Horum opinionem ceu erroneam Innocentius XI. declaravit, cum hanc *num.* 13. propositionem damnavit: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Huic consonat alia numero 14. ab eodem zelosissimo Pontifice prohibita: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

SECTIO III.

DE FRATERNA CORRECTIONE TAMQUAM UNO DILECTIONIS ACTU.

CAPUT I.

Fraternam correctionem caritas jubet.

Bonæ educationis defectu, seductorum suasione, aut vitiosa consuetudine homo sæpe adeo stupidus ac cæcus redditur, ut honestum inter ac inhonestum distinguere amplius nequeat, & grave, quod animæ imminet, periculum jam non advertat. Cæci hujus periclitantis ut alii magis oculati misereantur, eumque a præcipitio retrahant caritas jubet. Fraterna id correctione efficitur, quæ competens monitio est, ex caritate facta, ut proximum a peccato seu spirituali ruina vel præservemus, vel revocemus. Correctio fraterna a *judiciali* & *paterna* multum differt; quia hæc ad bonum familiæ, illa ad bonum communitatis ordinatur; utraque cum quadam auctoritate, ac pœnæ comminatione, inflictione &c. peragitur, cum econtra correctio fraterna suavi, ac occulto modo a quolibet fieri queat, soliusque correcti spirituale emolumentum pro scopo habeat.

Non libera, sed obligatoria multoties fraterna correptio est. *Si peccaverit* (inquit Chri-

stus

stas *Matth.* 18.) *in te* (i. e. scandalose egerit coram te) *frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et divus Paulus ait: *Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (*Gal.* 6.). Et Ecclesiasticus: *Corripe proximum, . . ne forte iteret* (*cap.* 19.). Christi verba de solis peccatis in proximum commissis nonnulli intellexerunt; ast textus alii generice de quovis delicto per correctionem impediendo loquuntur; sicque semper sancti Patres intellexerunt, eosque, qui proximum corrigere neglexerunt, peccati, ac paris cum altero peccante malitiæ arguerunt. *Si neglexeris corripere* (ait sanctus Augustinus *Sermon.* 16. *de Verb. Dom.*) *pejor eo factus es, qui peccavit.*

Proximum sicut nosmet ipsos diligere obligamur, adeoque sicut a nobis, ita & ab illo omne, quod possumus, malum avertere; peccato autem pejus, ac damnosius nihil est; ne proin proximus peccet, quantum in nobis est, impedire debemus. Ut proximo in magna necessitate constituto subveniamus, caritas præcipit, qui autem ex ignorantia vincibili, aut alio malo habitu peccant, in magna animæ necessitate, ac spirituali periculo versantur: unde quo nobilior corpore spiritus est, eo gravior subveniendi obligatio erit. Aptior præ reliquis, & sæpe unicus subveniendi modus, occulta in correctione consistit: hæc igitur sæpe de præcepto est.

Ista proximum corrigendi obligatio omnes, præprimis autem Patresfamilias, Parochos, religiosarum communitatum Superiores, aliosque Prælatos concernit; ita ut si eam negligant, non solum caritatem, sed & justitiam lædant, omniumque peccatorum, quæ ex eorum conventia a subditis committuntur, reos se faciant, prout jam supra (*pag.* 292.) innuimus. Porro peccatum, fraterna correctione impediendum, non semper in se grave esse debet. Excessus quippe venialis in consuetudinem excrescens non raro magis quam unum vel alterum peccatum mortale ecclesiasticæ, vel regulari disciplinæ nocet, graviumque peccatorum ovula relinquit; unde & gravem correctionis fraternæ obligationem inducit. Quodsi peccatum veniale hisce sequelis careat, solique delinquenti noceat, ad huc illi, qui commode possunt, sub levi peccato ad correctionem tenentur; quia malum etiam leve ut a proximo non minus, ac a nobis removeamus, caritas præcipit.

Nonnumquam etiam subditus Superiorem seu Prælatum, qui alia via reduci non potest, fraterne corrigere tenetur. *Correctio fraterna* (ait sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 4. *in corp.*) *quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam caritatem debet habere. Sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine*

ne & reverentia corrigantur. Unde Apostolus dicit: Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem (1. *Tim.* 5.). Correctio hæc tum vel maxime locum habet, si Prælati delictum publicum scandalum, aut grave sive in spiritualibus, sive temporalibus damnum communitati creet.

CAPUT II.

Fraternæ Correctionis, Conditiones, & Modus.

Ut fraternæ Correctionis præceptum sub gravi obliget, 1. peccatum proximi *grave* esse debet, *& certum*, vel saltem periculum morale peccati gravis; alias proximus temere correptus in suspicionem correctorem insurget, suamque innocentiam dicteriis &c. tuebitur, sicque malum eventum correctio habebit (*a*). 2. Adesse debet *occasio* & periculum relapsus; quia alias inutilis correctio foret, cum unice propter spiritualem proximi necessitatem sit præcepta. 3. Probabilis emendationis *spes* affulgere debet; si enim proximum tua correptione non in melius, sed in deterius potius inclinandum prævideas, ut a corrigendo abstineas prudentia dictat. Unde & sapiens monet: *Noli arguere derisorem* (*Prov.*

(a) Inferior, vel æqualis, qui de peccato proximi dubitat, inquirere non tenetur, sed potius meliora de proximo præsumere. In majorem tamen certitudinem Pater, Dominus, Superior &c. indagere debent; quia hi non solum peccatum, sed & fundatam peccati suspicionem a suis filiis, subditis &c. amovere vi officii obligantur.

(*Prov.* 9.). Quodsi tamen proximi peccatum magnum scandalum, famæ alienæ, aut divini honoris detrimentum caufaret, prout in blasphemiis, hæreticis assertionibus &c. fieri solet, correptione refutare errorem debes, ut si non delinquenti, saltem aliis, qui adsunt, pusillis prosis (*a*). Tandem in *defectu* alterius magis apti facienda correctio est. Si enim alius, qui melius corrigere possit, & velit, delictum proximi sciat, solumque opportunum correctionis tempus exspectet, jam tua non necessaria correptio erit; adeoque absque piaculo omittenda.

Modus

(*a*) Si de fructu dubites, & simul certo scias correptionem tuam obfuturam non esse, teneris corrigere; quia sicut in morbo corporali, ita & in spirituali remedium, quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adsit; tum quia adest certa materia correctionis; tum quia fieri potest, ut obtineatur ejus finis. Si vero dubites non modo sitne profutura correptio; sed etiam num sit noxitura, eam omittere debes; quia cum correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi, ac ejus emendatio. Excipe, nisi alioqui moriturus esset in mortali; tunc etiam in dubio de peccato mortali ipse admonendus esset, ne proximus damnetur in æternum. Ita P. Antoine *Tr. de Virt. Theol. cap.* 5. Ubi & ex S. Augustino probat, fraternam correptionem nec propter tristitiam aliquam, aut aliam levem culpam proximi, nec propter leve incommodum corripientis omittendam esse.

Modus, quo fraterna correptio fiat, operosiore discussione non eget; clarissimis quippe verbis eumdem ipse Salvator tradidit, cum dixit: *Corripe eum inter te, & ipsum solum, . . Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos . . . Quodsi non audierit te, dic Ecclesiæ* (*Matth.*).

Primo igitur remotis arbitris, *occulta*, ac quantum fieri potest, mansueta correptio sit, oportet. Hæc enim suam originem a caritate habet; caritas autem benigna est, proximi confusionem refugit, famæ parcit, alienos nævos pallio tegit. Si tamen delictum manifestum sit, aliisque notum, aperta quandoque correctione eidem mederi licet; quia tunc assignata prius ratio cessat (*a*).

Secundo: Si frater semel aut iterum occulte correptus, nec tamen emendatus sit, coram uno aut altero de vitæ emendatione monendus erit. Sic enim nædum tua vivacior monitio efficietur, sed illorum insuper adhortatio in obfirmatam delinquentis mentem arietando, facilius ejusdem pertinaciam expugnabit. Felicior hæc operatio accidet, si hi, correctionis testes, fratri peccanti veteri amicitia sint juncti, multumque in illius animum possint.

Ter-

(a) Præ reliquis *parabolica*, & *indirecta* correctio prodest. Veluti alter Nathan morbido coram proximo delictum illius, quasi in alio notatum recense; in ejus turpitudinem &c. invehere; & citius forsan, quam David blande se contactum sentiet, in se reversus resipiscet.

Tertio: Si nec prior, nec posterior correctionis modus aberrantem reducere fratrem potuit, denunciandus hic est apud Superiorem ut fraternæ correptioni paterna, aut omnino judicialis succedat; & qui caritati lubens non cessit, pœnis adactus vel nolens potestati obtemperet. Maxima hic cautela opus, ne sub caritatis velo odium, aut mentis amarulentia se recondat, fratremque non tam ut emendet, quam ut confundat, ad Superiorem deferat.

Hic fratrem corripiendi modus licet Evangelio, ipsique naturali legi conformis sit, suas tamen nonnumquam exceptiones patitur, utque hinc inde statim denunciatio fiat, sana ratio suadet. 1. Si peccatum proximi publicum sit, & scandalum pariat, vel *si nondum in publicum devenerit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denunciandum est, ut scandalo futuro occuratur* (Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2.). 2. Si peccatum occultum quidem sit, sed toti communitati, provinciæ vel regno nocivum. *Quædam peccata* (ait sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7.) *occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale; puta si aliquis occulte tractet quomodo civitas tradatur hostibus; vel si hæreticus privatim homines a fide avertat: & quia ille, qui sic occulte peccat non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem possit hujusmodi mala impedire.*

pedire. 3. Denunciationem etiam tunc, cum correctio fraterna inutilis prævidetur, fieri posse multi tenent; neque Doctor Angelicus dissentit, dummodo hæc denunciatio coram Prælato qua patre, & singulari persona, non vero qua judice fiat (2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *ad* 4.).

Cum corripientis peccatum correctioni delinquentis non parvum impedimentum opponat, quicumque alium sive paterne sive fraterne corripere gestit, ante omnia se ipsum emendet, est necessum. *Non* enim (inquit Isidorus *lib. de sum. bono.*) *debet vitia aliorum corrigere, qui est vitiis subjectus.* Et Augustinus: *Accusare vitia officium est bonorum virorum, & benevolorum: quod cum mali faciunt alienas partes agunt* (*lib. de Sermon. Dom. in mont.*). *Cogitemus* (subdit ille) *cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus nos homines esse, & habere potuisse; vel tale quod aliquando habuimus, & jam non habemus: & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum invitemus.* Pro instructione nostra illustrius adduci posset nihil.

SECTIO

SECTIO IV.

DE ELEEMOSYNA.

CAPUT I.

Eleemosynæ notio & necessitas.

Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Compassionis affectus ex eo provenit, quod aliquis defectum alterius propter unionem amoris velut suum reputet, prout sanctus Thomas (2. 2. *quæst.* 30. *art.* 2.) advertit, qui proin (*quæst.* 32. *art.* 1.) eleemosynæ actum immediate a misericordia, mediate vero a caritate procedere pulchra deductione probat, eosque, qui absque hoc misericordiæ & caritatis motivo eleemosynas largiuntur, actum quidem virtutis, sed non virtuose ponere clare ostendit.

Eleemosynarum largitio res non meri consilii est, sed in publica, ac gravi pauperum necessitate stricte præcipitur; *gravi*, inquam, necessitate, nec solum extrema; eleemosynæ siquidem præceptum destruit, qui illud cum recentioribus nonnullis Casuistis ad extremam necessitatem, quæ perrara est, coarctat.

Non sic sacræ litteræ loquuntur. Phrasi valde ponderanda Ecclesiasticus utitur, dum air: *Eleemo-*

Eleemosynam pauperis ne defraudes (cap. 4.). Aliquem defraudare est alteri, quod suum est, auferre; pauperis igitur illud est, quod ei in eleemosynam tribuitur. Negabit nemo illum peccare, qui fratri suo fideli id neget, quod suum est. Ubi Vulgata *eleemosynam* legit, Græcus textus *vitam* habet; & Biblia regia ita vertunt: *Vitam pauperis ne defraudes*; Syriacus vero: *Vitam pauperis ne despicias.* Proximum suum non occidere ad consiliumne, an vero ad præceptum spectat? Nonne vita illi eripitur, dum esurienti cibus negatur. Sanctorum Patrum hoc est axioma: *Si non pavisti, occidisti.* Ejusdem capitis versu octavo Spiritus sanctus hoc præceptum disertius sic explicat: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum.* Non est igitur eleemosyna simplex in pauperem liberalitas, sed debiti solutio. Consiliine opus est, debita solvere; an vero actus est justitiæ, qui sine peccato omitti nequit?

Tributum est eleemosyna, quod a divitibus pro traditis bonis Deus exigit. Quod si terrenus Princeps super feudo, quod subdito tradit, in traditi beneficii jugem memoriam pensionem potest exigere; Deus, qui mundi divitiarum supremus est Dominus, nonne ab iis, quibus illas elargitur, eleemosynæ præceptum tradere poterit, veluti sigillum, quo divitias a Deo nobis esse traditas innotescat? Sanctus Joannes, qui e Christi pectore hausit caritatis doctrinam, quam etiam eximie explicat, magna hæc verba, in fidelium omnium cordibus alte imprimenda profert:

fert: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* (1. *Joan.* 3.)? Quomodo igitur opus illud, cujus omiſſio caritate, ideſt Dei gratia nos privat, conſilii tantum opus erit? Cum homines judicabit Chriſtus, nonne peccatores ad ignem æternum damnabit, quia quæ facere debuerant, omiſerunt. Quid vero illis exprobrabit? *Eſurivi*, inquiet, *& non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: nudus eram, & non cooperuiſtis me* (*Matth.* 25.). Tenebantur igitur illum veſtire, & paſcere, illique potum præbere. Hinc abſona, omnino cenſenda eſt hæc novi Caſuiſtæ opinio, nempe fidelium paucos videri damnandos propter corporalis miſericordiæ operum omiſſionem. Evangelium contra ait propter horum operum omiſſionem homines eſſe damnandos. Nec minus abſonum eſt, quod idem Auctor ſubdit, ut Evangelii verba explicet. Ideo, ait, in extremo judicio Dominum de miſericordiæ operibus præ cæteris verba facturum, ut homines, rudes præcipue, qui ſpiritualia minime capiunt, ad miſericordiæ opera in hac vita exercenda excitaret: cui quidem rationi in extremo judicio locus non erit, cum amplius miſericordiæ tempus non ſuppetet. Annon hoc pacto verborum Chriſti veritas deſtruitur, omnisque Evangelio vis eripitur, dum quod de eleemoſyna tam diſerte ac perſpicue loquitur, tam inepte interpretamur?

Divus

Dives, quem Evangelium reprobat, non adulter, neque usurarius, nec blasphemus, nec raptor, nec invidus, nec maledicus, aut alterius hujusmodi peccati reus appellatur; hoc autem solum de eo narratur: *Homo quidem erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat* (*Luc.* 16.). De hujusce divitis damnatione ait sanctus Augustinus non esse causas anxie quærendas; illam nobis satis esse, quam Evangelium adfert, nempe divitis in mendicum crudelitatem. Si mendico huic, qui ante ejus januam eleemosynam postulabat, opitulari ex præcepto non tenebatur; nom in infernum sepultus fuisset, quia consilio neglexit obtemperare?

Verum Dei Filius difficultatem omnem amputat, cum eleemosynam justitiam nuncupat. *Attendite* (inquit *Matth.* 6.), *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Si eleemosyna justitia est, ad præceptum ergo pertinet, non ad solum consilium.

Hoc sensu sancti Patres loquuntur. „ Potestisne, inquit sanctus Basilius, o divites, „ qui nihil pauperibus largimini, sic loqui: „ Cui facio injuriam, si quod meum est servo? „ Pero, quæ sint, quæ vos vestra appellatis? A „ quo accepistis, unde attulistis, ut iis in hac „ vita frueremini? Hominem imitamini, qui „ amphitheatrum ingressus, aliorum sedes occupans, omnes ab ingressu arceret, solus spe-

„ ſtaculo frui volens, quod cunctis paratum
„ eſt. Si quilibet ſibi ad vitam neceſſaria ſume-
„ ret, & pauperibus ſuperflua tribueret, divi-
„ nemo eſſet, nemo pauper. Quis, amabo
„ vos, fur eſt appellandus? Ille profecto, qu
„ quod pluribus commune eſt, ſibi ſoli ſuma
„ Nonne igitur fur es, qui tibi uni ea ſerves,
„ quæ pluribus communicanda & diſtribuenda
„ accepiſti? Si furem vocas, qui veſtem ſua
„ ripit, alione nomine illum vocabis, qui hi
„ minem veſtire cum poſſit, nudum deſerit?
„ Panis, quem habes, nec familiæ tuæ eſt ne
„ ceſſarius, eſurientium eſt pauperum.

Delinquis (ait S. Cyprianus *de Diſcipl. &
hab. Virg.*) *& hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc hi
ab illo divitias datas credis, ut illis non ſalubr
ter perfruaris. Nam & vocem Deus homini de
dit, & tamen non ſunt idcirco amatoria canen
nec turpia, & ferrum eſſe ad culturam terr
Deus voluit, nec homicidia ſunt idcirco facien
aut quia thura, & merum, & ignem Deus in
ſtituit, ſacrificandum eſt inde idolis? Vel qui
abundant pecudum greges in agris tuis, victima
& hoſtias immolare debebis? Alioqui tentatio
eſt patrimonium grande, niſi ad uſus bonos ſenſi
operetur, ut patrimonio ſuo unus quisque loc
pletior magis redimere debeat, quam augere d
licta.*

„ Putasne, (inquit ſanctus Gregorius Na
„ zianzenus *Orat.* 6.) eleemoſynam conſuli
„ non præcipi? Id utique optarem, & recu
„ credere paratus eſſem; ſed me terret hirco
„ ru

» rum ad sinistram expulsio, &, quam illis faciet » Christus, exprobratio, non quod furta, sacri- » legia, adulteria, aliave similia crimina com- » miserint, verum quod illi in paupere opem » non tulerint.

» Deus, inquit sanctus Joannes Chrysosto- » mus, omnia legis præcepta illo complexus » est, quo proximum sicut seipsum diligi jussit. » Hinc quamvis nonnulli dicant, non furamur, » non fornicamur, nec aduteria facimus; se » proximum sicut oportet amare affirmare ne- » quibunt, idest sicut seipsos. Non enim ille » proximum amat, qui indigenti non subvenit. » Propterea longe errabat adolescens ille in » Evangelio, qui se omnia Dei præcepta servas- » se jactabat, nam cum dives esset, nec paupe- » ribus consuleret, non poterat caritatis imple- » re præceptum, quod cuncta complectitur.

Sanctus Hieronymus ad *Helvid.* scribens ait: *Si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris.*

Sanctus Ambrosius in Sermone quodam Fi- deles sic alloquitur: » Panis, quem servas, » esurientium est: vestis, quam retines, ad » nudum spectat: pecunia, quam in arca clau- » dis, captivorum est redemptio. Noverit di- » ves se ea rapere, quæ renuit erogare.

Sanctus Augustinus ait: » Quisquis pascen- » do hominem servare poteras, si non pavisti,

» occidisti. Cave igitur, avare Fidelis, ne i
» scrinio tuo claudas, vel sepelias vitam pau
» perum.

CAPUT II.

Avarorum præcluduntur effugia.

Dicet fortasse aliquis, ut allatarum auctoritatum vim infringat, oratorie sanctos Patres esse locutos, & exaggeratione usos: verum Scholastici ipsi, qui præcise & dogmatice loquuntur, eodem modo loquuntur. Unius sancti Thomæ auctoritatem hic lubet afferre, qui, cum Scholasticorum sit Princeps, recentioribus Casuistis præferri debet, qui crudelibus absonisque restrictionibus eleemosynam a Christianorum cœtu videntur eliminare. Quæstionem proponit: *Utrum dare eleemosynam sit in præcepto?* Affirmative respondet, utitur que hac ratione: *Nullus punitur pœna æterna pro omissione alicujus, quod non cadit sub præcepto; sed aliqui puniuntur pœna pro omissione eleemosynarum, ut patet* (Matth. 25.): *ergo dare eleemosynam est de præcepto.* In corpore autem articuli sic ratiocinatur: *Cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud* 1. Joan. 3: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem: & ideo eleemo-*

syna-

ſynarum largitio eſt in præcepto. En tibi aliam ejusdem Doctoris rationem: *Quia præcepta dantur de actibus virtutum, neceſſe eſt quod hoc modo donum eleemoſynæ cadat ſub præcepto, ſecundum quod actus eſt de neceſſitate virtutis: ſcilicet ſecundum quod recta ratio requirit, ſecundum quam ex parte quidem dantis conſiderandum eſt, ut id, quod eſt in eleemoſynas erogandum, ſit ei ſuperfluum; ſecundum illud* Luc. 11: *Quod ſupereſt date eleemoſynam* (2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 5.).

Difficultas in eo ſita eſt, ut definiatur hoc *ſuperfluum.* Si Caſuiſtis nonnullis fidem adhibemus, nemo ſuperfluum quid habet, neque Reges ipſi; nemo proinde eleemoſynam tenetur erogare. At caritati, quam invicem Chriſtiani exercere debent, Evangelii ſpiritui, & Eccleſiæ traditioni ita adverſatur hæc doctrina, ut primo intuitu ſit refutanda (*a*). Quod in neceſſitates, aut legitimos uſus ſervatur, poteſt non ſuperfluum cenſeri, ſi mediocre ſit; verum non eſt hoc ad ambitionem trahendum, qua ſæculares dignitates, honoresque quæruntur: hac ſiquidem de cauſa pecuniam ſuam ſervare, & ab eleemoſyna eroganda abſtinere, aperte Evangelio adverſatur, & ex amore oritur, quo mundus præ

(*a*) Anno 1679. ab Innocentio XI. iſta damnata fuit propoſitio: *Vix in ſæcularibus, etiam Regibus, invenies ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.* Eſt inter damnatas 12ma.

præ proximo diligitur, quod impie solum lic
re affirmatur.

Alia quoque affertur excusatio, nempe ne
cessitas status sui tuendi & dignitatis; sed va
sæpe hæc est excusatio. Hanc luxus necessitatem
fere in omnibus mundus invexit; sed non e
mundus Christianorum judex, qui (ut ait Chri
stus *Joan.* 16.) cum Principe suo *jam judica
tus est.* Sanctus Apostolus Paulus Christiano
omnes ita admonet: *Habentes alimenta, &
quibus tegamur, his contenti simus* (*Tim.* 6.)
Hunc textum explicans divus Thomas ait, div
tias ad necessitatem repellendam tribui, homi
nemque duobus indigere, cibo ad famem ex
plendam, vestibus ad aeris arcendas injurias
En naturæ limites, quibus & Evangelium pro
spicit. Non tamen affirmo ita hos limites esse
definiendos, ut conveniens nulla sit inter varios
personarum gradus distinctio. Ridicule sane
quis assereret, eadem Regi ac villico utendum
esse veste, mensa, ac comitatu, nec ullo ornan
dam apparatu regiam Majestatem. Juxta gra
dum suum cæteris quoque licet se pariter orna
re, aliosque sumptus facere; at dignitas exces
sum illum minime excusat, quem luxus in no
stra tempora invexit, cum nulla jam neque dig
nitatis, neque originis sit distinctio, sed superbia
sola & facultas sumptus metitur, quod cunctis
Evangelii legibus adversatur. Haud igitur licet
eleemosynam omittere, ut leges illas sequamur,
quas luxus enormis invexit.

Post

Post sacrarum Litterarum, & sanctorum Patrum auctoritatem valida utemur ratione, qua idem probatur. Ab orbis origine bona omnia erant communia: temporum successu eorum facta est divisio, quam injustam appellare & providentiæ ordo, & populorum consensus, & ecclesiasticæ civilesque leges vetant. Verum nonne injusta esset hæc inæqualis divisio, si magis vel saltem æque utilis non esset hominibus, ac communis possessio? Et nonne longe injustior, si hominibus prorsus noceret. Id autem proculdubio eveniret, si cuncta hisce possidentibus, aliis contra omnium egentibus, egentium inopiæ divites non subvenirent, neque ad id caritatis & misericordiæ præcepto, quod nequeat remitti, non tenerentur. Si enim eleemosyna veluti consilium a libera dumtaxat divitum voluntate penderet, hominum plerique inopia perirent, dum pauci bonis abundarent. „ Si eleemosynam divitibus (ait sanctus Ambrosius „ *Serm.* 36.) Deus non præcepisset, videretur „ injustus, aliis bona omnia tribuens, cuncta „ aliis negans. Sed hæc cessat querela, si divitibus præcipiat, ut pauperum levent inopiam, „ horumque veluti tutores sint; Deique in hoc „ sapientia elucet, qui hac distributione divitibus suam patefacit largitatem, & pauperum „ patientiæ coronam parat. Tu vero, cui tot „ bona Deus est largitus, sine injustitia eleemosynam pauperi negare putas? Ne te fallas, „ idem pene est pauperi indigenti ex tua abundantia non tribuere, ac aliena rapere.

CAPUT III.

Circumstantiæ, in quibus eleemosyna ob ligat, expenduntur.

Sicut caritatis, ita & eleemosynæ præceptum affirmativum est, in certis solum circumstantiis obligans. Præ reliquis circumstantia personæ dantis & indigentis est pensanda. Qui *fortunam* largientis, & *necessitatem* indigentis rite expendit, an & quanta eleemosynæ obligatio sit; facile deprehendet.

Fortuna hominis in temporalium bonorum possessione consistit; hæc autem bona in tres classes distinguuntur. In *prima* sunt *necessaria naturæ*, illa nempe sine quibus possessoris, suæque familiæ vita conservari nequit. In *secunda* necessaria *statui* collocantur, ea videlicet, sine quibus convenienter ad suum statum, ac quam modo gerit, officii dignitatem vivere non potest, ita, ut his subductis vel strictiore œconomia uti vel omnino a suo statu excidere deberet. In tertia *non necessaria* sunt, quæ nempe nec ad vitæ, nec ad status conservationem requiruntur, sed omnino superflua sunt. Attamen hic non præsens solummodo rerum status, sed quid in super postea evenire possit, est attendendum. Exempli gratia si vir est uxoratus, nec liberos habeat, speret tamen, potest pecunia, quam possidet, non superflua existimari, quamvis modo ad sui status decentiam non sit necessaria. Hac pariter anno pleraque superflua videri possunt, quæ

quæ anno proximo ob probabiliter imminentem penuriam erunt necessaria. Dico *probabiliter*; quia fingenda non sunt pericula sine causa; sed ea prævenda, quæ prudenter timemus: humanæ vero prudentiæ Christiana caritas est præferenda.

Tria quoque in paupere necessitatum genera sunt distinguenda. *Extrema* eum premit, qui, nisi ei succurras, de vita periclitatur. *Gravis* illam affligit, qui non obtento auxilio honoris, status jacturam incurrere, vel aliud quidquam amittere deberet, quo vita residua nimis gravis, ac amara redditur. *Communis* necessitas eos tenet, qui multis quidem vitæ commodis carent; quin tamen spectata eorum conditione adeo gravis eorum vita reddatur, quia cum ostiatim mendicent, quod ab uno negatur, ab alio accipiunt, sicque semper vitæ necessaria habent.

Non tenemur ex iis eleemosynam erogare, quæ ad familiam alendam omnino sunt necessaria, ut docet divus Thomas (2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6.); qui tamen addit: *Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur; quia pro tali personæ liberatione se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum.*

In *extrema* necessitate versanti eleemosynam debemus ex iis bonis, quæ naturæ superflua, status vero decentiæ necessaria sunt. Status enim decentia minus quam vita proximi valet; unde

ut

ut hæc cum aliquali ſtatus diminutione redim
tur, caritatis ordo exigit, ſacra ſcriptura,
Patres monent, in hocque omnes conſentiunt.

Proximo in *gravi* neceſſitate conſtituto e
iis, quæ vitæ & ſtatui ſuperflua ſunt, ſubveni
tenemur. Id enim clare ex adductis textib
eruitur, præprimis ex illo: *Qui habuerit ſub
ſtantiam hujus mundi, & clauſerit viſcera ſu
ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* (1
Joan. 3.)? Imo quo gravior pauperum n
ceſſitas fuerit, eo majorem in divitibus obligo
tionem fundabit, ita quidem, ut ſi omnia
ſtatui ſuperflua non ſuppetant, etiam illa, qu
ſtatus competentiæ ſerviunt, minui pauperum
que fami pellendæ, nuditati tegendæ &c. im
pendi debeant. Notent hoc ſibi divites, qui i
communi annonæ defectu ad pauperum clamore
ſurdeſcunt, qui æquales inter delicias, ſenſuum
que illecebras pene diffluunt, dum pauperes
fratres inedia confecti vix pedibus conſiſte
queunt; notent, inquam, & timeant, quidqui
irato Judici ad illud: *Eſurivi, & non deditis
mihi manducare* &c. aliquando ſint reſponſuri vi
deant.

In *communi* neceſſitate ex ſuperfluis itidem
eleemoſynas facere obligamur; quia etiam hu
textus non minus, quam rationes, quas ſupr
(*cap.* 1. *&* 2.) protulimus trahi poſſunt, eo
que Theologi magis cordati ita intelligunt? Hæc
tamen communem inter & gravem neceſſitatem
intercedere differentia videtur; quod eleemo
ſyna in *gravi* neceſſitate certum tempus, cer
tasqu

tasque personas juxta caritatis ordinem respiciat, cum econtra eleemosyna in communi necessitate sive huic sive alteri; hoc die, mense &c. vel alio distribui possit. Gravis nihilominus peccati rei illi divites fiunt, qui frequentius mendicos repellunt, increpant, aut omnibus omnino eleemosynas denegant. Hi, si Dei depositarios se recogitarent, longe aliter commissas sibi divitias applicarent.

Iis, quæ de divitum obligatione pauperibus in necessitate gravi subveniendi hactenus diximus, opponi posset, sufficere, ut illis *mutuo* necessaria dentur; quia etiam hoc pacto illis subvenitur. Ita quidem nonnulli Doctores sentiunt, & Josephi exemplum afferunt, qui tempore famis in Ægypto non donavit; sed frumenta populo vendidit, agrosque omnes Regi comparavit. Alii docent, teneri divites erogare, nec satis esse, si mutuum tribuant. Medina distinguit, docetque superflua eroganda esse, quod si superflua desint, reliqua mutuo dari posse. Ego quidem arbitror pauperibus esse subveniendum, quocumque tandem id pacto fiat, nec plerumque satis esse, ut illis mutuo tribuatur; liberalis siquidem est christiana caritas, non mercatrix (a).

CAPUT

(a) Sicut viscera impiorum crudelia, ita & corda eorum, qui fratres diligunt, miseratione plena sunt. Misericordia virtus moralis est, quæ hominem ad sublevandam alterius miseriam inclinat. Miseria, quæ proximi animam tenet, potissi-

CAPUT IV.

Genuinæ Eleemosynæ Conditiones.

Christiana eleemosyna, ne a virtutis natura degeneret, justa, prompta, hilaris, liberalis, perseverans sit oportet.

Justa eleemosyna erit, si inter divitum bona, & egenorum inopiam apta proportio servetur; si nempe plus Reges, quam alii nobiles; plus divites quam mediocres, plusque Ecclesiastici, quam Laici tribuant. Alia quoque in erogranda eleemosyna servanda justitia est, ut nempe de suo, non de alieno fiat. Multi sunt, qui debita, vel mercedes non solvunt, Ecclesiisque & pauperibus donant, quæ creditoribus debent aut mercenariis rapuerunt. Quam sit execrabilis hæc eleemosyna docet Ecclesiasticus: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (cap. 34.) Quartum Carthaginense Concilium ita Episcopis præcipit: *Eorum, qui pauperes oppri-*

munt,

---

tissimum fraterna correptione; ea quæ corpus rodit, eleemosyna pellitur, aut saltem lenitur. Non minus ad hanc, quam ad illam plura alia misericordiæ opera reducuntur: quæ correptioni accedunt, *spiritualia;* quæ eleemosynæ jungun tur, *corporalia* dici consueverunt; omnia compendii, ac memoriæ gratia hisce versibus S. Thomas concluſit:

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

sunt, dona refutanda (Can. 94.). Pulchre ait sanctus Augustinus: „Non ita judicem tuum fallere „potes, ut in die judicii pauperum voces, quibus bona rapuisti, non audiat. Si a mortali „judice esses judicandus, furti tui partem illi „posses tribuere, ne te damnaret; at cum Dei „filio non sic agere potes. Non talis est Deus, „qualem te esse vetat, injustus nempe, & latronum patronus. Eleemosynam te dare putas, ne fureris, & eleemosynam dedisti. „Gaudet qui accipit, gemit quem spolias. „Utrum arbitraris a Deo exaudiendum? Melius eleemosynam negas, quam aliena rapias.

Hæc Magnates cogitent, qui populis præsunt, & provincias depopulantur; nec putent Deo se posse placere, si altare erigant, vel tabernaculum auro tegant, aut quid simile præstent, dum populo rapiunt quæ Deo dedicant. Audacter sic Deum provocant; nam hoc pacto, ut sancti Patres loquuntur, in furti partem illum vocant.

Altera eleemosynæ conditio est, ut *prompta* sit, juxta Apostoli consilium. Si eleemosyna donum est, qui cito dat, bis dat: si debitum est, sicuti revera est, sollicite oportet solvere, cum creditor expectare nequeat, quando videlicet pauper fame vehementer premitur. Dilationem venter non patitur, & inducias fames ignorat: horæ unius dilatio interdum pauperem necat.

Promptitudinem *hilaritas* comitetur; nam, ut sanctus Paulus testatur: *Hilarem datorem diligit*

git *Deus* (2. *Cor.* 9.). Idemque Apostolus fideles ad erogandam eleemosynam sic exhortatur: *Unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate.*

Si alio spiritu ducimur, caritas, inquit sanctus Joannes Chrysostomus, jam non est caritas. Nonne irrationabiliter agis, si dum dolentem solaris, dolorem ipse & tristitiam prodis? Nonne hoc pacto eleemosynæ sensum eripis, quem nomen ipsum præfert, quod clementiam & misericordiam significat? Dum pauperis miseriam levas, magnam ostendis crudelitatem. Caritas ut sit amor oportet: amor autem omnia sua donans vehementer lætatur, nec se aliquid donasse credit. Apostolus eleemosynam benedictionem vocat, ut hilaritatem, cordisque amplitudinem declaret.

Quarta eleemosynæ conditio est *liberalitas* juxta Apostolum dicentem: *Qui parce seminat parce & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet* (2. *Cor.* 9.). Christus autem dominus fidelibus ait: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est: & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos* (*Luc.* 6.). „ Si nimis altum „ (inquit sanctus Ambrosius *Serm.* 81.) hoc „ tibi videtur exemplum, & oculos sursum ad „ tollere recusas, sub pedibus stram terram aspice, „ ce, ejusque liberalitatem in alendis hominibus „ intuens erubesce, si insensibilis elementi liberalitatem non imiteris.

Larg

Larga igitur debet esse eleemosyna, sive dantis personam spectes, sive accipientis. Larga est eleemosyna, cum omnibus pauperis necessitatibus subvenit, veluti si pauperi centum nummis egenti eosdem tribuas, larga erit eleemosyna. Est & alia liberalitas, quæ non modo necessaria pauperibus tribuit, sed necessitatem excedit. Primo modo danda est eleemosyna, si extrema aut gravis urgeat necessitas, dummodo periculum absit, ne eleemosynam tribuens in eamdem aut majorem incidat necessitatem. In communibus necessitatibus, laudanda est liberalis eleemosyna, verum non tam gravis est ejus obligatio. Potest etiam male ultra necessitatem pauperibus tribui: bene agitur, si bona adsit intentio, idest si detur, ut pauper ejusque familia habeant, unde vivant: male agitur, si constet pauperem hoc superfluo, quod illi datur, non indigere; aut si ex vanitate datur, ut videlicet liberalitatis fama quæratur; aut si superfluum huic dando, alteri necessarium negetur; aut cum eleemosyna in prodigalitatem vergit.

Juxta personarum varietatem eleemosynæ proportio est servanda. Plus dives, quam pauper, Reges ac Principes magis, quam subditi; & Ecclesiastici magis, quam laici dare debent. Sciant vero Beneficiati se bonorum ecclesiasticorum esse dispensatores, quæ sancti Patres peccatorum remedium, & patrimonium pauperum vocant.

Quinta eleemosynæ conditio est, ut sit *perseverans*. *Semper pauperes habetis vobiscum* (ait

(ait Christus *Matth.* 26.): illis igitur oportet semper opitulari. Fatuæ virgines, quarum in evangelica parabola fit mentio (*Matth.* 25.) oleum quidem in lampadibus habebant, sed non quantum satis. Propterea ait sanctus Augustinus: „ Scripturæ audi verba, ne te eleemosy„ na & fides deserant. Non ait, Fac eleemo„ synam semel, ter, aut centum vicibus; sed „ semper: neque ait, Ne eleemosynam dese„ ras; sed ne illa te deserat “. Hinc nos docet Scriptura, utile nobis magis esse eleemosynam dare, quam accipere; illamque constanter esse exercendam propter bona, quæ inde nobis proficiscuntur.

CAPUT V.

Eleemosyna nec a quolibet, nec cuilibet est eroganda.

Non omnes passim eleemosynam erogare possunt. Exempli gratia subditus, viro junctæ mulieres, filiifamilias, famuli eleemosynam largiri nequeunt, ex bonis suorum superiorum, conjugum, parentum, dominorum, si quatuor sequentes casus excipias.

Primo, cum pauperis necessitas est extrema: tunc enim ex bonis Superioris, vel ipso invito, eleemosynam erogare potest inferior: communis hæc est Doctorum sententia. Secundo, quando pauperis necessitas est gravissima: attamen si fieri potest, a superiore impetranda est facultas, ut docet Abbas in cap. *Si quis*, de *Furti*

Furtis. Tertio, cum ſuperior inferiori permittit, ut eleemoſynam largiatur. Quarto, cum ſcit inferior ſuperiori gratum futurum, ſi eleemoſynam ipſe eroget.

Inſuper poſſunt Religioſi eleemoſynam largiri ex pecunia, quæ ipſis pro viatico traditur, aut ex eleemoſynis, quas ipſi accipiunt; vel cum ſciunt ſuperiori ſuo gratum fore, ſi eleemoſynam largiantur, quam largiri permitteret, ſi adeſſet.

Uxores quoque eleemoſynam largiri poſſunt, 1. Cum ſciunt id gratum fore maritis, licet expreſſam eleemoſynæ largiendæ non dederint poteſtatem. 2. Cum mentis inopes ſunt mariti, uxoresque familiam moderantur. 3. Cum mariti longe abſunt. 4. Cum ipſis conceſſa eſt bonorum adminiſtratio. 5. Si viri nimis ſint avari, nec ullam largiantur eleemoſynam. 6. Cum pecuniæ aliquid pro libitu expendendum, habent, ipſæque ſe a licita aliqua voluptate retrahunt, ut eleemoſynam egeno tribuant. 7. Cum præter dotem adventitia bona habent. 8. Cum induſtria ſua pecuniæ ſummam lucrantur. 9. Cum munus aliquod accipiunt. 10. Si parva ſit eleemoſyna, nec maritis incommoda. Verum præſtat circa quintum & octavum caſum prudentem Confeſſarium conſulere, antequam generalis lex deferatur, quæ ſine virorum conſenſu communia bona diſtribuere uxoribus vetat.

Filii quoque familias eleemoſynam aliquando erogare poſſunt. 1. Ex bonis, quæ ipſi acquiſierunt, quæ caſtrenſia bona vocantur. 2. De

pecunia, quam pro viatico a patribus ſuis accipiunt. 3. Si extra paternam domum degant, & in aliqua Univerſitate ſtudiorum cauſa morentur; vel ſi negotiorum cauſa in urbe aliqua vivunt, & ex pecunia pro victu accepta aliquid ſeponunt, ut eleemoſynam largiantur. 4. Si publicum aliquod munus habent, ex quo lucri aliquid capiant. 5. Si parvas eleemoſynas largiantur. 6. Cum ſciunt gratum parentibus fore, ſi egenis ſubveniant.

Famuli ex dominorum ſuorum bonis eleemoſynam largiri nequeunt, præter extremæ, aut graviſſimæ neceſſitatis caſum, vel ſi peraliquas rarasque dent eleemoſynas.

Egenis tribuenda eſt eleemoſyna; eſt enim hæc miſericordiæ actus, qui proximi miſeriam reſpicit: omnibus propterea eſt tribuenda ſive bonis, ſive malis, fidelibus, & infidelibus, ex caritate ſiquidem proficiſcitur, quæ omnes æque complectitur. Sanctus Joannes Alexandrinus Patriarcha, Eleemoſynarius dictus, cum ab œconomo ſuo fuiſſet admonitus, quod eleemoſynam non indigentibus tribueret, reſpondit: „ Neque Chriſtus, neque famulus ejus Joannes „ tam prudentibus miniſtris eget.

Attamen quamvis caritas non adeo exacte inter egenos diſtinguat, nec pauperum, quibus ſubvenit, qualitates exquiſite nimis perpendat, nonnulla nihilominus ſunt obſervanda. Primo, an pauper labore ſuo victum ſibi comparare queat. Si deſidioſus eleemoſynam petat, non ei tenemur opitulari; neque illi danda eſt elee-

mo-

moſyna, niſi eſſet perſona nobilis, quæ ſine nobilitatis ſuæ injuria nec artem aliquam exercere, nec aliis famulari poſſet.

Secundo, ſi ad peccatum aliquod patrandum eleemoſynam pauper peteret, non eſſet ei tribuenda; quemadmodum ſanctus Auguſtinus diſerte docet inquiens: *Utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat, quam eſurienti panis frangitur, ſi injuſtitiæ ſeclusu acquieſcat.*

Tertio, ſi paupertas, quam egenus patitur, pœna ſit a judice inflicta, veluti ſi ad fame pereundum damnaretur, nulla huic largiendæ eleemoſynæ adeſſet obligatio: ſi tamen aliquis hanc illi largiri vellet, id ei liceret, dummodo non eſſet miniſter juſtitiæ; hic enim judicis ſententiam exequi debet.

Demum, ſi Princeps urbem juſte obſideat, hancque fame expugnare vellet, peccaret qui in illam cibum inferret; ſi vero injuſte obſideretur, obſeſſis ſubvenire liceret. Qui ab alio largiendas eleemoſynas accepit, poteſt, ſi pauper ſit, harum partem ſibi ſumere veluti pauper; caveat tamen ne ſibi nimium blandiatur, neque ſibi cum egenorum injuria nimium ſumat.

His demum generalibus axiomatibus hanc de eleemoſyna tractationem, quæ reliquis Moralis Chriſtianæ fere præſtat, concludo: Caritas, ex qua eleemoſyna oritur, communes humanæ juſtitiæ regulas excedit: Non in ſubtili legum

hæret distinctione. Ipsa est Christianorum lex, quæ universam Legem continet & Prophetas. Ejus canones arctius obligant, quam passim creditur: ejus excessus sunt laudandi: ultra ejus limites progredi utique præstat, quam intra morari. Atque ut innotescat, quomodo Christi pauperes sint juvandi, Christi personam in paupere considera, in hoc enim Christus particulari quodam modo habitat, qui Christi in Eucharistia præsentiam imitari quodammodo videtur: cogita etiam Dei beneficia in nos plerumque per pauperes derivari, cœlique claves eorum manibus esse commissas.

SECTIO V.

DE VITIIS DILECTIONI OPPOSITIS.

CAPUT I.

Odium a Deo & hominibus separat.

Odium qualiscumque mentis aversio est; unde objectum, quod aversamur, odisse dicimur. In odium inimicitiæ, & abominationis dividi solet. Odium *abominationis* est, quo aversamur aliquod objectum prout in se malum, vel nobis, aliisve nocivum est: Odium *inimicitiæ* est quo aversamur aliquem ita, ut velimus malum prout ejus malum est.

Odium

Odium abominationis peccatum jam grave, jam leve, jamque nullum; imo nonnumquam actus ex caritate ſubortus eſſe poteſt. Si absque rationabili cauſa proximum averſaris, juxta averſionis intenſionem, deliberationemque grave vel leve peccatum committis. Si naturali quaſi antipathia averſionis motus rationem præveniat, culpa vacat, dummodo eum reprimere ratio nitatur, ne in voluntariam abominationem, aut inimicitiam degeneret. Quodſi non tam proximi perſonam, quam ejus ineptum agendi, loquendi modum, ipſumque ejus peccatum averſeris, nædum a peccato immunis, ſed laudabilis omnino tua averſio erit, ac ſalubre odium; quia cum dilectione hominum optime componi valet; Deus quippe ipſe impietatem odit: & David impios, qua tales, odio habuit; ſicut enim omnia Dei opera digna amore, ita & diaboli opera, ſcilicet peccata odio digna ſunt. Ne tamen ſub zeloſo hoc peccati odio, aliud proximi vitioſum ſe recondat, prout jam ſupra monuimus, caute eſt advertendum.

Odium inimicitiæ erga Deum, niſi imperfectio actus excuſet, grave ſemper, imo omnium graviſſimum eſt peccatum; quia (uti ſanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 34. *art.* 2. probat) per odium per ſe & directe quis ſe a Deo avertit, cum aliis in peccatis puta in fornicatione &c. ratione alterius videlicet converſionis ad creaturam, quæ cum converſione ad Deum ſtare non poteſt, a Deo avertatur. *Semper autem id, quod eſt per ſe, eſt potius eo, quod eſt ſecundum aliud:*

unde odium Dei inter alia peccata est gravius. Hinc in scriptura legitur: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te a facie tua* (*Num.* 10.).

Odium pariter inimicitiæ erga proximum, nisi levitate materiæ &c. minuatur, peccatum mortale est; quia caritati, quæ bono proximi delectatur, eique congaudet, e diametro opponitur. Omnis (ait S. Joannes *Ep.* 1. *cap.* 3.) *qui odit fratrem suum homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Et licet odium in effectu minus quam homicidium proximo noceat, affectus tamen ejus qui odit, sua saepe malitia corruptum homicidæ affectum exsuperat. Quanto tempore odium foverit, ac quoties illud dimissum, vel abruptum deliberate renovarit, ex pœnitente est quærendum. Si poli repetitas aliquoties confessiones necdum mutasse animum, ipsaque suggesta remedia neglexisse comperiatur, sine absolutione dimitti, & efficacius ad remediorum applicationem adstringi debet (*a*).

Quam-

(*a*) Ut salutare odium erga odium in pœnitente excites; quantum emolumentum toto, quo odium fovit, tempore ipsi exinde accreverit? quæras. Abs dubio nihil omnino commodi odium sibi attulisse fatebitur. Hac responsione obtenta jam econtra damna, quæ ex odio non in proximum, sed in ipsius oforis corpus & animam manarunt, energice expone, hæcque ut quotidie vel breviter recogitet, suade. Tum ad amorem proximi denuo

Quamtumvis omnis qui inimico odio alium odit, malum illius opter; non tamen econtra omnis, qui malum proximo optat, inimicitiæ odium erga eumdem gerit. Nam (prout divus Thomas in 3. *dist.* 33. *art.* 1. docet) *potest quis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quamtum est malum illius, sed in quamtum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus* (a).

Odium

denuo utcunque reducendum serio eidem injunge. 1. Ut in crucifixum, qui jamjam agonizans pro inimicis patrem exoravit, certis diei horis respiciat. 2. Ut se suumque antagonistam in amorosum Jesu cor ac latus recondat. 3. Ut de mane, vel in Missa post elevationem indies pro inimico quidquam oret, & a Deo proximum diligendi gratiam postulet. 4. Ut obviam factum hominem exosum tamquam Dei imaginem, Christi membrum, cœlestisque regni cohæredem, ac Angeli custodis clientem salutet, communia officia non neget, imo, nisi quid aliud obstet, suavi affabilitate placare, sibique devincire studeat.

(a) Hæc S. Thomæ ab illa doctrina, quam damnatæ propositiones continent, admodum differt. Damnatarum propositionum defensores, nos proximo malum optare licite posse, vel de eo gaudere in qua tum ex illo bonum quoddam *temporale & privatum* nobis accedit, asserere sunt ausi, id quod a caritate alienum est. D. Thomas econtra de illo solum proximi malo, quod in bonum *spirituale* animæ, aut *publicum* Reipublicæ vergit, quodque saltem indirecte proximo

Odium diutius retentum ad faciendas proximo maledictiones, aut imprecationes provocat, quæ ſecundum quod malum grave, ipſiusque imprecantis affectus efficax ac deliberatus fuerit, graviter caritatem lædunt, ac grave peccatum conſtituunt. Unde Apoſtolus maledicos raptoribus adjungit, inquiens: *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt* (1. Cor. 6.). Maledictionibus publicis grave ſæpe ſcandalum accedit, ipſiusque mali diverſitas, aut acerbitas earum gravitatem auget. Gravior, quæ in perſonas magis amabiles; graviſſima quæ in parentes, ſuperiores &c. dirigitur. Hinc Deus olim legem tulit, ut *qui maledixerit patri ſuo, & matri morte moriatur* (*Levit.* 20.). Parentum, ludimagiſtrorum, artificum, militum rusticorum hoc vitium eſt; qui tamen ſæpe de ſola ira, aut inimicitia ſe accuſant, maledictionum &c. nullam facientes mentionem. Interrogandi proin ſunt, & ſi conſuetudinarii ſint, priusquam ſeſe emendare ſtudeant, non abſolvendi (a).

Quodſi

---

prodeſt, nos impune gaudere poſſe docet. Quæ caritatis ordini maxime congruit. Propoſitiones damnatæ videantur pag. 375.

(a) Remedia contra maledicendi (ſicut & blaſphemandi) conſuetudinem ſunt 1. Statim poſt imprecationem interne contrarium benevolentiæ actum elicere. 2. Quid certum pro homine orare, &c. Vel toties, quoties &c. certam eleemoſynam cuidam pauperi erogare. 4. Deum Euchariſticum dum linguæ imponitur, humiliter rogare, quatenus hanc ſanctificare, & ab hoc vitio præſervare miſericorditer velit, illaque dignum

Quodsi tamen rustici, aurigæ &c. brutis, rebusque aliis maledicant, peccatum ab impatientia distinctum vix umquam committunt, nisi forsan grave damnum exinde proximo, rerum harum domino, illatum cuperent.

CAPUT II.

Scandali notio, origo, & damna.

Ut rite definiri scandalum possit, in activum prius & passivum dividi debet. Scandalum *activum* est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ seu peccati. Ad dictum & factum etiam omissiones, quæ alios turbant, reducendæ sunt. Scandalum *passivum* ipsa spiritualis proximi ruina est, seu peccatum illud, quod proximus occasione tui dicti, facti, vel omissionis commisit. Duplex est: unum *per se datum*, quod ex mala agentis intentione, aut ipsa mala operis vel sermonis conditione in alio oritur: alterum *per accidens acceptum*, quod occasione tui facti &c. præter omnem intentionem, & operis conditionem ex casuali siniſtra videntis, vel audientis interpretatione sequitur. Quodsi siniſtra hæc interpretatio ex ignorantia, vel infirmitate speciali sit profecta, scandalum *pusillorum*; sic ex malitiosa cordis dispositione provenerit, scandalum *pharisaicum* erit.

Scan-

---

tius adorationis, ac laudis divinæ instrumentum efficere.

Scandalum per se datum, sive *directum*, u
dum quis data opera proximum ad peccatum in
ducit, sive *indirectum*, ut dum coram eo qui
quam agit, aut loquitur, ex quo spirituale
illius ruinam prævidere probabiliter potest, pe
catum ex natura sua grave est (*a*). *Væ homi
ni illi, per quem scandalum venit*, Christus pr
dixit (*Matth.* 18.). Et Apostolus eum, q
propter cibum fratrem scandalizat, *jam non s
cundum caritatem ambulare* scripsit (*Rom.* 14.
Scandalum proin caritatem elidit, & fraterna
correptioni recta oponitur, quia malum peccat
quod correptio a proximo propulsat, scandalum
inducit, aut revocat.

Peccati hujus sæpe reos se faciunt conjuge
qui multa agunt aut loquuntur, quæ liberis n
cent; patresfamilias, qui blasphemias, & turpi
coram

(*a*) Sitne scandalum *indirectum*, id est per se no
intentum (nam de directo nullum movetur de
bium) speciale peccatum quod pravi operis m
litiæ novam malitiam superaddat; Doctores
disceptant. Quidam affirmant, negant alii;
alii circumstantiis speciem mutantibus, alii ci
cumstantiis solum aggravantibus illud accensent.
Sive his sive illis subscribas, quoad praxim pa
rum interest. Nam ex una parte circumstantiæ
non minus aggravantes, quam speciem mutantes
in confessione sunt exprimendæ, uti suo loco
dicetur; ex altera parte vincibilem inadverten
tiam a peccato non excusare jam supra (*Tr.* 3
pag. 215. *in Not.*) monuimus. Tradita
ibi doctrinam relege; & scandalum indirectum
an, quando, & quale peccatum sit, facile intelli
ges.

coram domesticis proferunt, crapulati post noctis medium redeunt &c: Cantores qui amatorias cantilenas in tabernis decantant; Pictores, Statuarii &c. qui denudata hominum simulacra exponunt &c. In his nædum numerus actionum scandalosarum, sed & numerus inspicientium audientium, de quibus spirituale damnum timeri potest, in confessione esset exprimendus, sed multis, præsertim hystrionum, pictorum &c. scandalis haud inepte epiphonematis loco illud applicari posset: *Numera, si potes.*

Ut autem scandalum evitetur ante omnia 1. Verba seductoria, quibus ad malum incauti pertrahuntur, numquam sunt proferenda. 2. Omne factum peccaminosum coram spectatoribus, ubi & quamtum fieri potest, est impediendum. 3. Opera indifferentia, & aliunde licita scandali impediendi gratia omitti aliquoties debent, donec sic agendi ratio nonnullis infirmis exposita fuerit, postea si scandalum sequatur, non datum, sed acceptum & pharisaicum erit. 4. Exercitia itidem pia, uti opera misericordiæ, si ex iis scandalum pusillorum prævideatur, aliquamdiu occultanda sunt, aut differenda, donec congrua monitione scandali periculum sit submotum; secus si occasione eorum scandalum pharisaicum suborturum prævideatur. 5. Ad actum præceptum omittendum, ut scandalum evites, vix umquam teneris; quia illud, quod timetur, scandalum vix aliud quam pharisaicum esse potest. Quodsi tamen casu raro scandalum pusillorum consequeretur, quidam Auctores docent, actum lege positiva præ-

præceptum ex epjikia omitti aliquoties poſſ quibus tamen alii ſat multi & graves contra cunt. 6. Nullo tamen caſu actionem, lege turali prohibitam, ut ſcandalum impediatur interponere licet; quia non ſunt facienda intr fece mala, ut qualiacumque bona eveniant, alia repellantur mala. *Si de veritate ſcandal ſumitur* (inquit ſanctus Gregorius *homil. 7. Ezech.*) *utilius permittitur naſci ſcandalum quam veritas relinquatur.* 7. Denique inter d mala unum committere parato non potes p tive ſuadere, ut eligat minus; quia ſic in e actum influeres, ſed diſſuadere majus mal teneris, & ad alterum te permiſſive habere, utrumque ſimul impediendi tibi facultas de Plura, quæ ſcandalum contingunt, jam ſup de peccatis alienis (*pag.* 291.) diximus, ubi deri poſſunt (*a*).

Nonnulla alia, quæ cum caritate pugnan ſanctus Thomas, aliique Theologi hic vitia cenſent. Horum aliqua jam in Tract. *de p catis*, præcipue capitalibus, expoſuimus; re dua infra, ubi de peccatis ſecundæ tabulæ verſis ſermo erit, breviter explicabimus.

(*a*) Qui per directum ſcandalum aliquem ſedu ita ſeductum, ut reſipiſcat, efficaciter hort tenetur. Scandali indirecti reus in eadem m teria publice contrarium agere, ac loqui, b noque exemplo vulneribus, quæ proximo inf xit, mederi tenetur. Remedia communiora ſu 1. Tarditas in loquendo, 2. circumſpectio agendo, 3. frequens divinæ præſentiæ recog tio. His tria ultima adde, quæ paulo ant (*pag.* 404. *in Not.*) propinavimus. *TR*

TRACTATUS VI.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Decalogus nomen græcum, ac compositum est, decemque verba significat; decem siquidem præcepta continet, quæ in monte Sina Deus Moysi tradidit ab Israelitis servanda. Christiani pariter hæc servare tenentur, non solum quoad præcepti substantiam, verum etiam quoad modum, qui est caritas. Sine Dei enim amore, ut probavimus (*Tract.* 2. pag. 152.) nullum præceptum servatur, sicut oportet, ad vitam æternam. Hinc Apostolus ait: *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* 13.).

Dei præcepta complectuntur omnia, quæ Christianus Deo aut proximo debet. Priora tria docent, quid Deo debeamus; reliqua, quid proximo. Homo, qui Dei opus, & creatura est; soli Deo servire debet. Hoc primum præceptum jubet: *Ego sum Dominus Deus tuus &c. & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* (*Matth.* 4.). Cultus Deo debitus requirit, ut nihil ei injuriosum fiat, quod secundo cavetur præcepto: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum* (*Exod.* 20.). Fidelis subditus externum aliquem cultum exhibere suo Regi debet, ut illius curam, qua se regit,

regit, recognoſcat; quod faciendum tertium præceptum præſcribit: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices.*

Peculiaria ſunt officia, quibus eos debemus colere, qui auctoritate, aut beneficiis ſibi nos habent magis obſtrictos, veluti parentes; & ſuperiores; hoc vero quarto jubetur præcepto: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.*

Generalia erga proximum officia hæc ſunt, ne videlicet illi noceamus opere, aut verbo, aut cogitatione. Opere lædere eum poſſumus aut in ejus corpore, quod quinto Dei præcepto vetatur: *Non occides;* aut in ejus uxore: quod ſextum præceptum prohibet: *Non mechaberis;* aut in ejus ſubſtantiis, quod ſeptimum interdicit præceptum: *Non furtum facies.* Proximum verbis lædere poſſumus, quod octavum vetat præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Denique cogitatione nocere proximo poſſumus, quod poſtremis duobus præceptis prohibetur: *Nec deſiderabis uxorem ejus; nec omnia, quæ illius ſunt.*

SECTIO

SECTIO I.

DE

FIDE, ET VITIIS OPPOSITIS.

CAPUT I.

Fidei notio, divisio, ac necessitas.

Fides in genere est assensus nostri intellectus, propter auctoritatem attestantis. Fides pro in *Theologica*, de qua hic agimus, est supernaturalis, ac firmus assensus in res, quas Deus tamquam prima veritas revelavit. Definita hic fides actualis est; habitualem ut describas dicito, quod sit virtus Theologica seu habitus supernaturalis inclinans ad firmiter assentiendum omnibus, a Deo revelatis, propter infallibilem veracitatem revelantis. Aliam fidei descriptionem sanctus Paulus tradit, cum ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* 11.). *Substantia* dicitur fides; quia est primum fundamentum ad sperandam beatitudinem: *argumentum* vero, sumendo causam pro effectu; quia fides est firmus assensus, qui alias argumentis obtinetur. Vid. sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 1.

Fidei itaque divinæ *objectum* omnes illæ res sunt, quas Deus revelavit, & inter quas Deus ipse qua Author gratiæ, & gloriæ primatum tenet,

tenet, propter quod fides *Theologica* dicitur: cum autem res istæ solo rationis naturalis lumine cognosci numquam potuissent, divinæ revelationis, ac gratiæ lumen præcederet, necessum fuit, hancque ob causam fides *supernaturalis virtus* vocatur.

Fidei *motivum* est auctoritas Dei revelantis, quæ ex illius infinita sapientia, & veracitate quodammodo coalescit. Qua infinite *sapiens*, & omniscius Deus falli non potest: qua infinite *verax* fallere nec vult, nec potest; quia alias prima ac essentialis veritas non esset. Hinc est, quod Deus *firmum*, ac indubitatum fidei assensum a nobis requirat. Quas enim ipse revelavit, veritates sua certitudine omnes hominum assertiones, omnesque naturales scientias longe exsuperant (*a*).

Fides, quæ caritatem sibi contubernalem in anima habet, *formata;* quæ caritatis consortio destituitur, *non formata*, seu *informis* nuncupatur. Qui omnibus aut pluribus propositis fidei

(*a*) Hac de re Innocentius XI. anno 1679. sequentes damnavit propositiones: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium* est n. 19. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem,* est n. 20. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* 21. Item: *Fides lata dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit* est n. 23.

fidei articulis assentitur, assensum *explicitum*; qui aliquibus principalioribus assentitur, cæteris utcumque contentis, vel connexis assentiri paratus, assensum fidei quoad non expressa *implicitum* dedisse reputatur. Quisquis fidem, quam mente tenet, exterius manifestat, actum fidei externum ponit, qui ore factus *confessio*; opere completus *professio* vocatur.

Verum fidei exstat præceptum. *Qui non crediderit, condemnabitur* (*Marc. ult.*). Et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* 11.). Tam multi, tamque clari in sacris litteris de fidei obligatione textus occurrunt, ut ipsa veluti in meridie cæcutiat, qui eamdem non videat (*a*).

De tempore, quo præcepto huic satisfieri debet, nec ipsi Doctores concordant. Infidelem, quamprimum ipsi fidei mysteria sufficienter proposita sunt, ad assensum, ac explicitum fidei actum teneri, vix ullus catholicorum negat. Puerum ex parentibus orthodoxis natum, discretionis anno inchoato ad eliciendum fidei actum obligari multi ex sancti Thomæ doctrina deducunt. Imo fidei obligationem sæpius per vitam, & intra annum stringere graves Theologi probant, fidemque, iisdem fere, quibus caritatem, circumstantiis renovandam esse monent (*b*).

Fidei

(a) Hinc inter propositiones ab Innocentio damnatas etiam hæc, num. 16ta legitur: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Vid. Not. *pag.* 354.

(b) Sicut caritatis, ita & fidei præceptum pene e medio tollere nonnulli Moralistæ sunt ausi, quorum

Fidei præceptum partim affirmativum, partimque negativum est. In quantum *affirmativum* est, ad assensum nædum internum, sed & actus quosdam externos, puta symboli recitationem, eorumdem sacramentorum participationem, significandam cum membris & Ecclesiæ capite unionem &c. certis in circumstantiis, prout diximus, quosvis fideles obligat; in quantum autem *negativum* est, Christi, fidei, vel unius tantum articuli negationem sive internam sive externam pro quocumque temporis puncto prohibet. Qui me negaverit (ait Christus *Matth.* 10.) *coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ad quæ sanctus Apostolus respiciens ait: *Si negaverimus, & ille negabit nos* (2. *Timoth.* 2.). Peccaret proinde, qui publica auctoritate de fide interrogatus Christianum vel catholicum se negaret; imo & privata persona de religione quæsitus negare eam absque peccato numquam potes; utut fidem rectam in mente retineas; quia mendacium in re gravi committeres; attamen si silentio, vel æquivoco responso, quam intus geris, fidem occultes, aut nugacis interrogatoris curiositati illudas, vix ullus te peccati condemnabit, cui forsan tuo ex silentio &c. illi, qui adsunt, scandalum sumerent.

Recte

---

temeritati sententiam Innocentius dixit, istas proscribens propositiones: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* n. 17. Et: *Sufficit pro Mysteria* (Trinitatis, & Incarnationis) *semel credidisse.* n. 65.

Rectæ fidei negatio nonnumquam indirecte contingit, dum nempe quis cæremoniis, vestibus, aut aliis quibusdam signis utitur, quæ non mere civilia sunt, sed sectam unam ab aliis distingunt. Non igitur licet Mahumetis imaginem in pectore gestare, turcica vel judaica conventicula frequentare; calvinianam communionem adire &c. quia hæc hisque similia solis ejusmodi sectarum professoribus competunt (*a*).

Suppositio jam fidei præcepto; quænam ab omnibus explicite credenda sint; ultra inquiritur. Ad quæstionem istam sanctus Paulus respondet, dum ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit* (*Hebr.* 11.). Deum igitur ceu principium nostrum ac finem, creatorem, & conservatorem, qui boni retributor, ac mali vindex erit, credere tenemur, sicut jam omnes ab Adamo descendentes tenebantur (*b*).

Post

(*a*) Ritus sinenses, quos nonnulli Missionarii tamquam mere *civiles*, ac *politicos* diu tolerarunt, tandem *modo religioso* Confucio &c. exhibitos esse Clemens XI. maturum post examen cognovit, ac damnavit die 19. Martii 1715. Damnata quoque ab Innocentio XI. hæc propositio: *Si quis a potestate publica interrogatur; fidem ingenue confiteri ut Deo & fidei glorioſum consulo, tacere ut peccaminoſum per se non damno.* n. 19.

(*b*) Contrarium denuo hac in propositione Innocentius damnavit: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*, nempe æterni. num. 22.

Post Evangelii promulgationem sufficientem insuper explicitam de sanctissima Trinitate fidem omnino necessariam esse potior Theologorum pars docet, suamque sententiam præprimis in illis Christi verbis fundat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti* (*Matth. ult.*). Incarnationis quoque mysterium ab omnibus Christianis explicite credendum esse, probabilius videtur. *Hæc est vita æterna* (inquit Joannes 1. *Epi. cap.* 17.) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Idem sanctus Paulus confirmat dicens: *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* (*Gal.* 2.); cum enim Jesus Christus Deus homo & fidei, & salutis nostræ auctor sit, explicitum ac præcipuum fidei objectum sit, oportet. Non igitur absolutionis capaces illi sunt; qui quomodocumque hæc ignorant. Vid. *pag.* 210. (*a*).

Præ-

(*a*) Vincibili horum mysteriorum ignorantia absolutionem impediri, ex hac propositione damnata inter Innocentianas 64ta patet: *Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nosiri Jesu Christi.* Eamdem incapacitatem ex ignorantia quoque invincibili sequi melior Theologorum pars tuetur, quorum ratio & auctoritas opinionem oppositam saltem dubiam reddit. In dubiis autem tutius eligendum esse supra (pag. 37.) demonstratum est. Unde si pœnitentem tali sive vincibili, sive

Præter hæc, qui inter Christianos sunt educati, adhuc omnia in symbolo Apostolorum contenta distincte credere tenentur, utut rudis quorumdam memoria ordinate illa capere, ac referre non possit. Orationis quoque dominicæ petitiones, decalogi præcepta, sacramentorum numerum, suscipiendique modum, Ecclesiæ statuta & alia in catechesi puerorum contenta capita scire obligatur, in quantum nempe cujuscumque capacitas, ac discendi opportunitas permiserit. Unde fides magis explicita in adulto quam puero, distinctior in cive, quam villico, explicatior in docto, quam rudi exigitur. Hinc est, quod eruditi, antequam ad gradus aut alia munia promoventur; fidem orthodoxam secundum omnem extensionem profiteri debeant; qua in professione multa continentur, quæ rudioribus vix secundum nomen sunt nota (*a*). Crassam horum ignorantiam ubi

sive invincibili ignorantia laborantem deprehendas, non modo ante absolutionem instruere, sed & ad omnes, quas tali in ignorantia probabilius invalide peregit, confessiones repetendas eumdem hortari, imo adstringere debes.

(a) Hæc necessitate *præcepti;* illa nempe Remuneratoris, Trinitatis &c. mysteria necessitate *medii* explicite ab omnibus sunt credenda, ita ut homo, qui Deum Remuneratorem etiam invincibiliter ignorat, salutem consequi non possit. In casu, quo in duos pœnitentes incideres, quorum unus ea, quæ necessitate medii sunt credenda, invincibiliter ignoraret, alter necessitate præcepti credenda invincibiliter quoque nesciret. Hunc secundum breviter instructum absolvere debes, nisi for-

ubi confessarius in aliquo deprehendit, jvel in-
struere, vel usquedum ista didicerit, absolutio-
nem differre debet, præsertim si pœnitens de
sua obligatione admonitus, oblatam sæpius reci-
piendæ instructionis neglexerit occasionem. Vid.
pag. 216.

CAPUT II.

Infidelitatis notio, & species subjiciuntur.

Fidem quovis peccato subverti tum antiqui quí-
dam, tum recentiores hæretici docuerunt;
quibus novissimum Tridenti celebratum Concí-
lium anathema dixit (*Sess.* 5. *can.* 5.) Sanctus
enim Apostolus ad Corinthios scribit: *Si ha-
buero omnem fidem, caritatem autem non habue-
ro, nihil sum* (*Ep.* 1. *cap.* 13.). Ubi fidem
absque caritate subsistere posse aperte supponit.
Tamdiu enim fides in homine manet, quamdiu
ejusdem intellectus revelatis propter Dei reve-
lantis veracitatem assentitur, qui assensus solo
infidelitatis, non alio quovis tollitur vel impe-
ditur peccato.

Infide-

---

forsan ob aliud motivum differenda absolutio vi-
deatur: primum vero ab iis quæ immediate con-
fessus est, peccatis solvere non potes, nisi etiam
illa, de quibus toto ignorantiæ tempore se accu-
savit, iterato clavibus subjicere, ac de iis sincere
pœnitere velit; quia pro toto illo temporis tractu
sicut salutis, ita & validæ absolutionis ob fidei
defectum incapax fuit. Hæcque differentia i
n eo confessariis probe est notanda.

Infidelitas itaque fidei carentia est, & in negativam, privativam, ac positivam dividitur. Infidelitas *negativa* est carentia fidei in eo, qui nihil umquam de fide audivit: *privativa* est carentia fidei in eo, qui fidei præcones audire renuit, vel auditis assentiri recusat, utut errorem contrarium positive non tueatur: *positiva*, seu contraria est carentia fidei in eo, qui sufficienter de fide audivit, ita tamen ut nædum assensum deneget, sed eam insuper impugnet, atque errorem contrarium propugnet. Variæ infidelitatis species dantur. Præcipuæ sunt *Paganismus*, qui est error contra utrumque testamentum: *Judaismus*, qui est error contra novum testamentum; & *Hæresis*, quæ ab uno vel pluribus novi testamenti dogmatibus aberrat. Ad hanc Apostasia a fide; ad unum ex illis Mahumetismus, & si quæ aliæ sunt, reduci possunt sectæ.

Infidelitas negativa peccatum non est, quia omnino involuntaria. Unde Apostolus ait: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* (*Rom.* 10.) Et Christus: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15.). Est tamen effectus peccati originalis, vel etiam actualis; hinc, qui pereunt, infideles non propter negativam infidelitatem, sed propter originale nondum remissum, & actualia peccata per vitam commissa pereunt (*a*).

Infideli-

(*a*) Hac in materia lapsus est Bajus Lovanienſis Doctor, ac Professor, cujus propterea propositio-

Infidelitas sive privativa, sive contraria peccatum grave est; quia fidei præcepto adversatur ac grandem Deo revelanti injuriam infert. Unde in Evangelio legitur: *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* 3.). Textus alios jam supra attulimus. Quodsi præfatæ infidelitatis species ad invicem comparentur gravior infidelitas contraria, quam privativa, enormior hæresis quam paganismus; quia hæreticus fidem, quam jam semel veram agnovit, cuique se in baptismo obstrinxit, malitiose deserit, quæ aggravans circumstantia in pagano non datur.

Fides sicut meritoria, ita & libera esse debet. Unde non armatos, sed omnino sine baculo Christus suos in mundum Apostolos misit. Non igitur armis, vel pœnis ad fidem amplectendam cogi infideles possunt; sed evangelica tuba invitari. Eos tamen, qui Principibus christianis sunt subjecti, ne Evangelii prædicationem impediant, neve alios, credere volentes, violenter retrahant, aut turbent, quibusvis pœnis compelli posse, sana ratio suadet, & supremæ potestatis jura postulant (*a*).

Ritus

---

tiones numero 79. sanctissimus Pontifex Pius VI. suppresso auctoris nomine damnavit. Præ aliis notandæ hic veniunt sequentes: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia* n. 26. Item: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus peccatum est.* n. 68.

(*a*) Licet infideles Principibus christianis subjecti ad ipsam Christi fidem cogendi non sint, ad fidei tamen

Ritus idololatricos, aliasque superstitiosas cæremonias e sua ditione eliminare, omnibusque inquilinis, ne publice easdem continuent, stricte interdicere Principis officium est; quia ejusmodi ritus nædum cum verbo Dei, sed cum ipsâ naturali lege pugnant, quam pro viribus tueri Princeps tenetur. Nihilominus infideles in quibusdam Christianorum terris pacifice viventes tolerari licite possunt, tum quia conversionis futuræ adest spes; tum quia cautiores in loquendo non minus quam agendo Christianos reddunt. Habitationem, comestionem, lotionem ne Christiani cum Judæis communem habeant, sacri Canones prohibent; eoquod istud infidelium genus præ cæteris Christum blasphemet, & omni, qua potest, via illius Religionem persequatur. Unde vere scripsit, quicumque scripsit: *Felix regnum, e cujus dominiis perpetuo Judæi exulant.*

CAPUT

---

tamen prædicationem, statis temporibus quiete audiendam, pœnis adigi possunt; talisque pœnalis lex conscientiæ vim non inferret; sed crassam eorum in salutis negotio negligentiam suppleret. Hinc Gregorius XIII. *Constit.* 92. statuit, ut Judæi sub pœna interdicti cum fidelibus commercii &c. ad audiendam singulis hebdomadis christianam concionem ab Episcopis compellantur. Methodus infidelem non baptizatum ad Christianismum convertendi synoptice in eo consistit, ut illi ostendatur. 1. Deum quidquam de se revelare posse. 2. Plura actu revelasse. 3. Peractæ revelationis signa esse Sanctitatem doctrinæ, miracula, miram ac humanas vires excedentem propagationem &c. 4. Hæc signa hodie soli Religioni christianæ competere Vid. *pag.* 299.

CAPUT III.

Hæresis notio, divisio & pœnæ.

Hæresis est error seu pertinax dissensio circa fidem in homine qui Christi fidem jam semel suscepit. Definitio ista ex sancto Thomæ (2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2.) est desumpta; qui de ipse sanctum Augustinum ita loquentem inducit: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt; hæretici sunt* (*l. cont. Manich.*). Ex utriusque sancti Doctoris doctrina triplex hæreseos nota deducitur, nempe quod sit 1. error intellectus *circa fidei materiam*, 2. error *pertinax*, 3. error in homine *christiano*, seu tali qui Christi fidem saltem baptismatis susceptione est professus.

Pertinacia hæretica potissimum in eo consistit, quod homo baptizatus libere dissentiat alicui doctrinæ, quam ab Ecclesia orthodoxa omnibus propositam agnoscit, suumque judicium Ecclesiæ judicio præferat, non tam rationum pondere, quam perversæ voluntatis affectu tractus (*a*). Hinc hæresis labem contrahit, qui arti-

(*a*) Fidei mysteria, eo ipso quod in se obscura sint, intellectum non rapiunt, ut ergo hic firmo assensu eisdem adhæreat, *pia* voluntatis *motio* interveniat oportet, uti sanctus Thomas (2. 2. (l. 2. art. 1. ad 3.) advertit. Unde ex opposito ut

articulum negat, quem in Ecclesia catholica canonizatum novit, licet perverso suo judicio eumdem veluti falsum reprobarit. Si enim ille solum, qui articulo a se reflexe cognito ut vero contradiceret, vel cognito ut falso subscriberet, hæreticis accensendus foret, vix ullus exstitisset, aut futurus hæreticus esset.

Sed dices: Homo calvinianus Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem non agnoscit; non igitur mirum, nec pertinaciæ est adscribendum, si hic quosdam ab illa propositos fidei articulos respuat. Ast causæ pessimæ patrocinaris. Calvinista eadem pœnali cæcitate, qua alias fidei veritates, etiam hanc non agnoscit; sicut ne alias, ita ne hanc quoque præcipuam intellectus credat, mala eorum voluntas impedit. Calvinista Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem non agnoscit; sed numquid eam agnoscere facile posset, si prout tenetur, scripturæ testimonia, Patrum documenta &c. rite expenderet; si malam voluntatem corrigeret? (a)

Nædum

---

ut intellectus cuidam erroneo dogmati firmiter assentiatur, *prava* voluntatis *affectio* seu motio eumdem determinet necessum est.

(a) Hic forum Theologicum seu internum a foro juridico rite est distinguendum. *Juridice contumax* declaratur, qui post certum temporis intervallum ac repetitas admonitiones corrigere errorem contempsit. *Theologice contumax* aut pertinax econtra ille censetur qui sciens & volens Ecclesiæ doctrinam vel pro brevi tempusculo rejicit, suumque judicium altiori submittere renuit.

Nædum qui unum fidei articulum proterve negat, sed & ille, qui de eodem deliberate ac positive dubitat tamquam hæreticus in jure habetur (*cap.* 1. *de Hæret.*). Dubium *positivum* in eo datur, qui pensatis motivis, pro & contra pugnantibus, actu positivo judicat, ea concludit, rem hanc incertam esse, quamvis uti certa credatur in Ecclesia. Qui ita animo est constitutus, judicium suum Ecclesiæ judicio præhabet, illamque saltem indirecte erroris arguit, qui ipsissimus hæreticorum est mos. Quod si tamen quis de aliqua fidei veritate nullis contrariis motivis, sed ex ignorantia hæsitet, vel libratis utrinque motivis animum alio vertat, suumque judicium suspendat, immunis ab hæresi manet; quia dubium istud *negativum*, licet periculosum sit satis, atque ad dubium positivum sæpe disponat, pertinacem tamen errorem excludit, adeoque hæreseos malitiam necdum attingit (*a*).

Hæc-

(*a*) Duplici ex motivo quis suum de rebus fidei suspendere judicium potest. 1. Quia nescit, sitne judicium affirmans, vel negans judicio Ecclesiæ conformius; unde ne forte erret, ab utroque abstinet. 2. Quia expensis motivis hic & nunc judicare tædet, aliaque hic magis recogitare libet. 3. Quia voluntas ob contraria hæreticorum fundamenta assensus suspensionem imperat. Motivum primum omnino innocuum; secundum periculosum; tertium hæreticum est; quia (ut Antoine recte observat *de virt. Theol. cap.* 3. *Q. VI.*) ejusmodi dubitans *æquivalenter* judicat, contraria motiva tantum valere, ut incertam illam fidei veritatem reddant, quamvis ut fide credenda

Hæresis a scholasticis in *materialem* & *formalem* dividitur. Hæc est error in fide, cum pertinacia retentus &c. prout supra est dictum: illa error est in aliqua fidei materia ex ignorantia etiam vincibili proveniens, & absque pertinacia assertus, ut dum simplex rusticus divinitatem animæ locum in Christo habere crederet, hancque Ecclesiæ doctrinam esse persuasum sibi haberet, aliter tamen a suis pastoribus instrui paratus. Ejusmodi hæretici seu potius ignorantes non tantum inter Calvinianos &c. sed etiam inter Catholicos non pauci inveniuntur.

Hæresis quoque interna ab externa: occulta a manifesta, hæcque a notoria caute est distinguenda. Hæresis *interna* est error mentis circa fidem, qui nullo signo externo manifestatur: *externa* signo quodam exteriore ac sufficiente proditur. Quodsi signum istud nullo coram teste, sed solitarius emittas, hæresis externa *occulta*; si coram aliis: hæresis tua *manifesta* erit: si denique hi, qui adfuerunt, testes te tamquam hæreticum ad judicem deferant, tuumque crimen sufficienter probent, jam hæresis tua *notoria*, notorietate facti & juris erit (*a*).

Cætera

da ab Ecclesia proponatur, sicque æquivalenter judicat, Ecclesiam in rebus fidei infallibilem non esse, illiusque judicio acquiescere non vult, quod commune hæreseos judicium est.

(*a*) Ab hæresi mere *interna* quilibet approbatus confessarius: ab hæresi *externa* extra mortis articulum locorum Ordinarii, & alii specialiter ab

his

Cætera inter peccata hæresis (prout jam supra notavimus) sua malitia eminet, fidei enim lumen, quo prætiosius est nihil, in homine extinguit, eumque in regione dissimilitudinis constitutum longe a Deo removet. Unde sanctus Paulus ad Titum scribens ait: *Hæreticum hominem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus* (*cap.* 3). Hinc pœnis tum positivis, tum privativis externos in hæreticos Ecclesia animadvertit. Excommunicatio major ipso facto incursa jam ab Ecclesiæ exordio communis hæreticorum pœna fuit. Præter hanc *Clericus* de hæresi convictus privatur beneficio, ac nimium pertinax inventus sæculari extradit potestati; Laicus vero si notoria ejusdem hæresis sit, irregularis, infamis, & fisco obnoxius, privatur jure testandi, & in hæreditate succedendi: servi ab ejus eximuntur potestate, at tandem sacra excluſus sepultura manet. Iisdem fere pœnis, ac præprimis excommunicatione omnes hæreticorum fautores, defensores, re-

cepto-

---

his designati absolvunt. Ab hæresi vero notoria ad forum contentiosum jam deducta de jure ordinario solus Papa absolvere solet, qui tamen hanc absolvendi potestatem plerisque Episcopis, sive expresse, sive tacite commisit, vel (ut alii volunt) postliminio ad eosdem redire permittit. Sed de hæresis reservatione suo loco plura. Hic tamen adhuc notanda ista ab Alexandro VII. confixa propositio: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* n. 5.

ceptores &c. Lateranensi in Concilio fuere subjecti.

Quo gravius hæresis malum, eo cavenda magis illa sunt, quæ illud inducere solent. Horum præcipua sunt libera ac incauta cum hæreticis conversatio, imprudens de fidei rebus disputatio, ac curiosa librorum hæreticorum lectio, jure tam naturali, quam positivo interdicta.

Libera cum hæreticis conversatio erit, si absque justæ necessitatis titulo continuetur: *incauta*, si ad familiarem usque amicitiam pertingat. Hæretici quippe subtilissimis funiculis, quos astutia plexit, improvidos captivant, & quin hi advertant, suos ad errores pertrahunt, aut saltem dubios, ac frigidos in rebus fidei reddunt. Hanc ob causam juxta Apostoli monitum hæreticos omnes, tamquam excommunicatos vitari Ecclesia præcepit. Rigida hæc disciplina Constantiensi in Concilio temperata fuit, iisque in terris, ubi Catholici cum hæreticis permixti vivunt, civilis conversatio fuit concessa. Lex tamen naturalis, quæ periculum peccandi submotum cupit, adhuc hodie viget; ac præprimis parentes obligat, ne suos filios ad hæreticorum Academias mittant: famulos & famulas obligat, ne hæreticis serviant, si Catholicus dominus haberi possit. Nec eos notabilis mercedis excessus seducat: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* 16.)?

Imprudenter cum hæreticis disputat, qui debita scientia destitutus cum illis ultro congreditur non sine magno succumbendi periculo, quod plerumque in laicis sæcularibus timetur: unde hisce omnem de fide disputationem sacri canones prohibent, eosque, qui scienter contravenerint, excommunicatione feriunt (*cap. 2. de Hæret. in 6.*) (*a*); a qua tamen immunis illæsus manet, qui in absentia clerici protervum quendam hæreticum pro viribus redarguit, ut calumniam ab orthodoxa fide, & scandalum a præsentibus propellat.

Culpabili *curiositate* libros hæreticos legere censetur, qui ex mera sciendi cupiditate, aut saltem absque obtenta licentia legit. Sicut hæresim, ita & hæreticorum libros Ecclesia semper est detestata: unde ne quis libros, hæresim continentes, absque expressa licentia legere præsumeret, sæpius renovata lege cavit, huicque majus robur adderet, excommunicationis pœnam (per regulam decimam Indicis, & Bullam cœnæ adjec-

(*a*) Juxta Sylvium, Sylvestrum aliosque excommunicatio ista non latæ, sed ferendæ sententiæ est. Imo in terris, ubi catholici hæreticis convivunt disputationem solummodo publicam aut solemnem, non vero privatam discursus gratia susceptam sub excommunicationis pœna esse prohibitam cum aliis Amort opinatur. Hisce & ego lubens subscribo, dummodo de disputatione defensiva, non offensiva libere a catholico laico inchoata, ac continuata hi Auctores loquantur; hocque & nihil ultra eorum rationes evincunt.

adjunxit. In provinciis variis nec promulgata, nec recepta ista lex fuit; unde curiosi ibidem lectores nullius quidem canonicæ pœnæ, peccati tamen gravis reatum incurrunt, nisi ignorantia, aut parvitas materiæ (qualis paucarum linearum aut unius columnæ lectio foret) eosdem excuset (*a*). Porro

(a) Non solum in Bulla cœnæ, & Tridentino indice, sed recentioribus quibusdam Constitutionibus, uti Constitutione 74. Sicti V, Constitut. 36. Clementis VIII. eadem excommunicationis pœna de novo confirmata fuit. An forsan hæ quoque constitutiones in Galliis, aliisque in provinciis non sunt receptæ? Porro ut hæc incurratur pœna, requiritur. 1. Ut liber sit ab auctore hæretico conscriptus. 2. Ut liber de Religione ex professo tractet. 3. Ut notabilis ejus pars cum prohibitionis scientia legatur. Eadem censura illi, qui scienter tales libros imprimunt, aut imprimi curant, notabili tempore retinent, defendunt &c. perstringuntur. Opportune hic observandum, libros prohibitos in tres distingui classes posse. In *prima* sunt libri ab hæreticis in materia fidei conscripti. Hos qui scienter legit, ipso facto excommunicationem Papæ reservatam incurrit. In *secunda* sunt libri ab alio quovis auctore compilati, obque hæresis suspicionem prohibiti. Horum lectione excommunicatio, specialiter Papæ non reservata incurritur. In *tertia* classe illi collocantur libri, qui alio titulo, puta ob scomata, lasicivam, aut doctrinæ laxitatem sunt interdicti, horumque lectores contra legem ecclesiasticam, & ob perversionis periculum sæpe contra legem naturalem peccant; nulli tamen censuræ subjiciuntur, utut puniri ab Episcopis possint. Ita P. Billuart Dissert. *de fide. art.* 3. §. 4. Ubi

ro ex legislatorum mente non solum qui ipse legit, sed & qui alium ad prælegendum subdole inducit, hac lege comprehenditur. Libri quoque nomine non solum copiosi tractatus, sed conciones, epistolæ polemicæ dissertationes &c. praxi ecclesiastica subintelliguntur; magis enim non raro ejusmodi fragmenta, quam ampla volumina nocent.

CAPUT IV.

Apostasiæ notio, divisio, ac pœnæ.

Apostasia generice sumpta, prout eam sanctus Thomas definit (2. 2. *quæst.* 12. *a.* 1.) est retrocessio a Deo. Hacque ratione omnis peccator apostata dici potest, specialius accepta est retrocessio a bono, quod quis solemniter professus est. Bonum spirituale quod christianus homo solemniter profiteri potest triplex est: fides videlicet, ordo clericalis, & ordo monasticus: unde Triplex Apostasia a Moralistis distinguitur, nempe a fide, a Clericatu, & a religioso statu.

Apostasia *a fide* est retrocessio a tota fide, seu Religione christiana, quam quis in baptismate &c. suscepit. Cum hæresi fere coincidit; quoad dissensus tamen objectum ab illa differt. Hæreticus enim unum vel alterum fidei articulum perfide deserit aut negat: apostata integram articulorum compagem abijcit, ac a tota Christi fide recedit.

Mari-

Bullæ *cœnæ*, & regulæ decimæ *Indicis* verba allegat, suamque inde sententiam firmat.

Maximum est apostasiæ peccatum, ipsamque hæresim sua malitia vincit. Hinc sapiens ait: *Homo apostata vir inutilis, gradiens ore perverso* (*Prov.* 6.) Et sanctus Petrus: *Melius erat eis veritatem non cognoscere, quam post cognitam retroire* (2. *Pet.* 2.) Eædem proin canonicæ pœnæ, quæ hæreticos, etiam apostatas concernunt (*a*).

Apo-

(*a*) Ut ordinata, ac firma cujusdam hæretici fiat conversio, aliis ante conversionem aliis in conversione, aliis post conversionem adminiculis eumdem juvare Catechista debet. *Ante conversionem* dum nempe adhuc de veritate doctrinæ non minus suæ, quam catholicæ angitur blande admonendus est. 1. Ut ad Patrem luminum humiliter confugiens sæpius ingemiscat: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte.* 2. Ut veræ Ecclesiæ notas Unitatem, Sanctitatem, Orthodoxiam, & Apostolicitatem attente perpendat, ac ubinam sint, inquirat. 3. Ut præter S. Scripturas non unice spiritum privatum, utpote omnium errorum parentem, sed Ecclesiam veritatis Magistram auscultet. 4. Ut affectum carnis, ac humanum respectum missos faciat, memor illius Christi effati: *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (*Luc.* 9.). *In conversione* 1. Pessima, quæ de Ecclesia Romana jam in pueritia hausit, præjudicia sunt auferenda. 2. Sedula de fidei articulis instructio facienda. 3. Fidei exigenda professio, quæ coram Sacerdote superpelliceo induto, & duobus saltem testibus est emittenda. 4. Ab hæresi absolutus ad pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta admittatur.

Apoſtaſia *ab ordine clericali* eſt retroceſſio ſtatu clericali, quem ſacri ordinis ſuſceptio quis eſt profeſſus, ac tranſitio ad ſtatum ſæcul rem absque legitima diſpenſatione Superiorum Per ſacri enim ordinis ſuſceptionem homo ſp cialius Deo obſtringitur, ſicut miles Regi: u de ſicut hic clancularia abſceſſione deſertor, i ille infamis Apoſtata evadit.

Pœnæ canonicæ ejusmodi apoſtatarum ſu 1. Amiſſio privilegii canonis, & fori (cap. de *Sent. Excommunicat.*) 2. Excommunica ferendæ ſententiæ nondum contracto; & la ſententiæ contracto jam matrimonio (cap. 3 *eod.*) & Clement. *unic. de Conſang.* 3. Incarc ratio (cap. 5. *tit. eod.*) 4. Infamia ex facto n torio promanans, ex qua etiam irregularit oritur.

Apoſtaſia *ab Ordine religioſo* eſt retroceſſ ab ordine approbato poſt ſolemnem profeſſione absque legitimæ diſpenſationis, aut licentiæ rerventu facta cum intentione non amplius deundi. Qui absque hac intentione a ſuis m naſteriis abſcedunt potius vagabundi, quam apo ſtatæ ſunt dicendi.

Etiam

---

tur. *Poſt converſionem* monendus eſt, ut *fugi* 1. Superbiam, 2. hæreticorum conſortia, 3. c rioſam lectionem, ac inveſtigationem; eccl vero ut *ſtudeat*, 1. fidem magnificare, 2. p conſtantia Deum rogare, 3. fidei actus ſæp elicere, 4. addiſcendis melius fidei myſter operam navare &c. Hæcque ipſa remedia e catholicis, circa fidem tentatis, optime ſ vient.

Etiam pro his quædam in jure ſtatutæ inveniuntur pœnæ. 1. Qui ordinem deſerit, ſimulque ſacrum habitum ſeponit ipſo facto majore excommunicatione innodatur (cap. 2. *ne Clerici, & Monachi* in 6.). 2. Qui retento habitu ſolum ab ordine abſcedit excommunicationi vel latæ, vel ferendæ ſententiæ ſubjacet, prout nempe cujusque religioſi inſtituti leges denotant. 3. Excommunicationem quoque latæ ſententiæ incurrunt vagabundi, qui nempe animo ſolum vagandi quoad tempus monaſterii ſepta deſerunt (*cap. cit.*). Scandalis propemodum infinitis, quæ a circumerrantibus hiſce monachis per provincias propagantur, omnes iſtæ pœnæ, hisque majores debentur. Sed de his plura Canoniſtæ.

SECTIO II.

DE SPE ET VITIIS OPPOSITIS.

CAPUT I.

Spei notio, & obligatio.

Fuerunt, qui ſpem a cæteris virtutibus Theologicis non diſtinxerunt. Ab his moderni hæretici non multum differunt, dum ſpem cum fide confundunt, omnesque ſola confidentiali in Chriſtum fide ſalvari contendunt. Aſt ſanctus

Paulus ſpem a fide diſtinctam recenſet (Co 13.), ac communis hæc doctrina ſemper Eccleſia viguit (*a*).

Eſt autem ſpes virtus Theologica, qua Deu ceu futuram beatitudinem noſtram auxilio di no fulti ſecure expectamus.

Objectum ſpei *primarium* ipſe Deus eſt *ſecundarium* divinum auxilium aliaque medi quibus ad Deum ceu beatitudinem finalem pe tingere homo poteſt. Motivum ſpei, ſeu ra ad ſperandum nos inducens, Dei promiſſio omnipotens fidelitas, ac fidelis Omnipoten eſt. Qua *omnipotens* promiſſa dare poteſt, qu *fidelis* eadem dare vult, ac infallibiliter dabi

(*a*) Pulchre id ſanctus Thomas declarat. „ Dice„ dum (inquit 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 4.) quo„ virtus aliqua dicitur eſſe Theologica ex hoc„ quod habet Deum pro objecto, cui inhære„ Poteſt autem aliquis alicui inhærere duplicite„ uno modo propter ſe ipſum: alio modo i„ quamtum ex eo in aliud devenitur. Caritas„ ergo facit hominem Deo inhærere propter „ *ipſum*, mentem hominis uniens Deo per affe„ ctum amoris: ſpes autem & fides faciunt ho„ minem inhærere Deo, ſicut cuidam principio„ ex quo aliqua *nobis* proveniunt. De Deo au„ tem provenit nobis & cognitio veritatis, & „ adeptio perfectæ bonitatis. Fides erga fact„ hominem inhærere Deo, in quantum eſt nobis„ principium cognoſcendi veritatem . . Spes„ autem facit Deo adhærere, prout eſt nobis„ principium perfectæ bonitatis, in quantum„ per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitu„ dinem obtinendam.

nisi desidia nostra obicem ponat, hisque bonis indignam se reddat. Hinc est, quod Psalmista canat: *Spera in Domino, & fac bonitatem* (*Psalm.* 36.). Et: *In te Domine speravi, non confundar in æternum* (Psalm. 30.). Quantum potentia divina humanam, tantum spes divina quamcumque humanam sua securitate excedit. Aberrant proin, qui Dei propemodum obliti in filiis hominum, in quibus non est salus, spem suam collocant; quasi futura nulla essent, præsentibus hisce ac mundanis bonis inhærent. Nihilominus post Deum etiam in homine veluti Dei instrumento moderatam spem reponere licitum est, hocque causarum secundarum subordinatio exigit, & sana ratio dictat.

Spes Theologica fidei innititur, hujusque motivum fidei motivum supponit: unde, qui fide carent, infideles & hæretici spem veram habere non possunt. Econtra, qui fidem servant, peccatores amissa caritate adhuc spem, informem licet, retinere valent; quia spei fundamentum, quod fides est, illiusque motivum, quod in Omnipotentia auxiliatrice consistit, in malis ejusmodi subjectis locum habet: hinc sicut fides, ita & spes recte in *formatam* & *informem* a Theologis dividitur (*a*). Vid. *pag.* 131. & *seq.*

Quem-

(*a*) Hæcque spes vera, non prosumptio est. Sperare beatitudinem *obtinendam sine caritate* præsumptuosum est; non vero sperare sine caritate beatitudinem *obtinendam per caritatem.* In casu

Quemadmodum fidei & caritatis, ita & spei præceptum sæpius per vitam obligat (a). Utriusque testamenti paginæ hoc clare insinuant. *Sperate in eo omnis congregatio populi* (*Psalm.* 65.). *Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam* (2. *Pet.*). Temporis punctum, quo obligationi huic satisfaciendum, accurate adeo designari non potest, prout jam supra de præcepto caritatis & fidei innuimus. Opportunum præprimis spei exercitium erit, 1. Cum de peccatis pœnitere, nosque ad justificationem præparare tenemur (Trid. Sess. 6. *de Justificat.* cap. 6.). 2. Cum gravi desperationis tentatione invadimur; quia contraria contrariis pelluntur. 3. Cum maxima nos undequaque mala premunt. *Nam tribulatio* (ait Apostolus *Rom.* 4.) *patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio vero spem.* Et Psalmista: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* (*Psalm.* 31.). 4. Cum mortis articulus imminet; tunc enim ex periculoso mundi hujus mari ad salutis portum, terramque desiderabilem appellendi tempus instat; spem igitur apprehendamus oportet, *quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam* (*Hebr.* 6.). Validius, ac per totam vitam, tunc tentator insistet; frustraneus tamen hic assultus abibit, si

---

nostro hoc secundo, non primo modo peccator sperat.

(a) Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium num.* 3

si crucifixi imaginem intuens, aut manu tenens æger respondeat: *Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* (*Psalm.* 26.).

CAPUT II.

Præsumptionis vanitas, ac desperationis horror exponuntur.

Desperatio & præsumptio spei opponuntur; hæc quidem per excessum, illa per defectum nobilem istam virtutem destruit.

Præsumptio quæcumque inordinata voluntas est aggrediendi ea, quæ proprias vires excedunt; prout tamen hic spectatur, est inordinata seu temeraria beatitudinis, & mediorum illuc conducentium exspectatio. Duplici ex capite *temeraria* isthæc exspectatio evadit, 1. cum homo nativis suis viribus, ac virtutibus æternæ beatitudinis mercedem deberi elate confidit; 2. cum homo peccator ita divinæ misericordiæ vel potentiæ innititur, ut peccatorum veniam sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis sibi conferendam confidat. Illa *prior* ex vana gloria, hæc *posterior* ex superbia oritur; dum nempe homo ita se æstimat, ut se etsi peccatorem nec venia, nec gloria indignum existimet. Utraque, si pertinaci intellectus judicio sit juncta, sive pelagianam, sive calvinianam *hæresim* spirat; distinctamque peccati gravitatem habet: si vero istud judicium desit, solaque praxi inordinate quis confidere videatur, præsumptio *simplex* erit,

erit, quæ ſæpe cum Dei tentatione coincidit (*a*).

Deſperatio eſt diffidentia de obtinenda beatitudine, vel acquirendis remediis illuc conducentibus. Diffidentia hæc (prout ſanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 20. *art.* 4. advertit) nonnumquam ex luxuria oritur, qua homini carnalibus aſſuefacto divina vileſcunt: nonnumquam autem ex accidia, qua homo animo ita dejicitur, ac proſternitur, ut bonum aliquod arduum ſibi & per ſe, & per alios impoſſibile acquiſitu reputet. Angelici Doctoris verba lacrymabili experientia confirmant.

(*a*) Qui peccat, aut in mala conſuetudine perſeverat, quia pœnitentiæ gartiam quovis tempore, vel ſaltem in mortis articulo ſibi a Deo conferendam ſperat; ita ut veniæ ſpe ad peccandum alliciatur præſumptionis peccatum committit; quia divinæ miſericordiæ nimium innititur, ac quaſi cum ea ludit, ſecus ſentiendum; ſi veniæ ſpes concomitans occaſio ſit, eumque ſolummodo ad *liberius* peccandum excitet; hæc enim circumſtantia aggravans, non ſpeciem mutans foret. Porro Confeſſarius, antequam remedia contra præſumptionis malum ſubminiſtret; in ejusdem radices indagare debet. Præſumptionem ex judicio ac pertinacia *hæreticali* progna-tam ea, quæ ſupra (*pag.* 437.) ſunt propoſita remedia tollent: ex ſuperbia protuberantem illa, quæ (*pag.* 237.) commendata, antidota deſtruent. Generice autem proderit conſiderare. 1. Divinam juſtitiam, quæ repentine, in ictu oculi peccatis ſimul & vitæ limites ponit. 2. Difficultatem converſionis nimium dilatæ, ita ut facilius ſit a concupitis ſtatim abſtinere, quam ſemel aſſueta deſerere.

mantur. Quodſi homo ideo deſperet, quia peccata ſibi a Deo remitti *non poſſe* credit, deſperatio *hæretica*, ſi vero ideo, quia Deum remittere jam *non velle* exiſtimat, deſperatio *ſimplex* erit.

Deſperationis peccatum graviſſimum eſt, divinæ miſericordiæ, & potentiæ maxime injuriosum; nec umquam materiæ levitatem admittit. Inter peccata contra Spiritum ſanctum primatum tenet, ipſaque infidelitate, aut Dei odio periculoſius; quia uti ſanctus Thomas notat (2. 2. Quæſt. 20. art. 3.) in omnia peccata hominem abripit. Unde Apoſtolus ait: *Qui deſperantes semetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ, & avaritiæ* (*Epheſ.* 4.). Et Iſidorus (*lib. de ſum. bono.*) ait: *Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ eſt; ſed deſperare eſt deſcendere in infernum.*

Sufficientia deſperationis ſigna in eis ſunt, 1. qui malitioſo voluntatis propoſito concionatores, ſuperiores &c. poſthac non amplius audire ſtatuunt, 2. qui ſacramenta veluti inutilia contemnunt &c. 3. qui ſepoſitis chriſtianæ fidei ſignis, qualia communiter Roſaria, Scapularia, Cruces, Agnus Dei &c. reputantur, antequam laqueo ſe ſuſpendunt, aquis immergunt, ſtudioſe abjiciunt, aut omnino pedibus conculcant &c. niſi forte prædominanti cuidam paſſioni, quæ rationem obtenebrat, aut melancholicæ complexioni, aut cerebri debilitati &c. hujusmodi adſcribi inſania poſſit (*a*).

Omnes,

(*a*) Deſperatio *hæreticalis* textibus ſcripturiſticis, quales plurimos Davidis Pſalterium continet, eſt con-

Omnes, qui desperabundi ex hac vita emigrant, recognita rite desperatione ecclesiastica sepultura privantur; illi vero, qui blasphemiæ aut hæreseos crimen desperationi superaddunt; iisdem cum civilibus, tum canonicis, quos jura in blasphemos & hæreticos statuerunt, obnoxii fiunt pœnis.

---

confundenda. Qui ex *acedia* in desperationem sunt prolapsi aut proxime prolapsuri pharmaca contra acediæ malum supra (*pag.* 288.) præscriptis, sunt curandi. Qui denique ex pessima *luxuriæ*, aut aliorum peccatorum *consuetudinibus* &c. desperant, ut consuetudinem deponere, occasionem aut relinquere, aut ex proxima remotam facere, ac tumultuantem conscientiam confessione vel generali, vel annua &c. tranquillam reddere studeant, blande, ac mansuete sunt admonendi. Hac peracta confessione ut venia succrescat spes. 1. Maximis encomiis Dei commendetur misericordia. 2. Proponantur notissimæ de ove perdita, de filio prodigo parabolæ. 3. Magdalenæ, Dismæ, Davidis &c. aliarumque conversionum narrentur historiæ. 4. Quotidianum spei exercitium, ac singulares erga Christi vulnera, Beatissimam Virginem &c. devotiones præscribantur. 5. Contra melancholiam tam naturale, quam spirituale procuretur remedium.

SECTIO

SECTIO III.

DE CULTU DEO DEBITO.

CAPUT I.

Adoratio interna & externa Deo debetur.

Adoratio actus Religionis est, quo nostram submissionem, & alterius excellentiam contestamur. Tres adorationis species Theologi distinguunt: Latriam, Hyperduliam, & Duliam. *Latria* est cultus ob infinitam excellentiam Deo tamquam primo principio, & ultimo nostro fini exhibitus. *Hyperdulia* est cultus Beatæ Mariæ Virgini ob singularem, quam inter Sanctos habet, Deiparæ dignitatem exhiberi solitus. *Dulia* est cultus, qui hominibus sanctis, qua specialibus Dei amicis, ac Spiritus sancti templis defertur. Tanta hos inter adorationis actus differentia est, ut hæretici eam potius nolint, quam non possint videre. Sola latria adoratio proprie dicitur, hancque communius Patres & Theologi intelligunt, dum adorationis nomen proferunt (*a*).

Soli

(*a*) Virtus, qua debitus Deo cultus exhibetur, *Religio* dicitur, quæ propterea inter morales præcipua est. Actus ejus prior *devotio* a sancto Thoma

Soli Deo debetur adoratio, quia ipse est primum esse, omniumque creaturarum auctor, dominus, & conservator. Hoc hominibus aperte Deus ipse præcepit inquiens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui* (*Deut.* 6.). Quia huic præcepto Judæi non obtemperarunt, ideo tam gravibus supplicis dilectum populum suum punivit, ut in captivitatem sæpius abduceretur, ut urbs sancta ab Assyriis & Babyloniis destrueretur, ut Templum ipsum ignis absumeret.

Abolita hodie fere est Idololatria; & in remota solum aliqua Asiæ vel Americæ provincia divina dæmon obsequia sibi vendicat. Verum licet exterius ab hominibus Deus adoretur, pauci tamen illum corde adorant, ubi passionum suarum idola colunt. Avaritiam vocat Apostolus Paulus *idolorum servitutem* (*Ephes.* 5.). Ubi autem non regnat avaritia? Ad sanctuarium usque pervenit, in quo mille perpetrat scelera & scandala.

Adora

Thoma ponitur (2. 2. *Q.* 82. *art.* 1.) & ab eodem definitur, quod sit actus voluntatis prompte exequendi ea quæ ad Dei servitium, ac famulatum spectant. Ex hac pia voluntatis promptitudine alii adhuc actus, scilicet *oratio*, *adoratio*, *sacrificium* fluunt, & eo, quo oportet, modo fiunt. vid. sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 2. Devotio sancta meditatione gignitur & nutritur juxta illud: *In meditatione mea exardescet ignis* (*Psalm.* 38.), ac tandem sanctum in *fervorem* excrescit, prout idem S. D. probat.

Adoratio Deo debita alia est exterior, interior alia, & dici quodammodo potest exteriore, si interior absit, offendi Deum potius, quam honorari. Samaritanæ dixit Christus: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum* (*Joan.* 4.). Porro Deum in spiritu & veritate adorare, est illum adorare per Jesum Christum, & in spiritu fidei. Christus solus dignus est & capax Deum perfecte adorandi; neque ante ejus adventum Deus sic est adoratus, templum enim, quod Salomon ædificarat, eum continere non poterat, ut ipse fatetur, neque ullam habebat cum Dei excellentia, magnitudine, ac majestate proportionem; sicuti neque incensum, aut victimæ, quas super altare Sacerdotes offerebant. At mundum ingressus Jesus Christus Incarnationis suæ humiliatione, suique in Cruce oblatione illum, sicut oportet, adoravit. Ab hac adoratione hominum adoratio meritum sumit. Hinc ut Deum adoremus, corporis Filii sui membra esse debemus; nec sine fide hujusce corporis membra esse possumus.

Fidei etiam spiritu Deum homines sicut oportet adorant, qualis nempe Deus est. Porro solus fidei spiritus Deum qualis est intuetur, ad perfectiones suas omnes suaque mysteria se extendens, sine limitatione ulla, quam quælibet lux alia patitur, quæ in hoc imperfecta est, & errare potest.

Jesus Christus christianæ adorationis objectum est, non modo verum & naturale, sed, si dicere fas est, pium & sensibile, in tribus præcipue mysteriis, in ejus *Infantia*, in ejus *Passione*, & in sanctissima *Eucharistia*, in quibus præsertim suum erga nos amorem & pietatem declarat. Usque ad sæculi consummationem in Eucharistia ille moratur, ut in ea jugiter Deum adoret, & ut ibi a fidelibus ipse adoretur, tamquam eorum Deus atque Redemptor.

Christianorum cultus non ita spiritualis esse debet, ut non sit etiam exterior; videlicet præter spiritus adorationem, quæ fide & amore perficitur, externi aliqui actus sunt exercendi, veluti templorum veneratio, genuflexiones, aliique similes. Veteres Anachoretæ se prosternebant, & prona in terram facie orabant. Innumeras pene in dies singulos genuflexiones Simeon Stylita exercebat.

CAPUT II.

Orationis notio necessitas, ac conditiones.

Oratio, prout eam post sanctum Damascenum (*lib.* 3. *cap.* 24.) Theologi definiunt, *est decentium a Deo petitio.* A Deo omniscio, summe provido ac liberali nihil petendum esse nonnulli hæretici existimarunt. Ast vana hæc est objectio: Non enim (inquit sanctus Thomas 2. 2. *Quæst.* 83. *art.* 2. *in corp.*) propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus,

mus, ſed ut id impetremus, quod Deus diſpoſuit, per orationes eſſe implendum, ut ſcilicet *homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare*, ut Gregor. dicit *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 8. Non igitur injuriam ſed debitam reverentiam homo, cum orat, Deo exhibet, ac præcipuum Religionis actum exercet, in quantum ei ſe ſubijcit, ac profitetur, Dei gratia ſe indigere, ut bonum exequatur, vel malum vitet (*a*).

Sicut Fidei, Spei, Caritatis, ita & orationis nullum directum exſtare præceptum nonnulli Caſuiſtæ docuere. Juxta abſurdam hanc doctrinam harum virtutum exercitium non propter ſe ipſas, ſed indirecte propter tentationes ſuperandas, aut virtutes obtinendas Deus præcepit, quemadmodum ſapiens Medicus medicinam, aut phlebotomiam non propter ſe ſed propter morbi propulſationem ægroto injungit. Ex quo adhuc alia deteſtanda ſatis illatio ſequitur, quod ſicuti aliquis valetudine tam firma frui poteſt, ut

(*a*) Nota cenſoria Innocentius XI. iſtam Michaelis Molinos propoſitionem ſtigmatizavit: *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere eſt imperfectio.* Quod vero nædum juſti, ſed etiam peccatoris oratio (dummodo hic non qua peccator quidquam Dei voluntati adverſum petat) conveniens ac utilis ſit, ex hac damnata Quesnelli propoſitione patet: *Oratio impiorum novum eſt peccatum, & quod Deus illis concedit, novum eſt judicium.* Eſt *num.* 59.

ut ægritudinem nullam patiatur, nec purgationis aut phlebotomia umquam egeat, ſic aliquis nec vehementibus jactatus affectibus, nec blandis illectus cupiditatibus vitam ſuam omnem transigere poſſet, quin umquam deberet Deum orare, aut Fidei, Spei, & Caritatis actus exercere. Quæ tandem erit blaſphemia, ſi hoc nomine doctrina iſta non eſt vocanda? Aut quomodo chriſtiana omnis Religio labefactari poterit, ſi non hoc pacto tota funditus evertitur? Nam qualis demum erit Chriſtianus ſine fide, ſpe, & caritate, & absque harum actibus? Tota vita chriſtiana (inquit Auguſtinus) oratio eſt continua, quia perpetua illa eſt ſpes, & deſiderium.

Directum itaque, ac ſpeciale orationis praeceptum Chriſtianos obligat, cui in diebus feſtis ſaltem majoribus, eſt obtemperandum. *Orate* (inquiebat Chriſtus *Matth.* 26.) *ut non intretis in tentationem.* Et: *Petite, & accipietis* (*Matth.* 7.) *Oportet ſemper orare* (*Luc.* 18.). Unde & ſanctus Auguſtinus ait: *Conſtat Deum dare non orantibus, ſicuti initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicuti usque in finem perſeverantiam* (*de dono perſever.*). Peccant proin, qui orationem perpetuo negligunt; qui tentationis tempore gratiam, ſuperandæ tentationis neceſſariam, a Deo efflagitare omittunt.

Bona, quæ a Deo ſunt petenda, Oratione Dominica comprehenduntur. Sicut lex æterna aliarum legum, ita oratio dominica cæterarum precationum norma eſt, omnesque divina ſua origine, ſingulari brevitate, ac utilitate præ-

dit. *Si recte, & congruenter oramus* (inquit ſanctus Auguſtinus *ad Probam cap.* 12.), *nihil aliud dicere poſſumus, quam quod in iſta oratione dominica poſitum eſt.* Doctor quoque Angelicus orationem iſtam tamquam omnium *perfectiſſimam* commendat; quia in hac *Non ſolum petuntur omnia, quæ recte deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine, quo deſideranda ſunt, ut ſic hæc oratio non ſolum inſtruat poſtulare, ſed etiam ſit informativa totius noſtri affectus* (2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 9.). Aberrant proinde, atque a Confeſſariis, aut Parochis inſtruendi ſunt, qui poſthabita dominica oratione ad alias, ſæpe exſuccas, aut omnino ſuperſtitioſas oratiunculas confugiunt, gentiliumque more in multiloquio exaudiri a Deo cupiunt; non enim quantum, ſed quomodo oretur, Deus attendit (*a*).

Ut oratio noſtra cœlos penetret, atque poſtulata impetret, iis, quæ ſequuntur, conditionibus

(*a*) Orationis hujus initium ad fiduciam & reverentiam orantes excitat. Prima & ſecunda petitione Nomen, Deique *gloriam* ubique notam, nosque illius gloriæ aliquando *participes* fieri rogamus. Tertia & quarta divinæ voluntatis ac legis adimpletionem, ac panem tam corporalem, quam ſpiritualem ceu apta ad gloriam perveniendi *media* petimus. In tribus ultimis peccati commiſſi reatum, comittendi periculum, & quævis mala ceu beatæ gloriæ *impedimenta* auferri a nobis efflagitamus. En quomodo omnia, quæ rationabiliter a Deo petere homo poteſt, dominica in oratione veluti in compendio ſint contenta.

nibus prædita sit oportet. 1. Interior esse debet, attente nimirum, & reverenter facta: e corde potius, quam ore eructata; quoniam Deus spiritus est, & cor nostrum postulat. *Orabo spiritu* (ait sanctus Paulus 1. *Cor.* 14.) *orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* 2. A peccati affectu cor purum esse debet; *Nam peccatores Deus non audit* (*Joan.* 9.). 3. Spe obtinendi, quod petit, abundare orans debet. Omnia (ait Dei Filius *Marc.* 11.), *quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.* 4. In Jesu Christi nomine est orandum, sicut ipse monet: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* 16.). Ille vero in Jesu Christi nomine petit (inquit sanctus Augustinus) qui ea solum petit, quæ æternæ saluti, quam nobis Christus meruit, sunt convenientia (*a*). 5. Fraternam caritatem comitem habeat, necessum est; Dominus enim jubet, ut ante altare munus relinquatur, & prius fratri reconciliemur, quam illud offeramus.

(*a*) Sunt *bona*, quibus abuti nemo potest, uti gratia veræ pœnitentiæ finalis perseverantiæ, caritas, beatitudo &c. & hæc *absolute* a Deo per Christum sunt petenda. Sunt etiam *bona* quibus sæpe homo abutitur, uti bona temporalia, & gratiæ gratis datæ &c. Et hæc nonnisi *conditionate*, si nempe Dei gloriæ, ac nostræ saluti congruant, postulari a Deo debent. Regula hæc illis præprimis est suggerenda, qui omnes suas orationes a Deo non exauditas esse, in confessionali &c. conqueruntur. Non enim sicut oportet, hucusque petierunt juxta illud: *Petitis, & non accipitis; eoquod male petatis* (*Jacobi* 4.).

mus. *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem* (*Marc.* 11.). 6. Humilitas & ſubmiſſio vultu & geſtu ſunt quam maxime exhibendæ. Chriſtiano denique more, non alio ſuperſtitioſo, orare Chriſtianus debet.

Nædum pro amicis; ſed & pro inimicis orare chriſtiani hominis officium eſt. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos* (*Matth.* 5.). Ita Chriſtus ſuos hortabatur; hancque ſuam doctrinam glorioſo exemplo munivit, cum in cruce poſitus Patrem pro crucifixoribus rogavit. Pro Regibus præprimis, & Eccleſiæ Rectoribus ut fideles orent, ſanctus Paulus præcepit (1. *Tim.* 2.). Pro hæreticorum, ac infidelium converſione, animarum purgantium a pœnis liberatione preces, & ſacrificia offerre communis in Eccleſia mos eſt, cujus pietatem, pariter & utilitatem Theologi dogmatici probant, ac fidelibus commendant.

CAPUT III.

Horæ canonicæ a quibus, & quomodo ſint dicendæ.

Apoſtoli, hisque coævi Chriſtiani ſtatis diei horis communes ad orationes convenerunt. Temporis lapſu ſicut caritas, ita & iſte orandi fervor refriguit. Laicis ad alia diſtractis ſolummodo apud viros eccleſiaſticos, ac Ægypti præprimis monachos antiqua ſæpius per diem Deo pſallendi conſuetudo perſtitit. Pii Principes,

Nobilesque alii, ne fortuito etiam apud Eccle-
siasticos continuæ Dei laudes deficerent, fundos
ingentesque peccunias, alendis ejusmodi De
servis destinarunt: erecta sunt Beneficia, fundati Canonicatus, auctæ Præbendæ eo pacto, ut viri hisce præbendati certis quotidie persolvendis precibus manerent adstricti. Preces ita quia juxta præscriptas ab Ecclesia regulas dispositæ, *horæ canonicæ*, *pensum canonicum* & *Breviarium*, seu laudis divinæ, ac totius sacræ institutionis compendium vocantur (a).

Tres

(a) Horæ itaque canonicæ vocales quædam pre
sunt, quas juxta sacrorum Canonum, ac Rom
Pontificum præscriptum per singulos dies perso
vere viri Ecclesiastici tenenter. In quamtum pre
ces sunt, mentis elevationem; in quamtum vo
les oris adminiculum exigunt. Nonnulli sola
recitationem mentalem sufficere putarunt, qu
rum opinionem Suarez ut improbabilem, &
Concina velut falsam rejicit; eoquod Capitula
dolentes, & communi sensui aperte repugn
Patres Salmanticenses (*Tract.* 16. *cap.* 3. *p*
7. *num.* 51.) Privilegium a Leone X. anno 15
sui Pontificatus quarto, die 16. Aprilis viva
ce Religiosis concessum producunt, vi cu
Fratres . . illa quæ in ordinario jubentur dici
creto sub silentio, tam in horis canonicis, quam
Missa, non teneantur proferre vocaliter; sed sati
faciunt dicendo mentaliter, aut legendo intra
per librum . . Et quod eodem modo possit facere
qui solum dicit officium per se; cum prolatio vo
balis sit præcipue ut ab aliis intelligatur. Ex qu
bus inferunt, Religiosos mentaliter totum Bre
viarium dicere privatim posse, hocque privile
gium a S. Pio V. in Constitutione 7. confirma
tum

Tres eorum, qui dicere horas canonicas tenentur, distingui classes possunt. In *prima* sunt Religiosi professi, qui antequam in sacris sint constituti, nulla ecclesiastica lege; sed veterana solum consuetudine, quæ vim legis obtinuit, canonicas horas sive publice, sive privatim persolvunt. In *secunda* sunt Clerici sacro subdiaconatus ordine initiati, nullo licet beneficio præditi. Hique ex præcepto ecclesiastico recitare horas tenentur (*cap.* 1. *de celebrat. Miss.*), a quibus ne quidem excommunicati, suspensi, depositi, degradati sunt exempti; quia æquum non est, ut quis ex iniquitate sua commodum reporter. Ad classem *tertiam* Canonici, & Beneficiati sive simplices sive curati spectant. Et hi non solum ex lege ecclesiastica, sed etiam contractu, aut pacto saltem implicito ad dicendas horas obligantur; hinc qui Breviarium vel quoad totum, vel quoad notabilem partem ex negligentia omittunt, illius diei fructus vel omnes,

tum esse ajunt. Ast contra hoc privilegium acriter P. Concina pugnat (*Tom.* 2. *lib.* 2. *in Decal. diss.* 2. §. 5.) probatque 1. Indultum istud in forma legitima non produci. 2. In 7ma S. Pii Constitutione *Etsi mendicantium* integre perourſa nec verbulum de Indulto Leonis se inveniisse; adeoque etsi aliquando concessum, una cum aliis vivæ vocis oraculis revocatum a Gregorio XV. & Urbano VII. fuisse. 3. Dato illud suo in robore mansisse, non generaliter de omnibus sed Religiosis solum scrupulosis, nec de toto Breviario, sed quibusdam secreto dicendis intelligendum esse ostendit. Vide si lubet.

nes, vel aliquam earum partem percipere n
queunt, eosque vel Ecclesiæ, vel pauperib
erogare debent; quidquid demum nonnulli C
fuisse in contrarium congerant (*a*).

(*a*) Sunt, qui Beneficii curati fructus in *mere b*
neficiales, & *pastorales* dividunt: priores volun
taria Breviarii omissione amitti concedunt, non
posteriores. Si hi Auctores per fructus *pastora*
les illos, qui ex oblationibus, funeribus &c. di
tim Parocho adveniunt, quosque *stolæ proventu*
vocant, subintelligi volunt, non repugnabo; i
tamen, prout videntur, proventus fixos, ac re
nuos ita distinguunt, cum nova, & a sensu Ec
clesiæ aliena hæc distinctio sit; non possum eam
non rejicere. Concilium quippe Lateranense V.
sub Leone X. (*Sess.* 9.) statuit, ac ordinat, u
quilibet habens Beneficium cum cura vel sine cura
si divinum officium post sex menses ab obtento Bene
ficio non dixerit, Beneficiorum fructus non faciat
suos . . cum propter officium detur Beneficium.
Et S. Pius V. in sua Bulla *Ex proximo* præcipi
Ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus
diebus intermiserit, omnes beneficii, seu benefi
rum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus re
sponderent, si dividerentur . . . amittat. Et
nec Bontifex, nec Concilium fructus præditos
modo distinguit, sed *omnes diei respondentes*
Beneficiato curato, qui Breviarium voluntarie
omittit, restituendos esse decernunt; quia bene
ficii fructus propter officium conceduntur. Hæc
autem fructuum restitutio ante judicis sententiam
fieri a Beneficiato debet. Contrarium Alexander
VII. hac in propositione damnavit: *Restitutio*
Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non
debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam
judicis; eoquod sit pœna. num. 20. Huic accedit
alia

Septem communiter numerantur horæ: *Matutina* cum Laudibus, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vespera*, & *Completorium*. Antiquitus nædum Matutina a Laudibus, sed & primus Nocturnus a secundo, hicque a tertio separatim dicebatur: unde plures tunc universim erant horæ, ita ut antiquissimus septenarius numerus horas solummodo diurnas, seu a diluculo recitari solitas comprehenderit juxta illud Davidicum: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psalm.* 118.). Quælibet hora notabilis Breviarii pars est, quæ gravi absque peccato negligi non potest. Idem de aliis partibus, horam unam æquantibus, ut puta, de uno Nocturno, de pluribus psalmis, imo & verbis divinum officium constituentibus &c. judicium esto (*a*).

Modum,

---

alia num. 33; *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas Beneficiatus antea de fructibus sui Beneficii fecerit.*

(a) Ex rationabili causa Matutinum a laudibus separari, & illud præcedente; hæ subsequente die dici possunt. P. Concina etiam secluſa alia causa licitam ejusmodi separationem defendit, additque, *melius illos se gerere, qui privatim horas celebrant, si sub initium noctis, seu ad vesperum, nocturnas horas celebrarent, dimitterentque laudum recitationem ad diluculum sequentis auroræ, ut hymni opportuno tempore juxta eorum sensus recitarentur* (*lib. 2. in Decalog. Diss. 2. cap. 2. Q. 6.*). Hancque sententiam communiorem inter Doctores esse ait; in fine tamen pensi matutini collectam diei, vel etiam antiphonam ad Benedictus &c. dicendam esse monet. Porro circa tem-

Modum, quo canoniçæ horæ ſunt dicendæ, Patres in quarto Lateranenſi Concilio generali congregati docuerunt: *Dolentes* (inquiunt) *referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes, non ad diurnum concentum avium excitantur ... Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter & devote* (*Cap. 9. de celebrat. Miſſ.*). Studioſe itaque & devote divinum dici officium debet.

Studioſe divinum officium recitat, qui ordinate juxta rubricas Breviario præ-

---

tempus, quo anticipari Matutinum poteſt, non omnes conveniunt. P. Concina cum multis alius tradit regulam: *Cum ſol propius abeſt ab occaſu quam a meridie* (quod tempore hyemali hora octava contingit) tunc tempus incipit anticipandi Matutinum. Cl. P. Schram in ſua Theologia compendiata iſtam ſubjicit: *Subtracta medietate horarum pomeridianarum ab hora diei duodecima usque ad occaſum ſolis reſtat tempus, quo licet matutinum & laudes anticipare. V. g. 22. Decembris numerantur horæ quatuor a meridie usque ad occaſum, ſubtracta medietate a 4. remanet 2: erga hora ſecunda anticipare licet.* (Tom. 3. *de Sacram. ord. XIV.* §. 1185.). Jam quod probabilius, aptius, convenientius tibi videtur, ipſemet eligas.

fixas (*a*), 2. qui voce intelligibili, 3. qui voce articulata ac distincta, declinatis nempe verborum syncopationibus, syllabarum elisionibus &c. horas legit. Profecto luridos hujusmodi deblateratores audire nec viri honoratiores dignantur; & divina Majestas truncatis, confusaneis, ac plane ridiculis Ecclesiasticorum precibus aurem suam accomodet? Proh quamtum Aulicorum solers studium multorum, qui Dei servos se profitentur, turpem ignaviam confundit!

Devote canonicum pensum exsolvit, qui non solum ore, sed & corde Deum laudat. Corde laudat, qui recta ex intentione, & sufficiente cum attentione orat. *Intentio* quidquam agendi volitio est, quæ hic non necessario præcepti adimpletionem, sed solam orationem pro objecto

(*a*) Juxta rubricas recitant, qui non solum *ritum*; sed & Calendarii tam romani, quam diœcesani *Festa* observant. Fuerunt quidam (& forsan adhuc sunt) qui per quamlibet recitationem sive de Feria, sive de votivo, aut alio, ex quacumque Diœcesi mutuato Festo Breviarii præcepto satisfieri existimarunt. Aft horum opinionem veluti laxam nimis, ac erroneam Alexander VII. reprobavit, dum istam num. 34. propositionem proscripsit: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.* Porro ex rationabili causa eum, qui privatim horas recitat, illarum ordinem mutare posse, item, qui bona fide v. g. Matutinum de feria dixit, horas residuas de festo e. g. translato dicere cum choro, vel etiam privatim posse eruditi non minus, quam timorati docent.

ctio habere debet, uti ex iis quæ supra (pag. 310.) diximus, liquet. Attentio actus intellectus est, quo homo ad illud, quod se coram habet, advertit. Triplex a Theologis distinguitur, nimirum attentio *ad verba*, ad verborum *sensum*, ad sensus *objectum & finem*, videlicet Deum. Prima, ut sanctus Thomas docet, ad orationis substantiam sufficit; secunda melior, tertia optima est, ac illis, qui eam sibi familiarem fecerunt, uberem fructum affert. Attentioni diutius conservandæ, aut citius renovandæ Ecclesia, oratorium, aut alius a domesticis, ac extraneis tumultibus remotior *locus* congruit, qui proin quamtum fieri potest, quæri & adiri ab orante debet. Eadem quippe lex, quæ devotam Breviarii recitationem præcipit, ad removenda quoque obstacula, quæ legis adimpletionem impediunt, saltem implicite obligat (*pag.* 309.). Externas autem res internam mentis attentionem, & devotionem impedire, nemo non videt (*a*).

Quis

(*a*) Plures mystici variis in rebus septenarii occurrunt. Septem sancti Spiritus recensentur dona, septem Sacramenta, septem beatitudines, septem misericordiæ opera, septem præcipua dominicæ Passionis mysteria, quæ brevi considerationes septem canonicis horis applicata devotam earum recitationem mire promovent. Praxim Passionis mysteria septem horis accomodandi istud vulgatum ubique metrum exhibet:

Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.
Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.
Sexta crucifigit. Latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.

Quis jam de Clericis, qui cum Breviario juxta feneſtras, ad campum, aut plateam patentes, ſtudioſe ſe collocant; qui per atria, per ſtabula, per culinas, & cellaria &c. diſcurrunt, qui nunc fabulantur, nunc ſuos increpant, nunc truncatim quædam ex Breviario muſſitant, quis (inquam) debitam attentionem, ac devotionem præſumat. Non quidem, quid reſpondere ſoleant, nos latet. Oeconomiæ rectam adminiſtrationem ejusmodi intercapedines exigere dicunt; aſt, ſi hi juxta citati Lateranenſis Concilii præſcriptum inutiles, ac nocivas confabulationes reſecarent, ſi a ſomno ſibi temperarent, ſi certum dicendo Breviario tempus deſtinarent, ad inanes hasce, ac frigidas haud confugerent excuſationes, quas certe non attendet, qui mundum judicabit, ſupremus ac juſtus Judex (*a*).

Sicut

(*a*) Mala iſta praxis ex Laxa Theoria manat, qua multi poſthabita attentione *interna*, quæ vel ſenſum verborum, vel Deum, vel res divinas, vel ſaltem verba, qua Dei laudes continentia, pro objecto habet, attentione *mere externa*, quæ nempe ſolam materialem verborum prolationem reſpicit, contenti ſunt. Hisce tamen P. Antoine, Concina, aliique, quos hi citant, melioris notæ Theologi ſeſe opponunt. 1. Quia ejusmodi orantes Deum non adorant in ſpiritu & veritate, ſed labiis Deum honorant, cor autem longe eſt ab eo; quæ turpis ſimulatio eſt. 2. Quia præter *ſtudioſam* recitationem, quæ diſtinctam verborum expreſſionem exigit, adhuc *devotam* cap. *Dolentes* præcipit. Devotio autem, prout ab hypocryſi diſtinguitur, non meram externam apparentiam, ſed veram mentis ad divina elevatio-

Sicut ab aliis humanis legibus, ita & ab ist[illegible] nonnullæ causæ excusant. Has inter *prima* e[illegible] impossibilitas physica, & moralis. Ut si qu[illegible] careret Breviario, vel infirmus surdus, cæcu[illegible] &c. fieret; quibus tamen in casibus adhuc face[illegible]re tenetur quamtum potest (*a*). *Secunda* e[illegible] metus gravis vere talis. *Tertia* concursus alti[illegible]ris præcepti exempli gratia caritatis proxim[illegible] Ut dum parochus diu noctuque oviculis perich[illegible]tantibus succurrit, aliisque functionibus pastora[illegible]libus, quæ differri nequeunt, diem impendi[illegible] Ast & hic carnalis astutia nonnumquam sibi men[illegible]titur, ac sæpe caritati imputatur, quod acedia aut inordinatus sui amor fecit (*b*). *Quart*[illegible] den[illegible]

---

vationem postulat. Id quod Concilium Triden[illegible]num magis declarat, dum officium divinum r[illegible] *verenter*, *distincte* & *devote* recitari jubet (*Sess.* 24. *cap.* 12.): Hæc autem interna attentio n[illegible] continua *actualis* esse debet, sed *virtualis* suffici[illegible] atque in eo datur, qui Breviarium inchoans me[illegible]tem ad Deum elevat; actiones distrahentes ev[illegible]tat, ipsasque distractiones clanculo se ingere[illegible]tes, excutere laborat. Vid. P. Concina lib. [illegible] *in Decal. Diss.* 2. *cap.* 9. & P. Antoine *Tr.* [illegible] *virt. Relig. cap.* 1. *Quæst. V.*

(*a*) Innocentius XI. hanc damnavit propositionem *Qui non potest recitare Matutinum, & laudes, p[illegible]test autem reliquas horas, ad nihil tenetur; q[illegible] pars major trahit ad se minorem. num.* 54.

(*b*) Fallacis astutiæ dictamina sequi videntur. 1. Q[illegible] Breviarii pensum fere quotidie ad vesperum v[illegible] omnino ad noctem usque diferunt; tuncque [illegible] ægrotum vocati officio caritatis a recitandis h[illegible]ris impeditos, ac liberos se credunt. 2. Q[illegible] pridie a negotiis vacui Matutinum cum Laudib[illegible] qu[illegible]

denique dispensatio est, quam Episcopus suis Clericis, & Prælatus regularis suis Religiosis rationabili ex causa concedere solet. Simplex dispensatio rarius; discreta in aliam brevem orationem commutatio frequentius obtinetur (*a*).

Quæ hucusque diximus, ex ipsa orationis, ac divinæ laudis notione fluunt. Unde qui hæc respuit, jam aliam, eamque erroneam de oratione, ac ipso Deo sibi ideam effinxisse necesse est. Et tamen in catholicorum Casuistarum libris alienas adeo ab hac nostra legimus sententias, ut eas vel recensere pudeat. Unus Canonicos in choro turpiter confabulantes, absque omni interna attentione divinum officium deproperantes satisfeciisse putat; quia Ecclesia internam attentionem, admodum difficilem, præcipere non voluit. Quasi vero id, quod orationis natura postulat, quodque Deus ipse præcipit, adhuc ab Ecclesiæ arbitrio dependeret. Alius ait, lippis luscisque occulis hominem, si visum amittere legendo timeat, non teneri Breviarium lege-

---

quod die postero aliis præpeditum prævident, anticipare negligunt; cum lex eo, quo potest, tempore sit adimplenda, & iisdem sæpe ex fontibus unde commodum, inde & onus fluat.

(*a*) Breviarii obligatio *personalis* est; unde si dispensatio denegetur, per alium quis recitare non potest. Hinc Alexander VII. istam stigmatizavit propositionem: *Habens Capellaniam collativam aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Est *num.* 21.

legere, licet cæteroquin sæpe ac libenter fabulas legat. Auctor alter scribit, præcepto satisfieri, si horæ tantum diurnæ recitentur. Caramuel probabile esse ait, vespere recitantem Matutinum cum Laudibus hodierno & crastino officii recitandi præcepto satisfacere (*a*). Idem asserit, si duo simul orent, non opus esse, ut alter audiat, & posse hunc versiculum incipere antequam ille suum versiculum compleverit; quia audire simul potest, quod ipse, & quod socius recitat; neque interiorem attentionem esse curandam, quæ non necessaria censetur.

Humani ingenii infirmitatem deplorare cogunt, cum post percussum in errores tam impios, & tam absurdos prolabi possit. Verum Dei judicia vehementius me terrent, qui personas cultui suo sacras, sed que in Ecclesia doctores, cæteroquin probos, tam immanes ac pernicioſos errores labi permittit, illosque in vulgus spargere. Tremenda hæc judicia ego potius adorem, quam eorum causas curiosius inquiram.

(*a*) Hoc ipsum damnata ab Alexandro VII. propositio asserit: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.* num. 35.

SECTIO

SECTIO IV.

DE CULTU SANCTIS ET IMAGINIBUS DEBITO.

CAPUT I.

Sancti recte & pie invocantur.

Suam hæretici ignorantiam produnt, dum catholicos accusant, quasi Deo debitam adorationem rapiant, Sanctos invocando, eorumque venerando imagines & reliquias. Hunc Symboli articulum minime illi intelligunt: *Credo Sanctorum Communionem*: quo articulo hæc invocatio nititur.

Omnes fideles Christi esse membra negare nequeunt, unum esse corpus inter se, & unum cum illo. Id ipse Patrem oravit, antequam pateretur: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* 17.). Hæc unio, imo unitas tanta est, ut dicat Christus ipse apud Joannem: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo* (*cap.* 3.). In cœlum quidem ascendunt Sancti, sed tamquam Christi membra. Porro quemadmodum si in montem homo ascendat, non ejus brachium aut scapula ascendere dicitur, sed homo, aut hominis corpus; ita cum in cœ-

lum ascendunt Sancti, Christus ascendere dicitur, quia tamquam Christi membra Sancti ascendunt (*August. tract. 12. in Joan.*). Unum illi cum Christo sunt corpus, in illis ipse manet ipsique vicissim cum illo & in illo. Quando igitur orant in cœlo Sancti, in illis orat Christus. Non Petrus neque Paulus a Christo sejuncti pro hominibus orant, sed Christus in Petro & in Paulo pro hominibus orat. Quæ cum ita sint, potestne Dei honor imminui, si a Filio suo exoretur. Quomodo mediatoris officium & dignitatem Filius amittit, si hoc ille officium exercet in Sanctis, quos oramus? Ait sanctus Paulus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom. 8.*); quia nos orare facit. Sic in cœlo Christus in Sanctis orat; ipse enim spiritus est, qui eos animat & movet, & tamquam caput eorum opera moderatur ac regit, ita ut omnia cum illo & in illo agant. Dicunt Dei justi: *Omnia opera nostra operatus es in nobis* (*Isaiæ 26.*); ipse enim bonorum omnium operum est principium, & licet ipsi quoque cooperentur, eorum tamen cooperatio magis Dei donum, quam illorum est meritum, Dei enim gratia volunt, & agunt, *qui operatur & velle & perficere* (*Philip. 2.*). Hinc docet sanctus Augustinus, Deum sua dona coronare, dum opera nostra bona coronat. Verum in cœlo, ubi non erit opus opera bona agere, sed pro iisdem merces accipitur, perfectius Deus & validius in Beatis operatur; justi enim ibi Deo perfecte uniuntur, nec malo libertatis suæ usu poterunt deinceps ab eo separari. Neque Petrus igitur

neque Paulus a Christo sejuncti pro nobis orant, sed Christus ipse in Petro & Paulo orat, quamvis propter Sanctorum communionem preces nostras Petro & Paulo offeramus. Sicut enim fidelium unitas cum Christo Christi unitatem cum Patre repræsentat; ita fidelium inter se unitas eorum cum ipso imitatur unitatem. Quomodo igitur hæc oratio, quæ a fidelibus tamquam corporis hujus mystici membris promanat, illius majestatem lædet, qui corporis hujus est caput? Si quis id asserat, sapientiæ ejus & bonitati injuriam irrogat, & hujusce corporis naturam dissolvit. Fatentur hæretici posse fideles in hoc sæculo alterum pro altero orare, quin Christi mediationis officium lædant. Id autem præstare possunt fideles, quoniam sunt *invicem membra* (*Ephes.* 4.). Quomodo ergo Christo injuriam afferent justorum preces, cum per gloriam Christi corpori membra hæc perfectius adhærebunt, nec ab illo ultra dividentur.

Nolo hic cæteras rationes & argumenta afferre, quibus Theologi hunc nostræ fidei articulum tuentur; theologica siquidem opus esset lectione: ego vero Parochos modo instruo, ut perspicue catholicam fidem explicent. Si articulus hic rejiciatur, oportebit sanctorum Patrum omnium auctoritatem respuere, qui suis in Scriptis Sanctorum precibus se commendarunt, oratoria deinde & rempla destruere in Sanctorum honorem a primis usque Ecclesiæ sæculis Fidelium pietate exstructa. Verum a fiducia, qua Sanctorum preces poscimus, superstitio &

inordinata devotio abesse debet. Publico cul non sunt honorandi, quos illo dignos Eccles non declaravit; licet clam illos colere possimus, qui nondum in Sanctorum album sunt relat Lucilla matrona hispana Martyris cujusdam d sa, quem Martyribus Episcopus non accensuera osculari solebat: propterea Cæcilianus sæpiu illam arguerat: cum autem ipse Carthagin Episcopus fuisset electus, schismaticis se il conjunxit, ut auctoritate sua & divitiis ejusde electioni adversaretur. Nec temere Sanctorum merita sunt æstimanda, nec privato suo judici unum alteri anteferre licet: nec eorum suffrag sunt poscenda, ut ea impetremus quæ æterna saluti obsunt: nec iis est fidendum ita ut no temere manifestis periculis objiciamus, aut i peccato perseveremus. Denique sancti Augusti ni dictum alta mente reponendum: *Summa re ligionis est, imitari quod colis.*

CAPUT II.

Honor sacris Imaginibus merito exhibetur

Controversiam de Imaginibus magno præ ce teris ardore agitant moderni hæretici: ec verentur, idololatras appellare catholicos, qu illas colunt; quamvis demonstrare nequeant eumdem a nobis cultum imaginibus exhiberi quo idola sua Ethnici colebant. Ab idolis sunt imagines distinguendæ: rem veram istæ repræ sentant, illa vero rem fictam. Quamobrem re quit sanctus Paulus: *Scimus quia nihil est ido lum in mundo* (1. Cor. 8.). Ex idolorum igitur

igitur prohibitione non recte infers, omnem quoque imaginem aut effigiem a Deo prohiberi. Suum præceptum primus ipse violasset, cum supra Arcam duas Cherubim imagines fieri jussit (*Exod.* 25.), & cum ejusdem jussu æneum Moyses serpentem in deserto exaltavit, in quem aspicientes a serpentum morsibus sanabantur (*Num.* 21.).

Libens quidem fateor binis prioribus Ecclesiæ sæculis non fuisse passim cultas imagines; sed hujusce rei manifesta est ratio. Primo non certa fideles loca habebant, ubi conventus suos agerent: deinde idololatria erat destruenda, nec relinquenda ethnicis ansa fideles accusandi, quasi idola ipsi etiam colerent. Tertullianus nihilominus refert accusatos fideles, quod Crucem colerent; cultus ergo ejus ævo cruci exhibebatur. Cum vero cessavit hoc periculum, & christiana Religio radices egit, in ecclesiis imagines colere cœpere Catholici, ut fideliuin oculis Martyrum propter Evangelium cruciatus subjicerent, quemadmodum homiliæ, in eorum festis ab Episcopis habitæ, eorumdem victorias auditorum animis subjiciebant.

Duplici modo pingi aliquid potest: primo, ut perfectum naturæ illius similitudinem repræsentes; deinde ut verosimile aliquid, aut historicum fingas. Primo modo Deus pingi nequit, aut sancta Trinitas; & hoc sensu interdixere Concilia nonnulla Dei fingere imaginem. Verum si altero pingendi modo utamur, nihil vetat Deum pingi sub specie aliqua, quæ operatio-

nes ejus imperfecte repræsentet. De Deo frequenter sacræ Litteræ loquuntur; ac si brachia gereret, manus, os, pectus, & cor. Dicendumne est sic loquentes sacras Litteras Deo irrogare injuriam cum ipse spiritus sit? Quare igitur injuriam illi inferre dicenda est Ecclesia, dum sub humana specie Deum repræsentat. Cur sub columbæ specie exempli gratia Spiritum sanctum pingere non licebit, sub qua revera supra Dei filium, dum baptizaretur, apparuit?

Haud inficior, populum interdum aliquam in imaginum cultu superstitionem committere, monstrosam quandoque, indecoram, turpem, & mundanam; verum has Ecclesia non approbat, imo Episcopis præcipit, ut eas in visitationibus suis amputent, & evellant. Tridentina Synodus præcipit (*Sess.* 25.), ut debitus illis honor exhibeatur, idest pius, qui ad prototypa refertur. Piæ interdum personæ rudi quadam & indocta erga puerum Jesum, aut sanctam Virginem devotione, eorum imagines indecore ornant, aut superbo & prophano cultu exornant. His posset illud vere dici: *Ut quid perditio hæc?* Vera pietas hos excessus non approbat, debetque prudens Confessarius pœnitentes suos ab hujusmodi retrahere.

Retinendus itaque in Ecclesia est sacrarum imaginum usus, quarum multiplex est fructus. Juvant primo ad alendum augendumque amorem erga Deum & Sanctos, quos ipsæ repræsentant. Deinde nos ad virtutum imitandas exempla excitant, quæ exprimunt; quemadmodum

dum obscœnæ imagines ad luxuriam inflammant. Tum passionis Christi, cæterorumque ejusdem mysteriorum memoriam renovant, sicut & illustrium factorum, quæ Sancti patrarunt. Præterea hoc cultu testamur eamdem nos cum Sanctis habere fidem, eorumque doctrinam sequi. Denique exteriori hoc cultu prototypa ipsa veneramur, eorumque salutaria exempla oculis subjiciuntur.

CAPUT III.

Ritus, quo Crux dominica colitur, sanctus ac perantiquus est.

Crucifixum oderit oportet, qui cum recentioribus hæreticis Crucis signum detestatur, ejusque usum superstitiosum dicit. Soli dæmones Crucem verentur, nec amant, quia ejus sentiunt virtutem, qua e corporibus ejiciuntur, sicut nos docet historia. Si a fidelibus Sanctorum colendæ sunt imagines, potiori jure Crux est veneranda; ipsa etenim nostræ redemptionis instrumentum fuit, cui Dei filius affixus fuit, & quam divino ipse tinxit Sanguine. Ex ecclesiastica Historia discimus (*Cyrill. catech.* 10. & 13.), statim ac a Constantini matre Helena Crux reperta est, ejus ope editum miraculum; illamque tunc a Christianis coli cœptam. Ubique terrarum ejus sunt distributæ particulæ (*Socrat. lib.* 1. *cap.* 17.), quas e collo pendentes religiosæ personæ gestabant, ut ad sororem suam Macrinam scribens sanctus Gregorius Nazianzenus testatur (*Epist.* 11.). Ejusdem fru-

ſtula veluti prætioſa munera mittebat ſanctus Paulinus; & Crucis virtute magnum ſe incendium extinxiſſe teſtatur. Quotannis in Hieroſolymitana Eccleſia Exaltationis ſanctæ Crucis dies feſtus celebratur, & magno apparatu peregrini, qui frequentes Hieroſolymam adventabant, Crux oſtendebatur. Poſtea vero quam accepto divinitus ſigno Conſtantinus Cruce vexillum inſignivit, quod Labarum vocant, *res quæ antea hominibus probro ac ludibrio fuerat, venerationi & gloriæ eſſe cœpit* (*Brev. Rom* 3. *Maji.*). Theodoſius cavit ne ſupra pavimentum Crux pingeretur, ut incedentium pedibus hoc ſignum non tereretur. Pecuniis hanc inſculpi juſſere Principes, & ſupra diademata ſua hanc Regem collocarunt.

A primis Eccleſiæ ſæculis frontem Cruce ſigno armare conſuevere Chriſtiani. Antiquus Eccleſiæ Scriptor Tertullianus teſtatur, ad quodlibet negotium conſueviſſe fideles ſe Cruce ſignare. Chriſtianos hortatur ſanctus Ambroſius, ut a Crucis ſigno actionem ſuam quamlibet auſpicentur. Ad virginem Euſtochium ſcribens ſanctus Hieronymus ſic illam admonet: *Ab omnem inceſſum manus pingat Domini Crucem.* Multiplex Crucis ſignum cæremonias comitabatur, quibus Catechumeni præparabantur ad Baptiſmum. Id de ſe ipſe teſtatur inquiens: *Signabar jam ſigno Crucis.* De iis vero loquens, qui nondum baptizati erant, inquit: *Si petas a Catechumeno, an Chriſtianus ſit, ſignat ſe ſigno Crucis.* Nec timet ſubjicere:

Catechu-

Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi & orationem sanctificari puto. Ridicule cum hæreticis opponitur, non esse filios eam trabem veneraturos, in qua eorum pater suspendio fuerit necatus, ut hinc fideles a signo Crucis abhorreant; quasi Christus reus fuisset, qui pro suis delictis mortem oppetiisset, non vero tamquam noster Redemptor pro peccatis nostris mortuus esset.

Quamvis hoc signum naturaliter ex se non operetur, cum illo frontem signamus, superstitiosum nil agimus; hoc signum siquidem divinitus est institutum, & supernaturalis est ejus operatio. Religiosum igitur & salutare est Crucis signum; sed dum illo frontem signamus, Crucis Christi amorem, venerationem, & desiderium cor gerat oportet, quo Christianæ religionis spiritus continetur.

SECTIO V.

DE PECCATIS RELIGIOSO CULTUI OPPOSITIS.

CAPUT I.

Blasphemiæ notio, & gravitas.

Blasphemia contumeliosa in Deum locutio est, ac divinæ præprimis laudi opponitur. Deum laudamus aut ejus excellentiam & perfectiones annun-

annunciando, aut noſtras illi preces offerendo, eumque adorando, aut optando, ut ubique honoretur, & glorificetur juxta illud: *Omnis terra adoret te (Deus), & pſallat tibi (Pſalm. 65.)*. Econtra Deus blaſphematur aut divinas ejus perfectiones negando, aut illi vitium tribuendo, quod ejus ſanctitati repugnat, aut illum deteſtando, illique maledicendo, ſicut judæi Chriſto e cruce pendenti maledicebant.

Hinc varia blaſphemiæ datur diviſio. *Hæretica* eſt, ſi quis non ſolum verbis temere quidquam contra Deum aſſerat, ſed inſuper intus pertinaciter ita ſentiat. *Imprecatoria* ſi quis Deo non eſſe, dehonorationem, aut aliud quodvis malum optet. *Simplex* ſi quis deliberate quædam Deo inconvenientia exprimat, quin tamen mente ita ſentiat. *Formalis* ſeu *expreſſa* manifeſtam erga Deum contumeliam continet: veluti ſi injuſtus, aut providentia carens Deus dicatur. *Virtualis*, ſeu *interpretativa* ſolum illative ex circumſtantiis, aut loquendi modo quidquam Deo contumelioſum refert. *Directa* immediate in Deum, vel ejus perfectiones fertur: *indirecta* immediate in Sanctos, vel res ſacras, vel effectus Dei, ac mediate in Deum tendit.

Blaſphemia grave peccatum eſt; nec unquam materiæ levitatem admittit, ſuam quippe originem ex Dei odio trahit, quod peccata cætera ſua enormitate excedit. Advertentiæ tamen aut deliberationis defectu peccatum ſæpe veniale evadit. Porro ut gravis blaſphemiæ reus efficiaris, ſufficit, ſi verba in Deum aut Sanctos contume-

tumelioſa deliberate, ac cum ſufficiente ad ſenſum advertentia proferas, utut actualem blaſphemandi intentionem non habeas: quemadmodum homicidii reatum incurrit, qui volens alium ſclopeto trajicit, licet homicidium expreſſe non intendat. Imo nec omnis inadvertentia Blaſphemiæ malitiam minuit. Qui utcumque offenſi inveterata ex conſuetudine in blaſphemias prorumpunt, raro quid dicant, advertunt, graviter tamen peccant, quousque per apta remedia peſſimæ conſuetudinis, quam agnoſcunt radices tollere renuunt, quia ad peccatum mortale etiam voluntas indirecta & in cauſa ſufficit, nec ullus, qui potuiſſet & debuiſſet advertere, inadvertentia purgare ſe poteſt (*pag.* 215. *in Not.*).

Peccant proin ac blaſphemiæ reos ſe faciunt 1. qui adverſis preſſi Deo veluti ærumnarum auctori maledicunt, 2. qui Deum ceu tyrannum, injuſtum, pauperum omnino oblivioſum indignabundi traducunt, 3. qui Deum vel non poſſe, vel non velle juvare temere aſſerunt, 4. qui abjecte de membris, ſanguine, ac paſſione Chriſti, de Sacramentis aut aliis Dei donis loquuntur, 5. qui hujus mundi fabricam, & ordinem &c. carpunt, 6. qui manus aut arma contra cœlum vindictam ſumpturi dirigunt, aut ſacras imagines ſubſannant, conculcant &c.

Caſuiſta quidam blaſphemias omnes, quæ ex conſuetudine proferuntur, a peccato mortali excuſat: vel cum talis eſt conſuetudo, ut perfectam mali cognitionem imminuat; vel adeo

hæc

hæc consuetudo inolevit, ut nova evaserit natura. Hæc opinio effecit, ut hujusce Casuistæ doctrinam merito horreamus. Hæc a peccati immunes eos reddit, qui peccare soliti ex peccandi facilitate, quam sibi ipsi compararunt, sunt veluti iniquitatis captivi. Hinc qui vitiis sunt magis obnoxii, melioris erunt conditionis, criminum numerus eorum enormitatem minuet, ac ingens peccatorum cumulus efficiet, ut qui hoc pondere premitur, peccare jam nequeat. Hoc paradoxo quid cogitari potest horribilius? Alter Casuista docet sufficere, ut confessarius pœnitentem, qui blasphemandi vel jurandi consuetudinem confitetur, ad hanc improbandam adducat: quodsi deinceps pœnitens blasphemet, jam non peccabit, quia blasphemiæ involuntariæ sunt in sua causa. Porro hæc improbatio, quam oretenus pœnitens forte proferet, potestne sequentes omnes actiones justificare? Nonne hoc pacto impunitatem omnia obtinebunt crimina, in quæ homines concupiscentia pertrahit? Nonne libera vitiis omnibus panditur via? Nonne post concupiscentias suas errare homo sine fræno permittitur (*a*)?

Non

(*a*) Praxim hac meliorem P. Schram in sua Theologia felici labore compendiata (*Tom. 2. cap. 12. §. 814.*) subministrat, ubi sic disserit. Si Pœnitens se accusat: blasphemavi; attendat Confessarius 1. An verba sint blasphema; quia sæpe maledicta, imprecationes, juramenta cum blasphemia a rudibus confunduntur. 2. An cum indignatione, & irreverentia sint prolata. 3. An sint prolata ex animo Deum inhonorandi, &

Non igitur mirum, si in tabernis, & lusorum mensis frequentes blasphemiæ personent; si in juvenum conventiculus ingenium ostentandi causa sales & joci divinitati, ac sacris Mysteriis injurioſi producantur. Casuistarum doctrina, & confessariorum conniventia sacrilegam hanc temeritatem fovet; exterior quoque a pœnis securitas eamdem auget. In lege veteri statutum erat, ut, *qui blasphemavit nomen Domini, morte moriatur* (*Levit.* 24.). In Christi Ecclesia plures graves ac publicas pœnas sacri canones in blasphemos decernunt (præcipue in Con. Later. sub Leone X.) quas pii Principes non modo

---

quidem cum advertentia blasphemiæ, ubi graviter peccatur. 4. An sine advertentia ex consuetudine sint prolata, quam pœnitens non curat emendare, ubi tot mortalia committit, quod verba blasphema profert; quia voluntarie causam ponit: secus foret, si studeat se emendare, ubi indeliberatæ blasphemiæ non sunt mortalia. Si pœnitens dicat, quod affectum indignationis nullo modo ad Deum extendere voluerit; sed tantum ad hominem, vel jumentum &c. verba attendi debent; si enim talia, vel tali modo prolata sint, ut enormem contumeliam Dei, & Sacramentorum significent, v. g. Sacramentsbestien: Tausendsacrament: Mordhöllsacrament &c. excusari nequit a mortali, nisi ex defectu voluntarii, vel advertentiæ, & adsolvi non bebet nisi firmo emendationis proposito concepto: si vero tantam contumeliam verba non contineant, v. g. simpliciter nominando Sacramenta &c. venialiter solum peccavit, & sub gravi obligatione tenetur deponere malam consuetudinem ob periculum blasphemiæ formalis.

modo confirmarunt, sed & nonnullis aliis aut runt, utut variis ex causis omissa, aut impedi executio sit (*a*).

CAPUT II.

Dei tentatio & sacrilegium exponuntur.

Dei tentatio tunc committitur, quando aliqui fit aut dicitur, ut Dei potentiæ periculum fiat. Cum diabolus Christo persuadere velle ut se e templi pinnaculo, quo eum sustulerat dejiceret, sperans se in manibus, sicut scriptum est, Angelos portaturos, ne forte ad lapidem offenderet pedem suum; Dei filius alio Scripturæ textu illi respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deuter.* 6.). Inde hoc peccatum provenit, quia ordinariæ Dei provi

(*a*) Ad salutarem blasphemiæ horrorem excitandum ejusmodi pœnæ iis, qui de blasphemiis se accu sant, sunt exaggerandæ. Addi ex S. Antonino potest, blasphemare Deum, & maledicere præ cipuam damnatorum in inferno occupationem esse juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore . . Et blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus &c.* (*Apoc.* 16.). *Hinc, qui hoc vitio detinetur, ostendit, se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercet artem eorum* (*Part.* 2. *Tit.* 7. *cap.* 5.). Proderunt etiam jaculatoriæ quædam preces quotidie de mane, & interdiu, ac præprimis post quemvis relapsum repetendæ. Tales sunt: *Sanctus &c. Dominus Deus Sabaoth. Sancte Deus, sancte Fortis; sancte & misericors Salvator! amaræ morti ne tradas me &c.* aliæque divinarum Perfectionum laudes, quarum magnum apparatum libri pii suppeditant.

tioni diffidimus, ac propterea signum petimus; interdum etiam ex vanitate promanat, si insolitum aliquod velimus hoc pacto experiri. Committi potest, si a communi lege, & a Sapientum in similibus praxi velimus recedere.

Sacrilegium est profanatio sanctarum, sacrarumque rerum, quæ in triplici sunt genere: 1. Personæ, veluti Sacerdotes, aut Religiosi: 2. Loca, & res divino cultui dicatæ, veluti vasa sacra: 3. Sacramenta & sacra Scriptura.

Sacrilegium quoad *personas* committitur 1. Quando ipsæ verberantur; quod peccatum excommunicatione mulctatur juxta celebrem Canonem: *Si quis suadente diabolo* (*Caus.* 14. *qu.* 4.). Si levis sit ictus, potest Episcopus ab excommunicatione absolvere; si gravis sit ictus, & enormis læsio, est casus Papæ reservatus, 2. Quando personæ Deo dicatæ opere vel cogitatione carnaliter peccant; tunc enim puritatem violant suorum corporum, quæ ad Deum pertinent sive ordinatione, sive professione religiosa.

Quoad *loca* sex modis sacrilegium committi potest, 1. homicidio sive voluntario, sive casuali (*cap. proposuisti. de Consecr. Eccles.*) 2. humani sanguinis effusione (*cap. eod.*) 3. opere conjugii, 4. sepultura excommunicati, 5. sepultura infidelis, 6. latrocinio seu furto juxta canonem *Quisquis causa* 17. *quæst.* 4. quod tripliciter committitur, nempe 1. rem sacram furando in loco sacro: 2. rem non sacram in loco sacro, veluti ibi servatum de-

depositum: 3. rem sacram in loco non sacro.

Quoad *res* multiplici modo sacrilegium perpetratur. 1. Indigna Sacramentorum confectione. 2. Indigna eorumdem susceptione. 3. Irreverenti rerum sacrarum tractatione, vel temeraria illarum illusione, & dehonoratione. 4. Intolerabili sacrorum textuum ad res ludicras aut amatorias &c. detorsione. Contra ejusmodi abusus varios Ecclesia Canones edidit, censurisque in temerarios animadvertit, nec tamen omnis suo zelo ingens hoc malum e medio tollere valuit.

Sacrilegium grave est peccatum; quia irreverentia rebus, personis, locisque sacris illata in ipsum Deum reduntat, sicque raro aut numquam materiæ parvitas, sed solus advertentiæ defectus quandoque levis peccati reatum inducit. Non unius infimæ, sed diversæ speciei sacrilegia dantur, unumque sua malitia alterum superat. Non igitur confusaneæ sacrilegii narrationi acquiescere, sed in illius speciem ac modum investigare Confessarius debet.

CAPUT III.

Superstitionis definitio & divisio.

Quemadmodum Religio est verus Dei cultus, sic *superstitio*, quæ illi adversatur, falsus est & vana religio, qua aut indebitus cultus, aut aliter, quam jubetur Deo redditur. Exempli causa, si quis modo veteris legis, aut infidelium sacra

sacrificia Deo vellet reddere, indebito illum & illegitimo cultu coleret; abolita siquidem sunt veteris legis sacrificia, & ethnicorum cæremoniæ vetitæ semper fuerunt. Ad hanc superstitionem pertinent falsæ Sanctorum reliquiæ, aut falsa miracula, quæ Sanctorum reliquiis aut imaginibus facta falso narrantur: nec pia, quam præferunt, intentio a mortali peccato hoc mendacium excusat. Inanis quoque est cultus, qui spiritualem finem non respicit; veluti candelarum numerus, quæ ante aliquam imaginem accenduntur, aut ejusdem generis exteriores aliæ actiones: item cultus ille, qui rubricis aut Ecclesiæ moribus adversatur. Hoc in divino Officio Parochi attendant, ne quid illi addant, ne quid demant contra id, quod tam sapienter Ecclesia statuit.

Est & alia longe iniquior superstitio, qua illi cultus redditur, cui reddi non debet. Hujusce superstitionis quinque sunt species; videlicet Idololatria, Magia, Divinatio, Vana observatio, & Maleficium.

Supervacaneum est de *Idololatria* differere, cum jam illa a Christianorum terris exulet. Est illa peccatum veræ religioni & fidei ex se oppositum, etenim sicut vera adoratio nequit existere, quam non præcedat lumen intellectus, quo ejus quem adoramus excellentiam cognoscimus; ita falsa adoratio, qualis est idololatria, adesse nequit, quin error in intellectu adsit, quo eo honore dignum falso judicemus, quem adoremus. Verum si fidei error abesset, & timore

aliove affectu compulsi idololatriæ opus exerce-
mus, exterior solum hæc esset idololatria, nec
in foro interiori excommunicationi esset subjecta,
quamvis eidem in exteriori foro subjiceretur,
cum esse interior præsumatur.

CAPUT IV.

Divinationis descriptio ac varii modi.

Divinatio est dæmonis ope occultum aliquid
inquirere, quod naturaliter sciri nequit.
Porro dupliciter ope dæmonis aliquid potest in-
quiri, aut *expresse* certisque verbis illum invoca-
do & consulendo: aut *tacite* & implicite, videli-
cet vanum aliquid vel inutile a dæmone traditum
agendo, ut ejus ope occulta noscantur. Ex-
empli gratia ut thesaurum quis inveniat, utitur
versibus, quibus dæmonem rogat, ut sibi the-
saurum ostendat: hæc est expressa invocatio.
Puellæ ut sciant, quos habituræ sint sponsos,
illosque in somnio videant, in sancti Joannis
Baptistæ pervigilio, dum cubile petunt, verba
quædam recitant, quibus Jovem aut Lunam
orant, ut sponsos suos sibi ostendant: tacita hæc
est & implicita invocatio. Idem de iis dicito,
qui ut perditas res inveniant, cribrum in gyrum
agunt, vana interim verba quædam promentes,
quæ nihil significant. Nec excusatur satis, si
quis profiteatur nolle se dæmonem invocare:
sufficit enim id fieri, quod antea dæmon docuit.

Multiformiter respondet dæmon, aut appa-
rentibus figuris quibusdam & speciebus, quod
voca-

vocatur *præstigium*, aut in somnio, cum dormientes responsum a dæmone expectamus, aut defunctorum falsa resurrectione & apparitione, & hoc vocatur *necromantia*; aut per homines, in quibus ipse habitat, veluti Pithonissa, e cujus corpore dæmonem sanctus Paulus ejecit, aut per statuas & terrestria corpora, quæ est *geomantia*; aut figuris in aqua apparentibus, quæ est *hydromantia*, aut aereis figuris, quæ est *aeromantia*; aut figuris igneis, quæ est *pyromantia*; aut nominibus, quæ est *onomatomantia*, aut animalium visceribus, aviumque volatu, quod est veterum *haruspicium*, & auguriorum scientia. Omnia hæc diabolicæ invocationis genera mortalia peccata sunt gravia & enormia.

Divinatio, quæ ex Astrologia fit per naturales effectus, qui sunt pluvia, venti, & tempestatum mutationes, est permissa; at non item permissa est Astrologia *judiciaria*, quæ libera hominum eventa divinare præsumit, quam veluti vanam ac superstitiosam Ecclesia prohibuit. Nullam in homine, qui liber est, habere vim astra possunt; licet indirecte in liberas hominum actiones aliquatenus influant: cum ex astris temperamentorum varietas pendeat; nullam tamen necessitatem inferunt. Inter viros nobiles frequens est hæc curiositas, qui nativitatis suæ schemata conficiunt, & quasi ex divina revelatione præsagia inde sumunt, cum uni Dei providentiæ fidere deberent. Hæc inquisitio & credulitas peccata sunt mortalia. Tacitus, quem

ſupra retulimus, pulchre de Aſtrologis ait: *Genus hominum petentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in noſtra civitate ſemper vetabitur, & retinebitur.*

Docet recens Caſuiſta, non eſſe illum mortalis peccati damnandum, qui ex Aſtrologi prædictione eccleſiaſticam dignitatem ſperans, Romam ideo pergeret, dummodo huic prædictioni non omnino fidat. Verum hæc opinio hominum ambitioni latam viam pandit, Dei vocationem ab eccleſiaſtico ordine amovet: & Apoſtoli præceptum contemnit, qui ait: *Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron;* quare merito improbatur.

Alius docet, teneri Aſtrologum acceptam pecuniam reddere, ſi non media omnia adhibuit, ut ope dæmonis ſciret, quod ſecus ſcire nequit, ſive ſequatur effectus, ſive non; ſi vero vim omnem artemque adhibuit, ut ex dæmone quid eventurum ſit, noſcat, non teneri acceptam pecuniam reſtituere, ejus ſiquidem labor & induſtria pretio ſunt æſtimabilia: neque hoc casu teneri obveniens alteri ſarcire, damnum, ſed tunc ſolum, cum artem magicam non callet. Abſurda æque ac impia hæc eſt opinio, quæ illicitam lucrandi artem eſſe magiam docet divinis humanisque legibus vetitam. Divinæ humanæque leges hoc pacto deſtruuntur: nec tam abſonum errorem ullus umquam ante hunc Auctorem docuit.

Divinationis ſpecies quædam ſunt *ſortes*, quæ tripliciter dividuntur. Aliæ pure, ſunt illæ

vinatoriæ, ut futurum quidpiam vel occultum sciatur, & plerumque peccata sunt mortalia, quia in illis tacite diabolus invocatur: nisi expresse a Deo solo expectetur responsio, sicuti cum Saul super Jonatha sorte usus est.

Aliæ sunt sortes *divisoriæ*, ut quid ad singulos spectet sciatur. Licitæ hæ sunt, si tria adsint. *Primo*, ut omnis absit injustitia, quæ certe adesset, si in plures sortiretur, quod ad unum spectat; aut si a sorte is excluderetur, qui æquale cum aliis jus habet. *Secundo*, ne quid detrimenti capiat respublica, veluti si sorte munera publica indignis tribuerentur. *Tertio*, ne dignitates, aut Ecclesiastica Beneficia sortiantur, quæ sortiri non licet, cum ad hæc divina requiratur vocatio. In actis supra duos sortem miserunt Apostoli; sed Deum ante exorarunt ut ostenderet, quem in Judæ locum elegisset. Modo tamen hæc praxis vetita est.

Aliæ denique sunt *consultoriæ*, ut sciatur quid in rebus dubiis sit agendum: sunt vero licitæ, si omne diabolicum absit commercium, & istæ tres adsint conditiones, 1. ut in necessitate id fiat, alioquin esset Dei tentatio. Exempli gratia nescit Episcopus quem e Presbyteris eligat, ut ægrotis ministret, cum omnes æque digni sint, & pari zelo ferventes: sorte tunc uti possit, ut Dei voluntatem intelligeret, 2. reverenter sors est mittenda, oportet enim ut reverentia debita Deus consulatur, 3. in profanis rebus, vel malis sorte uti non licet.

CAPUT V.

Vanæ observantiæ notio & species.

Vana observantia est superstitio, qua inutilibus rebus utimur, quæ nullam neque divinum neque naturalem vim habent. Quadrifariam dividitur. Prima vanæ observantiæ species est, quando scientiam acquirere nitimur verbis, quibusdam, & jejuniis, aut figurarum, & inutilium inaniumque rerum inspectione, eam veluti infusam habere cupientes absque studii labore, quo passim & naturaliter ex Dei ordinatione scientia acquiritur: qui hæc agit, lethaliter peccat.

Altera vanæ observantiæ species est ad obtinendam sanitatem, cum cæremoniæ quædam adhibentur, aut certa verba proferuntur, aut quædam signa fiunt, ut hominum vel animalium morbi depellantur. Hæc apud rusticos frequenter usurpantur, inter quos anus pleræque hominum & animalium morbos verbis aut superstitiosis actionibus se depellere profitentur. Quando ex ignorantia, aut magna simplicitate id fiat, veniale tantum peccatum committitur; verum si postquam vanitatis & periculi actionis suæ persona est admonita, hanc exercere pergat, tacite diabolum invocare censetur, quod certo mortale peccatum est.

Tertia ejusdem species est, cum fortuitos observamus *eventus*, & ex his prospera aut adversa eventura prænunciantur; veluti si prius pedem

pedem ſiniſtrum gradientes moveamus, aut in januæ limine domo exeuntes offendamus, aut dum aliquid hujusmodi agimus. Vanæ & ridiculæ ſunt hæ obſervationes; ſed plerumque peccata tantum ſunt venialia, niſi his jam moniti obſtinate adhæreamus.

Quarta vanæ obſervantiæ ſpecies eſt circa *reliquias*, ſive veras, ſive falſas: circa veras, quando illas vanis cæremoniis geſtamus, veluti ſi quis Sancti reliquias hoc non alio involutas panno geſtaret, aut hac non illa diei hora; aut ſi hisce potius circumſtantiis quam ipſis fidamus reliquiis, quod interdum eſſe poteſt mortale peccatum.

Locus hic eſt, ut aliquid de *Scapularis* devotione ſubjiciam. Hanc minime vituperare volo, cum & ſanctæ Virginis honorem reſpiciat, & a Pontificibus plerisque ditata ſit indulgentiis; verum neceſſarium exiſtimo Confeſſarios monere, ut a vana confidentia, quam huic devotioni adhibent, homines retrahant. Putant, ſi ſcapulare gerant, ſe numquam absque confeſſione interituros; & hac nixi fiducia vitam omnem in peccatis ducunt. Plerique in duello pugnant, ſperantes non fore ſe in ea pugna interficiendos. Horribilis hæc eſt ſuperſtitio, & diaboli dolus, quo ſanctam inſtitutionem in ſcandalum & impœnitentiam mutat. Hujusmodi devotionem ſancta Virgo non probat; illique irrogatur injuria, ſi ejus veſte contecti, Filium ſuum offendimus. Verus Chriſtiani habitus eſt Chriſtus Jeſus juxta Apoſtolum, qui ait: *Induite novum*

hominem, qui secundum Deum creatus est (Ephes. 4.). Scapularia sancti Francisci, vel sancti Augustini cingula tunc juvant, cum supra proprium christiani habitum hæc gestamus, & sunt veluti media ut digne illo vestiamur. At pœnitentiæ inimici homines hæc exterius signa libenter gerunt, ex quibus nil molestiæ capiunt, & temere peccatorum suorum veniam sperant propter indulgentias, quæ hujusmodi signis sunt conjunctæ: verum si non pœniteant, ignis æterni pœna Deus illos damnabit.

Quatuor hisce notis vanæ observantiæ noscuntur. *Prima* est, cum verborum efficacia omnis in vanis quibusdam circumstantiis constituitur; veluti si ad depellendam infirmitatem tria *Ave* ante Solis ortum essent recitanda. *Secunda* est, si nomina aut characteres, quibus utimur, incognita omnino vel obscura sunt, sic ut passim in schedis evenit, quibus sanari febres creduntur. *Tertia* est, cum vanum est id quod peragitur. *Quarta* est, cum falsa quædam & apocrypha usurpantur; veluti cum sancto Petro ridicula quædam dixisse Dominus perhibetur. Hujusmodi signis, quæ in plebe occurrunt, venam observantiam dignoscere, & vitare possemus (*a*).

CAPUT

(*a*) Superstitiosa observantia &c. plerisque in Diœcesibus reservatus est casus, si nempe peccatum mortalis malitiam attingit. Omnes proinde circumstantias, ac præcipue illam personæ rite considerare Confessarius debet, ne ex præcipitantia peccan-

CAPUT VI.

Magiæ notio, & signa.

Magia est facultas ea, quæ naturæ vires superant, patrandi, ope dæmonis, qui per magos operatur, iis fingens obtemperare, ut eos fallat, sibique subjiciat. Diabolica hæc ars oritur ex prava curiositate, quæ homini lapso est naturalis, illumque ad extraordinaria experienda, & ad aliis incognita scrutanda impellit: quod scientiam quodammodo æmulatur, quam a Deo in creatione homo acceperat. Deo hæc ars directe opponitur: dæmoni siquidem honorem soli Deo debitum tribuit, & dæmonis ope id scire & facere satagit, quod Deo opitulante fieri solum potest. Maxima severitate in lege veteri Magia prohibebatur. In Levitico legitur: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteмini, ut polluamini per eos* (*cap.* 19.); in Exodo vero: *Maleficos non patieris vivere* (*cap.* 22.). Hæc prohibitio, qua dæmonis adoratio quælibet & invocatio vetatur, ad naturalem legem non minus, quam ad scriptam, & evangelicam pertinet. Populi omnes magos sunt detestati; & a Romanis vetita fuit magia, qui hujusce artis libros, quos in sepulchro suo Rex Numa claudi jusserat, ne ederentur, combusserunt.

Natu-

---

peccatum reservatum esse judicet ubi nullum est, aut econtra. Rarius hanc reservationem simplices mulierculæ, aut rustici; frequentius versuti decoctores, & circumforanei &c. incurrunt.

Naturalis hujusce prohibitionis causa est, quia dæmon acerrimus est Dei hostis, qui, si fieri posset, Deum vellet destruere, ut honorem illi debitum sibi usurparet, & ipse in orbe dominaretur. Naturæ lex docet, non licere subditis cum Regis hostibus fœdus inire: Dei autem hostes sunt dæmones, quorum odium juvamus, dum magiam exercemus, sive expresse id fiat, sive implicite: *expresse* id fit, quando cum dæmone ipso, vel cum ejus ministro pactum scimur; *implicite*, cum verbum aliquod proferetur, aut aliqua fit actio, quibus operari dæmon solet. In extrema aliquis necessitate posset delatam sibi ab hoste Principis opem accipere, quin propterea esset proditor. At non idem de dæmone est statuendum: hominum universalis & supremus Rex est Deus, omniumque Dominus, quæ intra se vel extra homines habent, vel opera exercent; cumque nil a dæmone nisi Deo permittente possint homines accipere, quicquid ab ipso accipiant, eorum plerumque salutem obest. Quamobrem frustra a dæmone quæritur, quod a solo Deo est expectandum.

Non semper expressa est dæmonis invocatio, interdum est *tacita*. Id autem evenit *primo*, quando verba proferuntur, quæ non expressé propositum effectum significant: *secundo*, quando figuræ fiunt, veluti circuli, quadranguli, &c. *tertio*, quando verbis falsa & apocrypha miscentur: *quarto*, cum inutiles ad propositum conditiones usurpantur, veluti in tali charta scribere, vel adhibere herbam, quæ tali die

collecta; quæ quidem a pluribus fiunt, quin dæmonis ope uti intendant : *quinto*, cum effectus media, quibus utimur, superant, veluti si philtris, aut amatoriis potionibus utamur, ut quempiam ad amandum vel odiendum excitemus. Omnis hujusmodi invocatio est magia quædam; ac proinde mortale est peccatum, cum ea utens dubitare merito potest, ne dæmonis ope sequatur effectus, nec tamen invocationem omittit (*a*).

Non

(*a*) Magorum potestatem, & sagarum artes plerique nostri ævi Doctores tamquam inania phantasiæ deliramenta rident, eaque omnia, de quibus sagæ se jactant, nonnisi in imaginaria illusione consistere asserunt; propter malam tamen nocendi voluntatem, aliaque adnexa vitia ejusmodi homines pœnis tam canonicis, quam civilibus omnino subjiciendos esse, uno ore omnes fatentur. Quodsi tale monstrum ad confessionale venerit, caute cum eo procedere Confessarius debet, sitque sincera, anve ficta confessio ex circumstantiis advertere. Tum de inito cum dæmone pacto inquirat, illius dissolutionem, & ejurationem petat; sublatis omnibus pacti signis; non tamen (prout recte P. Schram monet) est necesse, ut pœnitens illud, quo fors se obligavit, chirographum a dæmone repetat, & impetret. Examen postmodum circa ea, quæ magiam comitari solent, vitia instituatur, fiatque quæstio 1. de hæresi, & apostasia a fide, 2. de blasphemiis contra Deum, Christum &c. 3. de sacrilego S. Eucharistiæ abusu, 4. de superstitioso cultu dæmoni exhibito, 5. de nefanda luxuria, 6. de damnis proximo illatis aut saltem intentatis, 6. de seductione & scandalo. Hisce per-

Non ſunt magicæ arti adſcribendi quidam effectus pure naturales, licet rari. Habet natura arcana quædam myſteria: quod ſi plantarum & mineralium vim, aſtrorumque curſum, aſpectus, & influentias probe noverimus, profecto mira plura patraremus, qualia Philoſophi quidam patrarunt, qui Magi ſunt habiti: hoc nomine plerique docti viri ab indocto vulgo ſæculis nequioribus ſunt appellati. Verum a mirisce rarisque procurandis effectibus prudenter eſt temperandum, ni ex his aliqua Dei gloria, aut proximi utilitas expectetur. In his curioſitas plerumque & vanitas adeſt, quæ duo verum Chriſtianum ſectari dedecet.

CAPUT VII.

Maleficii deſcriptio & diviſio.

Maleficium ſic definitur, ars nocendi aliis ope dæmonis. Dupliciter dividitur; aliud enim eſt maleficium amatorium, aliud veneficium. *Amatorium*, ad amandum excitat, mentem turbans,

---

peractis Confeſſarius, præſertim juvenis, ſpiritualia interim remedia videlicet magnam in Deum fiduciam, ſanctiſſimorum Nominum invocationem, ſanctæ Crucis venerationem, ſacramentorum frequentationem &c. pœnitenti ſuadeat, abſolutionem, quamtum circumſtantiæ permittunt, nonnihil differat, & circa ſpecialia quædam, virum doctum, pium, aut veteranum Confeſſarium conſulat, ejusque prudens conſilium ſequatur, ſicque aut veri pœnitentis promoveat ſalutem, aut aſtuti impoſtoris dolos, & versutias eludet.

bens, sanguinem inflammans, & ad luxuriam provocans potionibus, aut virgis, aut aliis hujusmodi. Item contra aliquem hoc maleficio odium excitatur, sicut inter maritum & uxorem evenit, qua re a conjugii opere exercendo impediuntur. *Veneficum* vero varios creans morbos corporis sanitati obest; vel animalibus nocet, & ægrotare facit; aut agris nocet, grandine, tempestate, aut sterilitate. Id sæpe in villis magi conficiunt, Deo permittente, vel ut populos puniat, vel ut exorcismorum Ecclesiæ vim, & Sanctorum protectionem ostendat.

Nulla est fascinatio, quæ hominum voluntates ad amorem vel odium cogere possit. Una amoris comparandi ars est, quam tradit Poeta inquiens: *Ut ameris amabilis esto.* Fascinatio mentem plerumque turbat, & amentiam potius quam amorem creat, ut sæpius experientia innotuit.

In maleficio inquirere debet Confessarius quale pactum, & quomodo cum dæmone sit initum. An magus Christi fidei & Sacramentis renunciare promiserit: quod si in hac promissione aliquis adfuerit circa fidem error, fidei dogmata falsa putando, aut sanctificandi vim Sacramentis demendo, tunc pacto conjuncta est hæresis. Verum licet absit hujusmodi error, unius tamen pacti & maleficii malitia mortale est peccatum valde enorme.

2. Inquirendum est, an aliquo modo magus dæmonem adoraverit; & an crediderit honorem aliquem dæmoni tamquam debitum esse præ-

stan-

ſtandum, illumque poſſe humanam voluntatem flectere, dum dæmonis opem petit, ut alium ad amandum vel odiendum impellat.

3. Maleficium ipſum eſt conſiderandum, & ſcrutari oportet, an in eo conficiendo ſacri aliquid admiſceatur, veluti Aqua benedicta, Oleum ſanctum, Cereus benedictus, aut (horrendum dictu) ſanctiſſima Euchariſtia. Diabolus enim acerrimus Dei hoſtis ſanctioribus rebus Dei cultui dicatis in ſortilegiis utitur; quo pacto ſimplices fallit, qui peccare minime putant, dum verbis ſacræ Scripturæ utuntur, aut ecclaſticis orationibus, aut rebus iis, quæ fidelium venerationem ſuapte natura merentur.

Damnum quoque eſt attendendum, quod proximo maleficium affert, ejus nempe perſonæ, ejusve bonis; unde reſtitutionis obligatio oritur (*a*).

In hanc etiam materiam recentes Caſuiſtæ pernicioſas opiniones invexere. Docet Caſuiſta quidam, audientem pactum ab alio cum dæmone fieri, ut theſaurum celet, poſſe

(*a*) Qui philtro proximum in amentiam conjecit, vel maleficiis ad noxium quid agendum compulit, graviter contra juſtitiam peccavit, tollere maleficia tenetur, quantum poteſt, ac inde ſecuta damna reparare. Etiam pro ablato memoriæ aut rationis uſu quamdam reſtitutionem pecuniariam eſſe faciendam cum nonnullis Sotus exiſtimat: alii ejusmodi bona pretio quovis ſuperiora, adeoque minime compenſabilia eſſe putant, & reſtitutionem ſolis damnis emergentibus commenſuratam exigunt.

posse signum facere contrarium illi, quod alius fecit, ut thesaurum dæmoni custodiendum traderet, ne illum amplius dæmon custodiat; verum nonne dæmoni hoc pacto creditur, qui thesaurum, rogatus quamvis, custodire non est sollicitus; & superstitiosa observantur signa, quorum ipse est auctor? Non ille depositum thesaurum curat, sed illius animam, qui sibi credit, & propterea superstitionibus utitur, ut ut dæmon creditum thesaurum custodiat, vel deferat.

Quærit idem Auctor, an maleficium maleficio tollere liceat? Respondet, si absolute petas ab eo, qui maleficium fecit, ut illud tollat, licet scias posse illum alio maleficio, quo forte uretur, id efficere, probabile est posse te licite illum impellere ad maleficium tollendum. Addit Casuista alius, non esse illos superstitiosos, qui verbis ex Psalmis, aliisque orationibus excerptis morbos sanant; licere quoque verbis sacris uti ad canum latratum impediendum, & ad sanguinis sistendam effusionem; dummodo certo non expectetur effectus, & vanæ si quæ sunt averruncentur cæremoniæ. En ridiculam exceptionem; siquidem licitum putat hic Auctor hos eventus probabiliter a dæmonis vi expectare, & probabile cum illo commercium habere. Verum nonne quodlibet cum dæmone commercium debitæ Dei adorationi adversatur? Quis sanctorum Patrum sortilegia damnans vana hac distinctione usus est? Hancne excusationem sæcularis judex admitteret, si magus reponeret, se

artis ſuæ effectum cum certitudine minime ſpe raſſe? Quamvis ethnicæ ſint vanæ hæ cæremo niæ, non eas diabolus adhibere detrectat; ſa ctis tamen ſacrisque cæremoniis libentius utitur, ut eas violans majorem Deo inferat injuriam.

Ii ſæpe magi appellantur, qui ſolum ſunt malefici. *Magi* dæmonis ope utuntur, ut po tentiam jactent, vel ut futura & occulta noſcant; verum *malefici* utuntur dæmone, ut proxima noceant, ſive in corpore, ſive in bonis, velut in gregibus aut agris, grandinibus, aut violentis imbribus a dæmone immiſſis. Hæc dæmon Deo permittente operatur mediis nobis incog nitis, quæ tamen naturalem vim non ſuperant.

His maleficiis aut verba ſacra, aut res ſacræ, veluti Aqua benedicta, vel Olea ſacra ſemper miſcentur: hocque ſacrarum rerum abuſu dæ monis ſuperbia gaudet, ſuoque honori deputat hæc ſibi offerri, Deoque eripi, cujus cultui ſunt dicata.

Quæri poteſt, an liceat a malefico petere, ut maleficium alio maleficio deſtruat?

Reſpondendum eſt, id minime licere; ſiqui dem maleficium eſt de ſe malum, & maleficu hoc eſſet communicare peccato, illique anſam præbere dæmonem iterum invocandi. Satius eſt uti Eccleſiæ precibus, quas ipſa ad maleficia ſananda præſcripſit, propriamque calamitatem patienter ferre. Verum ſi absque maleficio poſſet maleficium tolli, id liceret, quia tunc ſo lum diaboli opus deſtrueretur.

Ante

Antequam hanc materiam abſolvam, recentiorum aliquot Caſuiſtarum eſt abſurda opinio perpendenda, qui docent Aſtrologum pecuniam, quam, ut vaticinaretur, accepit, teneri reſtituere, ſi aſtra conſuluit; non vero ad reſtitutionem teneri, ſi dæmonem conſulat, quia hæc conſultatio ſtudium & laborem poſtulat. Aſtrorum contemplatio eſt innocens, quamvis ad futura inveſtiganda non proſit; aſt invocatio dæmonis ſemper eſt illicita, & propterea dæmonis invocandi labor juſtus nequit eſſe titulus pactum pretium exigendi. Hoc pacto in hominum commercium ars magica, tamquam ars licita ad captandum lucrum, importatur; quod omnino eſt dictu nefas.

CAPUT VIII.

Canonicæ ſuperſtitioſorum pœnæ.

Qui, poſt diſceſſionem a catholica Eccleſia, de peccato ſuo vere dolens ad illam redit, pœnitentiam agat decem annis, quibus expletis ad communionem admittatur (*Pœnit. Rom. tit.* 30. *c.* 4.).

Qui dæmoni immolaverit, decem annis pœnitentiam agat (*ibid. c.* 9.).

Qui Ethnicorum more elementa coluit, aut ſuperſtitioſa ſigna obſervavit, vel in ſerendis arboribus, vel in domibus ædificandis, vel in ſeminandis frugibus, vel in contrahendo conjugio, duobus annis pœnitentiam agat legitimis feriis, ideſt ſecunda, quarta, & ſexta (*ibid.* 14.).

Qui cum Judæo cibum sumpsit, decem diebus pane & aqua jejunet (*Conc. Elib. c.* 53.).

Qui incantationes diabolicasque divinationes peregit, septem annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. c.* 26.).

Mulier sortilega per annum pœnitentiam aget, aut juxta alium canonem annis septem (*ibid. t.* 6. *c.* 2.).

Qui cum incantationis verbis medicas herbas collegerit, viginti diebus pœnitentiam aget (*Ivo Cornot. part.* 12. *c.* 36.).

Qui Magos consulit, aut domum suam ingrat, ut aliquid arte magica sciat, quinque annis pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit.* 6. *c.* 5.).

Qui domum suam magicis cantionibus purgat, aut quid simile agit, vel fieri permittit, aut consulit, quinque annis pœnitentiam aget (*ibid. c.* 11.).

Qui in aliorum agros tempestatem excierit, septem annis pœnitentiam aget, quorum tribus pane & aqua jejunabit (*Conc. Ancyr. c.* 23.).

Qui magicis artibus fidem adhibuerit, aut iisdem participaverit, legitimis feriis per annum jejunabit (*Pœnit. Rom. tit.* 6.).

Qui fascinationem verbis exercuerit, tribus Quadragesimis pane & aqua jejunabit, ante videlicet Nativitatem Domini, ante ejusdem Resurrectionem, & per tredecim dies ante Nativitatem sancti Joannis Baptistæ (*Pœnit. Bedæ c.* 1.).

Qui futurorum sortem in libris aut tabellis quæsierit, quadraginta diebus pœnitentiam aget (*Ivo part.* 11. *c.* 24.).

Qui

Qui superstitiosis instrumentis res perditas requiret, duobus annis pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit.* 6. *cap.* 7.).

Qui aliquid manducabit, aut bibet, aut secum feret, ut Dei judicia impediat aut evertat, pœnitentiam aget ut magus (*ibid. c.* 6.).

SECTIO VI.

DE SIMONIA.

CAPUT I.

Simoniæ notio, & divisio traditur.

Mare magnum ingredimur, ubi plerique absorpti sunt, scientes nonnulli ac volentes, ignorantes alii. Hoc semper malo vexata est Ecclesia; & sub prima & secunda Regum nostrorum stirpe Gallica præsertim Ecclesia hoc morbo afflicta est. Ut malo huic remedium afferret sanctus Gregorius magnus plures ad Galliæ Reges, & ad Brunichildam Reginam litteras dedit; pluresque Synodos coegere Episcopi, ut hanc pestem averterent. Nostro hoc ævo vix hic morbus se prodit. Verum nonnulla sophismata recentiores Casuistæ excogitarunt, ut Simoniæ timorem omnem eliminarent; & si illorum admittatur doctrina, nulla jam Simonia committi potest, adeo multa reperere, ut Dignitatum &

Beneficiorum cupidos palparent, eorumque ambitionem & avaritiam foverent. Eorum celebris distinctio inter *pretium* & *causam*, viam Simoniæ scandalose aperit; docent enim non posse profecto pecunia Beneficium acquiri, sed posse quidem Collatori pecuniam dari, ut ad Beneficium conferendum determinetur: satis vero esse ad Simoniæ labem vitandam, ut quis habitualiter nolit rei temporali spiritualem æquiparare. Ulterius alter progreditur, docetque nullam ab illo simoniam committi, qui pecuniam promittens Beneficium accipit, si hanc solvendi intentionem non habet. Si vera sint hæc axiomata, jam ab orbe simonia omnis exulat. Quis enim, quod in Beneficio spirituale est, pecunia comparare velit? Nonne sola in hoc temporalia spectantur? Conveniunt omnes Jurisperiti contractus formam non in actuali solutione consistere, sed in contrahentium voluntate. Paucos ante annos ab illustrissimis Galliæ Episcopis censuræ confixæ sunt propositiones istæ omnes, & a Theologica Parisiensi Facultate damnatæ.

Hisce adnumero in Romana Curia degentium inventiones, quibus Beneficia impune emunt, saltem coram terræ judicibus; tales sunt pensionum anticipatæ solutiones, capellarum erectiones, aliaque similia nimium in praxi frequentia. At invisibilis Judex haud juxta hæc sophismata sententiam feret; his siquidem araneæ telis nequeunt peccatores abscondi.

Simonia itaque studiosa voluntas est emendi aut vendendi rem spiritualem pro temporali vel econtra

econtra. Unde tria ad simoniæ peccatum concurrunt, videlicet res spiritualis ceu *merx*, res temporalis ceu *pretium*, & voluntas seu intentio illam mercem pro isto pretio comparandi, aut dandi. Horum quodlibet succincta explicatione dilucitare libet, ut simoniacum virus & facilius dignosci, & cautius vitari queat.

Res *spiritualis* esse potest vel *in se*, ut Sacramenta, reliquiæ, gratia, indulgentiæ &c. vel ex suo *fine* intime cum spirituali connexa, uti proventus beneficiales, studium concionis, catechesis, jus Patronatus, aut quælibet ad animæ salutem directe tendens actio.

Pretii temporalis nomine non modo pecunia sed quodvis aliud æquivalens subintelligendum venit. Unde trifariam illud Theologi dividunt, nimirum in munus a manu, a lingua, ab obsequio. Per *munus a manu* pecunias, annulos, vestes, frumenta, aut alia pretiosa: per *munus a lingua* patrocinium, favorem, vel commendationem animo quidquam spirituale impetrandi factam designant, uti si collatoris famulum commendatione promoveas, ut hic vicissim protrocinando quoddam beneficium a suo Domino tibi impetret. *Per munus ab obsequio*, quodlibet servitium Prælato vel Collatori præstitum denotatur, si nempe eo animo illud quis subiret, ut pro retributione ecclesiasticum Beneficium reportet. Hoc considerent, qui munus Eleemosynarii aut aliud apud Episcopum suscipiunt, si enim hujus muneris exercitio ad obtinendum

Beneficium viam sibi sternere intendunt, veram simoniam committunt.

Voluntas, seu intentio in simoniaco ea sufficit, qua temporale dare vel offerre pro spirituali obtentione velit, sive dein hoc temporale ut strictum *pretium*, sive ut alliiciens *motivum* respective ad spirituale intendat; sive hanc suam intentionem verbis exprimat, & in pactum deducat, sive intus in corde contineat (a). Profecto Simon Magus (a quo hoc vitium nomen traxit) dure increpatus a sancto Petro fuit, eoquod *existimarit donum Dei pecunia possideri* (*Act.* 8.); & tamen nude *pecuniam obtulit*, ut cui ipse manum imposuisset, Spiritum sanctum acciperet. Juxta nova Casuistarum principia Simon excusare se potuisset, ac dicere, non pro dono spirituali, sed ad captandam

Apo-

(a) Innocentius XI. has damnavit propositiones: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.* n. 45. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* n. 46. Et Can. *ex multis.* 1. quæst. 3. Alexander II. testatur, *Chalcedonense Concilium condemnasse eos, qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt.* Quia nempe hujusmodi pecuniæ, aut aliæ munera pro fine quidem intermedio aut proximo benevolentiæ &c. captationem, pro ultimo autem præcipuo rei spiritualis obtentionem respiciunt,

Apostolorum benevolentiam oblatas a se pecunias fuisse. Ast Ficulneæ istæ distinctiones quandoque apud homines, numquam apud Deum valent (a).

Peccatum grave simoniam esse sanctus Petrus ostendit, qui justo zelo succensus ad Simonem dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quia donum Dei existimasti pecunia possideri* (*Act.* 8.). Simoniæ pravitatem triplici ex capite sanctus Thomas (2. 2. quæst. 100. art. 1.) demonstrat „ 1. Quia res spiritualis non po„ test aliquo pretio terreno compensari, ut de „ sapientia dicitur: *Pretiosior est cunctis opi„ bus* (*Proverb.* 3.). 2. Quia id non potest esse „ debita venditionis materia, cujus venditor non „ est dominus; Prælatus autem Ecclesiæ non „ est dominus spiritualium rerum, sed dispen„ sator

(a) Tunc moraliter loquendo (ait P. Antoine *Tr. de Virt. Relig. art.* 3. Q. 2.) & in æstimatione prudentum temporale re ipsa se habet ut *pretium*; cum non datur *alio titulo*, quam ad obtinendum spirituale, nec confertur spirituale nisi ad temporale obtinendum. Sicut enim dans munus judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam, dicitur emere justitiam; & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam; ita qui dat temporale, ut moveat alium ad dandum Beneficium, emit virtualiter beneficium, & qui confert beneficium propter munera data, illud vendit, & vere tunc datur unum loco alterius. Alioqui nemo subtilitatis methaphysicæ peritus posset umquam Simoniam committere.

„ sator secundum illud: *Sic nos existimet homo*
„ *ut ministros Christi, & dispensatores Mysterio-*
„ *riorum Dei* (1. *Cor.* 4.). 3. Quia venditio
„ repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita
„ voluntate Dei proveniunt: unde & Dominus
dicit: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* 10.). Ex hac angelici Præceptoris doctrina aperte sequitur, Simoniam non unam sed triplicem videlicet sacrilegii, irreligiositatis, ac injustitiæ deordinationem involvere; quam numquam materiæ levitas, sed sola inculpata inadvertentia, aut ignorantia minuit. Hinc qui pro re spirituali vel leviusculum munus confert, aut accipit æque grave vel gravius peccatum committit; quia rem inæstimabilem vili adeo pretio appendit (*a*).

CAPUT II.

Communes Simoniæ divisiones adducuntur.

Simonia in eam quæ *juri divino*, & eam quæ *juri humano* est inimica, dividitur. *Prior* rei spiritualis sive expressa, sive tacita, prout supra expositum, venditione vel emptione committitur, estque intrinsece ac graviter mala, seu (ut scholæ loquuntur) prohibita quia mala; *posterior* in arbitraria Beneficiorum permutatione

(*a*) Huc damnata ab Alexandro VII. propositio spectat: *Non est contra justitiam Beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* n. 22.

ne consistit, estque mala quia prohibita; hujusmodi autem permutationes non obtenta prius licentia fieri Ecclesia prohibuit; ut res sacræ, ab avaritiæ mercatura immunes manerent; debitusque iisdem servaretur honos.

Huic primariæ adhuc alia in mentalem, conventionalem & realem divisio accedit. Simonia *mentalis* nihil aliud est, quam interna simoniaca intentio, quæ ad actionem quamdam externam impellit, vel eamdem comitatur. Ut si Canonicus primario propter distributiones chorum adeat; propter stipendium celebret, quin prava ipsius voluntas foris appareat (*a*).

Conventionalis Simonia est pactum expressum vel tacitum circa rem spiritualem emendam aut vendendam, necdum tamen executioni mandatum. Pactum *expressum* fit, quando claris, perspicuisque verbis quis paciscitur se illam pecuniam dare, ut illud exempli gratia Beneficium acquirat: *tacitum* est, quando quis signo aliquo votum alterius sibi comparat, aut ad dandum spirituale inducit, veluti si illi, dum Capitulum ingreditur marsupium ostendatur argento plenum, cujus obtinendi spe votum suum daret, ut alius Canonicatum consequeretur.

Realis

(a) Hinc per Simoniam *mentalem* non mere internum propositum, sed actum externum cum occulta simoniaca intentione positum intelligunt. Nihilominus sicuti internum propositum furandi ad speciem furti, ita & ejusmodi propositum ad Simoniam reducitur, ea tamen conditione, ut pœnæ canonicæ in Simonicos latæ, ad hanc mere internam simoniam minime sese extendant.

Realis simonia pactum est, utrinque executioni mandatum, sive dein pretium complete, sive incomplete fuerit solutum. Quodsi peracta conventione unius solum, puta vel rei spiritualis, vel temporalis facta traditio sit, usquedum mutua fiat, simonia ex conventionali, & reali *mixta* erit.

Præter hasce adhuc alia simoniaca lues ecclesiasticos inficit, magnasque in sancta Ecclesia ruinas causat. Eam *confidentialem* vocant, et describunt, quod sit pactum expressum vel tacitum, quo ille, cui procuratum, aut resignatum Beneficium fuit, obligatur, ut procuranti, vel resignanti certam pensionem præstet, aut Beneficium ipsum suo tempore resignanti, vel tertio cuidam iterum resignet. Malo huic commercio ingravescenti ut Romani Pontifices Pius IV. & Pius V. obviarent, solemnes Bullas ediderunt, quibus antiquæ sunt innovatæ pœnæ, ac plures superadditæ. Has quarto in capite producemus (*a*).

Simo-

(*a*) Sanctus Pius V. in Bulla *Intolerabilis* simoniacæ confidentiæ modos *pensione*, *accessu*, *ingressu* & *regressu* complectitur. *Pensio* est pars reditus a resignatario resignanti solvenda. *Accessus* est jus adeundi beneficium interea alteri collatum, quam primum in aliquo tertio, in cujus favorem intermedia facta est collatio, impedimentum actis &c. cessat. *Ingressus* dicitur jus de novo adeundi Beneficium, ante cæptam possessionem alteri cessum, quam primum ille alter aliud Beneficium obtinuerit, aut morte raptus fuerit. *Regres-*

Simoniam juri divino adversam ab ecclesiastica distinguendi regula hæc esto. Quoties res *in se spiritualis* aut cum spirituali arcte *connexa* pro temporali datur, simonia juri divino tam naturali quam positivo repugnans perpetratur. Qui vero rem spiritualem pro spirituali, vel temporalem pro temporali largitur, commutat &c. cujus largitionem, commutationem propter simoniacæ intentionis, & damni spiritualis periculum Ecclesia prohibuit, simoniam ecclesiasticam committit, sive dein mala intentio, aut damnum adsit sive non.

Simoniam itaque proprie talem, ac *jure divino* prohibitam committunt 1. *Parochi* qui pro Sacramentorum administratione taxam pecuniariam rigide quasi mercedem a rusticis, etiam pauperibus, extorquent, aut quod damnabilius est, debitoribus morosis, usquedum solverint, conferre salutis pignora renuunt &c. 2. Qui Missas propter stipendium celebrant, secluso hoc non celebraturi. Stipendium tamen secundario sustentationis causa intendere, culpa vacat (*a*). 3. *Cano-*

Regressus est jus de novo adeundi Beneficium aliquando actu possessum, alteri cessum, quamprimum cessionarius vel obierit, vel ad aliud Beneficium promotus fuerit. Omnes isti modi secluso Episcopi licentia simoniaci audiunt.

(*a*) Duplex in celebratione Missæ, vel alio quocumque spirituali exercitio spectari labor potest, unus operi *intrinsecus*, & inseparabilis uti lectio, cæremoniæ, & pro hoc quidquam temporale intendere, aut accipere simoniacum foret: alius *extrinsecus*,

3. *Canonici* qui sua in choro præsentia temporale lucrum magis quam Dei laudem, ac fidelium ædificationem intendunt. 4. Qui pollicitationibus lacessiti suum votum vendunt; aut adulatione ut alteri Beneficium conferat, Principem vel Episcopum adducunt. 5. Qui pro Beneficii resignato alium favorem, puta sororis ad nuptias commendationem, aut reciprocam Beneficii resignationem in gratiam tertii aliquando faciendam exigunt. 6. *Patroni*, qui jus patronatus vendunt, aut fundum, cui hoc jus est adnexum, pluris æstimant. 7. *Religiosi*, qui pro susceptione ad sacrum ordinem, vel Professione, vel jure sustentationis aliquid exigunt, nisi forsan monasterio fundi deficerent, aut pro supernumerario alendo non sufficerent. 8. *Mercatores* & circumforanei, qui cruces, rosaria &c. eoquod benedicta sint, majore, vel omnino summo in pretio vendunt.

Simoniæ *ecclesiasticæ* rei fiunt 1. Vendentes aliqua ecclesiastica munera, quæ temporalem tan-

---

cus, & separabilis ab opere, non tamen ab officio uti provisoria excursio ad ægrotum remotiore in villa decumbentem, & pro hoc aliquid exigi absque simonia nequit: alius denique labor & *operi & officio omnino extrinsecus* & ab utroque separabilis, qualis foret si privatus Sacerdos, vel Parochus ex Beneficio non obligatus constitueretur ad celebrandam Missam in Ecclesia duabus leucis distante; & pro hoc citra simoniæ crimen juste quidquam exigitur. Ita D. Amort. *Tom. 1. Tr. 3. Sect. 2. §. 9. n. 25.*) citans pro se Tolletum, Catalanum, Valentiam, & alios.

tantum administrationem respiciunt, uti officium œconomi, Sacristæ, Procuratoris, Advocati Ecclesiæ; cum rebus tamen Deo dicatis nexum habent (*can. Salvator.* 1. *quæst.* 3.). 2. Beneficium aliquod propria auctoritate, absque Papæ vel Episcopi interventu permutantes etiam in favorem tertii. 3. Beneficium cum pensionis reservatione sine superioris auctoritate resignantes. 4. Examinatores Diœcesium pecuniam vel aliam rem temporalem, utut sponte oblatam, accipientes. 5. Pecuniam exigentes pro sepultura, ut habetur cap. *Abolendæ. de Sepulturis.* Verum ubi contraria adest consuetudo legitime cum Episcopi approbatione præscripta, ut pavimentum sarciatur Ecclesiæ in qua cadaver sepelitur, nulla simonia committitur, si permissa pecuniæ summa exigatur (*a*).

CAPUT III.

Beneficiis contentiosis sæpe Simonia se ingerit.

Inordinata rem quamdam vel acquirendi vel retinendi cupido ea sæpe media arripit, quæ divina aut humana lege improbantur. Id præprimis

(*a*) Addi posset, pecuniam non pro sepultura, vel terra exigi, sed pro *onere* tum *positivo* quo totius alicujus familiæ cadavera in *certo* humari aut recondi loco debent; tum *privativo*, quo corpora quæcumque alia ab isto excluſa loco manent ita, ut, qui prius communis erat, facta conventione privatus esse incipiat, quod onus pretio æstimabile multi censent.

primis contentiosa circa Beneficia contingit, ubi Beneficiati, ne speratum, aut possessum Beneficium, amittant, ponendâ vel posita impedimenta pecuniis removent, huncque agendi modum praesenti, in qua versantur, necessitate excusant. Quantum ista excusatio valeat, ex dicendis constabit.

Triplici titulo Beneficium quoddam *contentiosum* fieri potest. *Primo* improprie, dum nempe duo vel plures pro illius collatione supplicant, spemque obtinendi fere aequalem habent. *Secundo* proprie, cum diversi a diversis sunt praesentati, vel unus electus, alter postulatus, ad idem Beneficium aut officium, qua praesentatione, electione &c. quilibet *jus ad rem* videtur cet Beneficium obtinuisse putatur. *Tertio* cum super Beneficio actu possesso unus alteri litem intentat, eumque de sua possessione dejicere nititur; hocque *vexatione* (ut vocant) vel *justa*, possessoris, aut competentis incapacitatem, aut crimen manifestando, vel *injusta*, eumdem calumniis infectando.

Qui ad Beneficium *aspirat*, pecuniamque offert, ne alius incapacitatem ipsius Patrono insinuando, vel digniorem ad concursum mittendo se a Beneficii consecutione impediat, simoniam comittit; quia (uti sanctus Thomas 2. 2. *quaest.* 100. *art.* 2. docet) *Sic per pecuniam sibi summam pararet ad rem spiritualem obtinendam*, quam nondum habet. Idem de illo dicendum, qui aemulum auro placat, ne calumniis sua ipsius

injuſta vexatione Beneficium ſperatum ſibi eripiat (*a*).

Qui ad Beneficium præſentatus, aut ad eccleſiaſticam dignitatem electus, quosdam contradicentes, ne confirmationem ac inſtitutionem impediant, muneribus devincit, Simoniacus eſt. Ita clare Lucius III. cap. *Matthæus. de Simonia.* ubi ad quemdam Iſtriæ Prælatum ita ſcribit: *Cum fuiſſes ad Eccleſiæ tuæ regimen de voluntate majoris partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus; quidam amicus tuus de con-*

(*a*) *Injuſtam* tamen vexam pecuniis redimere licet, præſertim ſi injuſte vexans *nocere* ſolum, non item *prodeſſe* Candidato poteſt, puta, ſi calumniis, Electores, Patronos &c. cuidam male affectos efficere, non autem ipſemet aliquod votum contribuere valet; quia juxta Soto, Sylvium & Leſſium apud Billuartum per talem pecuniam nihil ſpirituale ſibi acquireret, neque jus ad illud, ſed ſolummodo injuſtam quam in fama &c. patitur, vexationem redimeret. Sicut enim ille, qui *adeptus* eſt Beneficium habet, jus pretio procurandi ceſſationem a nocumentis *juſtitiæ* contrariis, ita & qui ad Beneficium *aſpirat*, habet jus procurandi ceſſationem a nocumentis *caritati* contrariis. Quamtumvis vera hæc Theoria ſit; periculoſa tamen ac delicata ejusdem praxis evadit. Sæpe enim vexationem ceu *injuſtam* philautia, ſeu inordinatus ſui ipſius amor lamentatur; quam alius æquior judex omnino juſtam eſſe agnoſcit; nonnumquam etiam tunc, cum injuſta vexa pecuniis redimitur, ſcandalum apud alios naſcitur. Sobrius itaque hujusce doctrinæ uſus eſſe debet.

conscientia tua, & voluntate turbata ei, qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio quievit. Nunc autem dubitas, quod non sis a labe simoniæ processus immunis, donec in administratione voluerit remanere. Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum: respondemus, quod tibi multum consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens: Non prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Hæc tamen de eo, qui vexationem justam pecunia tollit, hasque iis ipsis qui Capituli membra sunt, astute exsolvit, sunt accipienda. Nam quod Clericus, qui legitima electione, aut præsentatione verum ad Beneficium jus acquisivit, injustos vexatores muneribus sopire possit, haud obscure ex capitulo *Dilectus* de *Simonia* colligitur, clarisque verbis id sanctus Thomas docet, qui loco supra citato ita pergit: *Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Id magis adhuc verum est, si super Beneficio jamjam *possesso* injusta alicui lis intentetur; secus vero si ob admissum crimen, cui Beneficii privatio est adnexa, coram judice conveniretur; sic enim non tam vexationem pecunia redimeret, quam spirituale Beneficium temporali pretio sibi vindicaret, aut conservaret, quod simoniacum est.

Sed quid, potestne quis expensas, quas in lite super Beneficio fecit, a resignatario exigere? Si

Si mala fide litigavit, male quidquam in compensationem resignans exigeret; quia expensæ non alterius, sed sui causa sunt factæ. Si vero bona fide litigavit, eas præcise, quas occasione litis, fecit expensas repetere potest ab eo, cui pacis amore Beneficium resignat; quia bonæ fidei possessorem indemnem servari oportet. Attamen plus, quam revera expendit, exigere non potest; valida quoque renunciandi ratio esse, & ad Beneficium alioquin idoneus esse debet, qui renunciat. Si enim aliquis exempli gratia Parochiam cederet, quam regere non est aptus, quamvis multum in lite expenderit, non potest tamen expensas repetere.

At si quis Beneficium est adeptus, illudque pacifice possidet, illudne renunciare posset, & expensas, in acquisitione factas repetere? Respondeo id non licere, quia in sui, non resignatarii commodum illas fecit; secus simoniæ pateret aditus: ægre enim Beneficiarios reperies, qui nullas in Beneficiorum acquisitione expensas fecerunt: hinc cap. *cum primum. de pactis* Alexander III. ejusmodi conventionem reprobat, inquiens: *Nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Idem de pensionibus, de quibus privato conducto resignans, & resignatarius pacisserentur, ferendum est judicium.

Aliud quoque nuper excogitatum est artificium, videlicet cum Beneficium deest cum alio permutandum, Capella ejusdem reditus fundatur a parente pro filio, vel ab alio pro se ipso.

Extra controversiam est, quodsi pater vel aliu capellam instituat cum expressa intentione Bene ficium aliud obtinendi, hunc simoniam saltem mentalem committere. *Primo* sic ambitionis, vel avaritiæ opus agunt, peccantque contra ec clesiasticam vocationem, quæ omnino necessaria est, & quam ipsi sibi creant hac fundatione. *Secundo* magnam Ecclesiæ injuriam inferunt, qui absque vocatione illi tradunt ministrum, quem illa non elegit; & plerumque ineptum. Non me latet, Doctores quosdam docere, hunc Beneficium acquirendi modum esse licitum; quo Capellæ fundator novo fundo Ecclesiam dire Verum horum sophismata vanæque ratiocinatio nes nequeunt hoc validum reddere, quod robore caret, priscisque sæculis fuit inauditum. Si vere ex devotione Capellam quis fundavit, eam que aliquamdiu possedit, quin illam cum Bene ficio permutare intenderet, non eum damnarem, si postea eam cum Beneficio permutaret, sed pura ab initio, & ab omni negotiatione remo intentio fuerit oportet, ut scrupulum omnem excludat.

CAPUT IV.

Canonicæ Simoniacorum exponuntur pœnæ.

Omnem licet Simoniacam pravitatem Eccles detestetur; contra tres tamen præcipue ejusdem species canonicis pœnis animadvertit, eoquod eas præ cæteris sicut frequentiores, ita & periculosiores agnoscat. Sunt autem illæ sum-

simoniæ, quæ 1. circa Beneficia, 2. circa sacram ordinationem, 3. circa Religionis ingressum committi solent.

Pœnæ in Simoniacos circa *Beneficia* (ad quæ etiam aliæ dignitates Abbatum, Priorum &c. reducuntur) sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata, qua non solum simoniaci paciscentes, sed etiam cooperantes innodantur, sicuti habetur in Extravaganti *cum detestabile* (*a*). 2. Tituli, seu provisionis nullitas, ob quam nec Beneficium retineri, nec fructus percipi possunt. 3. Inhabilitas simoniace provisi ad idem Beneficium denuo acquirendum, quam nec Episcopus sua tollere dispensatione potest, uti capit. *Nobis. de Simonia* Cœlestinus III. declaravit. Si tamen Beneficium simplex sit, ipsoque proviso ignorante simonia intervenerit, simplici facta resignatione, Episcopi dispensatio ad pristinum Beneficium januam aperit juxta cap. *Si aliquis. de Electione* &c. 4. Inhabilitas ad alia Beneficia juxta Bullam Sixti V. quæ incipit *Sanctum*. 5. Privatio Beneficiorum antea obtentorum post sententiam saltem declaratoriam judicis, quemadmodum ex Bullis Pii IV., & Pii V. colligitur (*b*). 6. Beneficiorum per confi-

(a) Ab hac, si ad forum contentiosum nondum deductum, sed occultum simoniæ crimen sit, Episcopi ultramontani absolvere possunt.

(b) Hæc tamen inhabilitas ad futura Beneficia, ac privatio antea possessorum a solo recipiente, non a resignante aut conferente incurritur, utut ex-

confidentiam acceptorum reservatio papalis, & proventuum aut pensionum ad cameram pontificiam devolutio juxta easdem Bullas, quæ tamen quoad ista in Gallia usu receptæ non sunt (a).

Ut istæ pœnæ incurrantur, simonia non mere mentalis, aut conventionalis, sed realis completa esse debet. Hinc si Antonius pecuniam summam pro Beneficio promisit, quam solum post quindecim ab adepto Beneficio dies solvit, tunc primum pœnis juris subjacet, cum pecuniam solvit, nec fit irregularis, etsi ante solutionem sui ordinis muneribus functus fuerit (b).

---

communicatio papalis ipsis maneat. Imo si recipiens statim ad se reversus & resipiscens scelerata male parti Beneficii dimissione sibi prospexerit, ipse quoque ad alia saltem Beneficia habilis manet, neque præhabitis privatur. Ita Natalis Alexander & alii S. Pii V. Bullam exponunt.

(a) Hujusmodi Beneficiorum reservatio, & pensionum devolutio nec in nostra Germania tenet. Nam Concordata, quæ Fridericus III., aliique Germaniæ Principes cum Eugenio IV. a. 1447 inierunt, omnes novas reservationes excludunt. Hisce autem concordatis ceu pacto bilaterali subsequentes Pontifices absque Germanorum consensu derogare per suas Bullas non possunt. Sed de hoc Exim. Barthelium, Zallwein, aliosque Publicistas vide.

(b) Has ipsas pœnas illi incurrunt, qui propria auctoritate Beneficia commutant, aut pensiones constituunt; quia etiam hi jure ecclesiastico simoniacorum nomine veniunt. Hancque sententiam ceu communem Antoine laudat (Tr. de

In confidentiali tamen simonia sola Beneficii datio, & acceptio sufficit; nec actualis cessio, atque pensionum solutio &c. requiritur: unde Cajus quamprimum sub fiducia pensionis &c. Beneficium Petronio resignat, dum alter Beneficium occupat, ipso facto uterque excommunicationem incurrit, utut fiduciaria conditio diu postea sit purganda, & quod plus est, etsi accipiens mala fiducia, quam in resignante advertit, ipsemet careat, prout clare in Bulla Pii V. habetur.

Si Claudius Petro centum aureos solvat, ut Andreæ amico suo Beneficium resignet, Andreas, hujusce conventionis inscius, si postea desuper certior factus ipsam ratam habeat, in excommunicationem non incidit; in eas siquidem lata est excommunicatio, qui simoniam commiserunt, aut ad illam cooperati sunt, quorum neutrum dici de Andrea potest. Pariter si filius patri suo, aut amico reddat pecuniam, quam occulte pro Beneficio suo hi solverunt, in excommunicationem non incidit; at graviter peccaret, & Beneficium teneretur dimittere ad quod jus nullum habet, cum juxta sacros Canones simonia irritam collationem reddat, & possessor ipso facto, ante judicis sententiam Beneficio pri-

---

virt. *Relig. cap.* 5. *art.* 3. *de Sim. post quæst.* 21.). Ab his tamen pœnis immunes sunt, qui de commutatione, pensione &c. privatim tractantes ultimato nihil concludunt; sed totum ad beneplacitum summi Pontificis remittunt. Billuart *De Simon. Sect.* 3. ad finem.

privatus existat: quod non de eo solum est intelligendum, qui simoniam commisit, sed de illo pariter, qui pro se simoniam factam esse, postea novit.

Sciens Ecclesiasticus consanguineos suos aut amicos pecuniam esse daturos, ut ipsi Beneficium comparent, se illis expresse opponit, & impedire nititur; nihilominus illud consanguineis emunt; ille vero nihil de simonia suspicatus bona fide possessionem inchoat: quæritur an de simonia certior factus Beneficium dimittere teneatur? Ad Beneficium dimittendum illum non adstringi, Doctores plerique censent, Innocentii III. Rescripto nixi, ubi Pontifex ad similem casum ita respondet: *Contra promissionem, & voluntatem tuam . . aliquis te penitus ignorante, promisit, pecuniam, & exsolvit; præsertim cum is nulla sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad pœnam vel culpam imputari, nisi postea consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam. Alioquin contingeret, quod alicujus factum, insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret* (cap. *sicut. de Simonia*).

Si quis Beneficium simoniace collatum pacifice ac bona fide per triennium habuerit, certior jam factus de simonia posset illud juxta aliquos retinere, & valida esset ejus provisio, dummodo fructus hoc triennio perceptos, adhuc reduos, restitueret, sicut alii bonæ fidei possessores ad restitutionem tenentur. Auctores graves alii

alii de hac Beneficiorum præscriptione altum silent, alii eam omnino negant; quibus & ego assentior: quia simonia tale est crimen, ut ubi se ingerit, favorem omnem excludere Jura velint. Beneficiatum itaque a fructuum consumptorum restitutione absolverem, ut tamen Beneficium simoniace sibi collatum resignet, veluti tutius, & forsan unice tutum suaderem (a).

Pœnæ simoniacorum circa *ordinationem* istæ sunt. 1. Ordinem simoniace conferens, suscipiens, & mediatores quidquam cooperantes ipso facto excommunicationem incurrunt Papæ reservatam (Extravag. *cum detestabile*) 2. Ordinarius insuper ab ordinum collatione, & muneris episcopalis executione suspenditur, juxta Bull. Sixti V. quæ incipit *Sanctum*. 3. Ordinatus

(a) Hoc ipsum tamquam tutius ac verius P. Billuart amplectitur allegans Regulam Cancellariæ, quæ Beneficium simoniace obtentum a præscriptione aperte excludit hisce verbis: *Voluit, & ordinavit Dominus noster, ut si quis Beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu ex apostolica, vel ordinaria collatione per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis molestari nequeat; nec non impetrationes de Beneficiis sic possessis factas irritas & inanes censeri decrevit.* Ubi omnis sive culpabilis, sive inculpabilis ingressus simoniacus excipitur. Eadem exceptio in Concordatis Leonis X. & Francisci I. Tit. *de pacificis possessoribus* legitur. Hanc sententiam tenent Molineus Pontas, Cabassutius, Concina & alii, eique supremarum Curiarum praxis favet.

tus deinceps suspensus a suo ministerio manet, hancque contra suspensionem ministrans irregularitatem incurrit, dignitates omnes deperdit, nec alias, donec a Papa habilitetur, acquirere novas potest, juxta Bullam eamdem.

Pœnæ simoniacorum circa *ordinis ingressum* notari istæ debent. 1. Pro admissione, aut sacra professione quidquam dantes, vel accipientes excommunicationi subjacent, si sint personæ singulares; si vero integrum capitulum sic suscipiat, vel aliis consentiat, suspensionem ab officio incurrit (Extravag. *Sanc. de Sim.*). 2. Simoniace professus ad arctius detrudi monasterium debet ut ibidem execrabilem excessum sine intermissione deploret (cap. *De Regularibus, De Simonia.*).

SECTIO VII.

DE BENEFICIIS ET PENSIONIBUS.

CAPUT I.

Beneficii notio, & divisio.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constituturum, & alicui propter officium spirituale concessum.

1. *Jus*

1. *Jus perpetuum* Beneficium dicitur, & per hoc a pensionibus, a Dignitatibus, & Vicariis temporariis distinguitur. 2. *Ecclesiæ auctoritate* constitui debet, cujus defectu capellaniæ, quas nobiles in suis castris, divites in suis domibus perpetuo duraturas propria auctoritate fundant, Beneficii ecclesiastici naturam numquam induunt. 3. Propter *officium spirituale* Clericis jus istud est concessum, prout jam supra, de horis canonicis agentes, monuimus. Non autem sola Breviarii recitatio, sed alia adhuc servitia, quæ Deo & Ecclesiæ impendere Beneficiatus debet, *officii* nomine comprehenduntur. Unde simplices adeo Beneficiatos, qui præter pensum canonicum, aut Missam nihil servitii ecclesiæ cathedrali, aut matrici præstant, Episcopus tolerare non deberet, sed eis quædam munia, quibus divinus cultus, & Ecclesiæ bonum promovetur, committere. Quod in politicis feudum, hoc in ecclesiasticis Beneficium est. Principes Nobilibus feuda concedunt, ut hi ære & armis auxilium regno ferant. Ecclesia Beneficia Clericis consignat, ut spiritualibus officiis Dei gloriæ augendæ studeant, dataque opera sacra jura tueantur. Notent hoc Clerici, qui turpi in otio ecclesiasticas fruges consumunt, qui pro ecclesiis, & spirituali fidelium bono nædum nihil agunt; sed & temerariis litibus, & contractibus fundos minuunt, proventus dilapidant &c. Certe sicut ingrati vasalli feudo, ita & imbelles hi Clerici Beneficio omnino indigni sunt.

Varias

Varias Beneficiorum divisiones Doctores, præcipue Canonistæ afferunt. Communiores sunt 1. in *simplex* quod curam animarum aut specialem dignitatem adnexam non habet, ut capellania simplex, Canonicatus; & *Curatum*, cui cura animarum est adjuncta, uti Episcopatus, Parochia, Abbatia, Prælatura &c. 2. in *sæculare*, & *regulare* primum clericis sæcularibus; alterum nonnisi regularibus est conferendum, 3. juxta Jus novum in *titulare*, & *commendale*. Illud cum plenitudine juris perpetuo Clerico traditur: hoc per modum solius administrationis alicui concreditur. *Commendata* autem ejusmodi Beneficia dicuntur, quia hæc, alias regularia, Clericis sæcularibus veluti administratoribus summus Pontifex commendat & confert, quin eorum naturam immutet. Quodsi diversus acquirendi modus attendatur, 4. Beneficium aliud dici potest *collativum* quod Episcopus libro ac proprio motu confert, aliud *patronatum*, quod ab eodem confertur illi, quem Patronus nominavit ac præsentavit; aliud *electivum*, quod via electionis, & supervenientis confirmationis obtinetur.

CAPUT II.

Regulæ a Beneficiorum collatoribus observandæ.

Sex præcipue modis ecclesiastica Beneficia obtinentur, 1. Libera collatione: 2. Patroni præsentatione, & Prælati institutione: 3. Electione & confirmatione: 4. Postulatione & admissio-

missione: 5. Permutatione: 6. Resignatione in favorem facta, & acceptata.

Per collationem jus actuale clerico traditur in Beneficii fructus; per præsentationem, seu nominationem ad Beneficium nullum reale jus conceditur; sed hoc primum canonica ex institutione oritur. Canonica autem institutio non mere arbitraria, sed si præsentatus dignus Beneficio sit, ex justitia est facienda. Si collator Beneficii nimis morosus sit, post sex menses conferendi jus ad Prælatum superiorem devolvitur. Patroni quoque ecclesiastici qui culpabilem moram in præsentando trahunt, post sex menses a præsentandi potestate excidunt, ac Beneficiarium ab Ordinario nominatum, ac institutum recognoscere debent; sæculares vero patroni in præsentationis munere negligentes jam quarto effluxo mense eamdem jacturam subeunt. Sed de his plura Canonistæ. His de Beneficiatorum præsentatione, ac nominatione præmissis pauca adhuc alia dicenda restant; magni siquidem momenti res est, cui plerumque Patroni, maxime Laici, non satis attendunt. Ut igitur Confessarii peccata noscant, in quæ Patroni labuntur, multum interest.

Id primo est notandum, ut Beneficium *gratis* detur, alias simonia committitur. Verum non sufficit pecuniam per seipsum non accipere; non enim licet permittere, ut consanguineus, amicus, vel familiaris accipiat, nec illos nominare, qui ab his commendantur: hujusmodi personis fidere non oportet.

2. Qui

2. Qui ad Beneficium nominare debet, Deum *diu oret*, ut sibi suggerat nominationem Ecclesiæ utilem; est enim hoc privilegium ab Ecclesia contra communes leges concessum, & solum quibusdam conceditur, a quibus utilis electio facienda speratur. Caveant Episcopi aut Ecclesiarum Patroni, qui ob sibi præstitum servitium domesticis suis Beneficia conferunt, nulla illis antea mercede tradita, ne ad sua solvenda debita Ecclesiæ bonis utantur, sic enim furti & simoniæ rei fiunt.

3. *Juste* dandum est Beneficium, & dant hæc justitia complectitur: 1. ut electus dignus sit, secus elector Ecclesiæ injuriam infert, cui indignum inutilemque ministrum tradit, & præterea peccatis communicat, quæ ex minister ignorantia proveniunt, & sunt innumera. 2. ne dignis fiat injuria, illisque id rapiatur, quod indignis traditur.

Porro ut quis Beneficio sit dignus, duo requiruntur: 1. scientia Beneficii oneribus apta; pro Capella siquidem non eadem scientia requiritur, ac pro Parochia: 2. vitæ & morum innocentia.

Quæri modo potest, an digniori dandum sit Beneficium? Sanctus Thomas ait, digniori semper dandum: quod de Parochiis certum est. At si Beneficium sit patrimoniale, & ex fundatione civi aut consanguineo dandum sit, digniori ex familia est eligendus, & repellendus indignus; hoc enim casu eligendus esset extraneus (a).

CAPUT

(a) Electores, Collatores, Patroni, qui indignum, aut minus dignum promovent graviter peccant; i. eum

CAPUT III.

Conditiones in Beneficiatis requisitæ.

Quoad illum, cui Beneficium confertur, hæc ex jure requiruntur: 1. ut sit Clericus; 2. ut sit legitimus: 3. Parochiæ præficiendus ut vigesimum quartum ætatis annum attigerit: 4. ut nullo canonico impedimento laboret, neque irregularitate, neque excommunicatione: 5. ne aliud

---

1. contra justitiam distributivam, quam proximo: 2. contra caritem & justitiam legalem quam Ecclesiæ debent, eorumque damnorum, ac peccatorum reos se faciunt, quæ ex hac injusta promotione sequuntur. Hinc Lateranense IV. Concilium eisdem sub pœna suspensionis a collatione &c. præcipit, *ut prætermissis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum* (Cap. *Grave. de Præbend.*). Tridentinum Concilium hoc ipsum confirmat (Sess. 7. *de Reform.* cap. 3.), provisionesque aliter factas irritandas esse decernit. Imo de Beneficiis *curatis* agens (*Sess.* 24. *cap.* 1.) declarat, *omnes & singulos mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Idque etiam de parochiis, intelligendum esse postmodum S. Pius V. decrevit (*Constit.* 33.). Et Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel* 1. *videtur per hos digniores non aliud significare, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel* 2. *locutione minus pro-*

aliud habeat Beneficium, uti fuse probabimus.

Verum præcipua conditio est divina vocatio, sine qua cætera nihil prosunt ad quam tamen minus hoc sæculo attenditur. In veteri lege Aaronem & Levi tribum inter cæteras Deus elegit, ut tabernaculo ministraret. Core, Dethan, & Abiron palam punivit, qui Sacerdotium usurpare voluerunt. Labente jam Judæorum regno turbata est hæc vocatio ambitione quorumdam, qui a postremis Regibus, aut a Romanis Sacerdotium emerunt. At in Christo Ecclesiæ capite evidentius vocatio elucet. Sanctus Paulus ait: *Non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Hebr. 5.)

Hæc

---

propria ponit digniores, ut excludat indignos; ea tandem loquitur 3. quando fit concursus. Sancti Patres volunt, & post eos sanctus Thomas, ut peccatum acceptionis personarum evitetur, ad quodvis etiam simplex Beneficium assumendum esse *meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune* (2. 2. *Quæst.* 63. *art.* 2.). Hæcque regula etiam in resignationibus est attendenda. Ut igitur Collator, Elector, resignans &c. illius, cui Beneficium conferatur, idoneitatem ipse sibi perspectam habeat, necessum est, nec sufficit, si nesciat, esse indignum. Unde ne indignum præsentandi, vel eligendi periculo se exponat, diligenter apud impartiales, num ille idoneus sit, inquirere tenetur. Obligatio hæc clare ex Tridentini verbis, & ipso Collatoris, Electoris &c. officio fluit. Vid. Antoine *Tr. de Benefic. §. V. Quæst.* 6.

Hæc verba valde sunt ponderanda : 1. enim observare oportet, Christum ab æternitate esse Dei filium, nec Sacerdotem factum nisi in plenitudine temporum ; 2. licet Christus Dei filius fuerit, & Sacerdotio dignissimus, non tamen Pontificatum sibi usurpasse, sed a Patre suo Sacerdotem electum, sicut subdit idem Apostolus : *Quemadmodum & in alio loco dicit ; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Unde evidenter infertur oportere, ut Dei filius vitæ innocentia sit qui Ecclesiæ ministerio fungitur. Quamobrem Concilia tot canones sanxere, quibus ad ecclesiastica ministeria aditus iis clauditur, qui corporum suorum puritatem violarunt, aut pœnitentiam publicam exercuerunt. Verum hoc exemplo vocationis divinæ necessitas potissimum demonstratur ; si enim Christus Jesus, qui omni ad Sacerdotium necessaria sanctitate fulgebat, non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, quomodo id licebit hominibus, qui ejusmodi sanctitate nequeunt claréscere ? Dei filius suam formans Ecclesiam idem est executus, quod Pater secum gesserat ; hinc Apostolis ait : *Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos* (*Joan.* 20.). Hanc regulam Apostoli tenuere ; cumque Judæ locum deberent implere, *statuerunt duos, & orantes dixerunt : Tu Domine ostende quem elegeris* (*Act.* 1.). In provinciis vero, quibus Evangelium annunciabant, ipsi eligebant homines, quos Episcopos crearent. Concilia deinde harum electionum formam statuerunt, & sexcenta exempla Historia ecclesiastica illorum refert, qui

non modo Episcopatus non ambierunt, sed pro virili recusarunt. Sed cum ambitio in Ecclesiam irruperit, & Ecclesiæ spiritus pene sit extinctus, quod boni olim formidabant, hoc modo ambiunt homines, qui *honorem* solum & *temporalia commoda* in Ecclesiasticis dignitatibus inquirunt, nec quid intentatum relinquunt, ut illa potiantur.

Casuistæ novi plerique ab antiquis adeo regulis recessere, ut licentiæ habenas laxarent. Salutarem hanc vocationis doctrinam sæculi consuetudo paullatim abolevit, pauci hodie sicut oportet illam perpendunt. Attamen neque hominum ambitio, neque novorum Doctorum sophismata, neque hujusce sæculi abusus divinam hanc regulam umquam destruent; verumque semper erit Dei vocationem ad Ecclesiastica suscipienda ministeria omnino esse necessariam. Hinc omnes ad obtinenda Beneficia industriæ, omnia laxorum Casuistarum sophismata, & aulicorum conventiones sunt penitus eliminandæ. Si quis vero petat, an hac vel illa via Beneficium consequi possit, ante omnia est interrogandus an *a Deo si vocatus*, & an a *sacris Canonibus requisita* habeat? Si hæc desint, non ultro in hoc negotio est procedendum; sed respondere illi oportet, nullo modo posse illum Beneficium quærere, & hoc ipso esse Beneficio indignum, quo illud quærit (*a*). Si a Deo esset voca-

(*a*) *Qui Episcopatum desiderat* (ait Apostolus I. *Timoth.* 3.), *bonum opus desiderat*, si nempe hoc

vocatus, non illi opus esset malis aut obliquis artibus uti; siquidem Dei providentia, a qua esset electus fortiter illum ac suaviter ad Ecclesiastica ministeria proveheret. Hujus argumenti parvum Tractatum conscripsi, quem evolvere lectori suadeo.

CAPUT IV.

Beneficiorum pluralitas vitiosam radicem habet.

Profligato simoniæ malo, Beneficiatis imprimis periculoso, jam de Beneficiorum pluralitate est agendum; hæc siquidem pestis nostro ævo Cle-

---

non suum honorem, sed pro Deo laborem desiderat. Ita certe desiderarunt, qui persecutionis tempore Episcopatum appetiere; quia tunc (inquit S. Gaudentius Brixiensis *in eumdem locum*) *Nihil aliud erat, quam optare quotidie millies pro Christo mori.* Ast hodie, cum *fructus, & vectigalia, & honores* Episcopatui aliisque Beneficiis sint adnexa, jam periculosum satis eorumdem desiderium erit. Unde verissima sancti Thomæ doctrina: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus; & sic preces sunt pro indigno* (2. 2. *Quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3.). Doctori Angelico sanctus Joannes Chrysost. præluxit, Homilia 3. *in Acta Apost.* hæc scribens: *Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum est; & his dicitur: Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari Regnum Dei.*

Clericos pene omnes inficit. Hanc suis Canonibus Ecclesia vetuit, contraque abusum hunc vehementer sancti Partes declamarunt. At hominum ambitio & avaritia legibus prævaluere, technasque mille excogitarunt, ut legibus illuderent. Quamobrem de hoc vitio exacte mihi agendum arbitror, ut plures ab errore avocem, quo plura se Beneficia impune habere putant Papæ dispensatione fulti. Plerosque sane Beneficiatos offendam, qui me errores aut paradoxa venditare accusabunt; sed horum neque calumnias neque odium formido. Vera afferam, ac validis stabiliam argumentis, quæ a naturali jure & divino, a Conciliis & sanctis Patribus depromam.

Dico primo satis esse pluralitatis hujus causam perpendere, ut eam damnemus; alia siquidem causa esse nequit, quam aut insignis avaritia, aut cupiditas, quæ *radix omnium malorum* ab Apostolo vocatur (*Timoth.* 6.). Si enim ab illo, qui plura Beneficia habere expetit, quæras, an ex caritate vel ex cupiditate illa possideat; respondere nequibit ex caritate se illa possidere, nam in hoc negotio caritas, ut palam fiet, enormiter violatur. Restat igitur, ut dicat ex cupiditate se illa possidere: quo posito, non est amplius disputandum, sed huic verba Christi objicienda: *De ore tuo te judicio, serve nequam* (*Luc.* 19.).

Dicet fortasse aliquis, se plura Beneficia quærere, ut Deo utilius deserviat. Verum frivola est hæc ratio; Cum enim unicum Beneficium

cium beneficiato honestam, sobriam, & modestam, quæ Clericorum est, vivendi facultatem præbeat; Beneficiorum pluralitas hanc sobrietatem & modestiam violandi dat ansam, & voluptuosam ducendi vitam, pluraque patrandi flagitia. Ingentes inquietudines magnæ divitiæ afferunt, & sibi cor copulant juxta illud Evangelii: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* (*Matth.* 6.); ac propterea hominem avertunt, ne ad Deum accedat, illique uniatur. En sola igitur avaritia adversatur, ut ait Seneca inquiens: *Si ad naturam vivis, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives: exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Verum cur ethnici Philosophi auctoritate utimur, cum dicat Jesus Christus in Evangelio: *Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet* (*Luc.* 12.)? Deinde sanctus Apostolus Paulus expresse ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* 6.). Qui plura Beneficia possidet, non his necessaria, sed superflua quærit; in legem ergo naturæ peccat, ideoque sanctissimum jus violare dicendus est.

Si vero ecclesiasticorum bonorum naturam spectemus, facile demonstrabimus Beneficiorum pluralitatem huic esse contrariam. Negari sine hæresi nequit, Ecclesiam bona temporalia sive mobilia sive immobilia possidere posse. Initio hæc Episcopus administrabat, qui illa Presbyteris, Clericis, & pauperibus Diaconorum ministerio dividebat. Posterioribus sæculis sunt hæc

divisa inter Episcopum, Canonicos, aliosque Presbyteros, quorum singuli sua modo portione gaudent. Observare insuper oportet, horum bonorum duo esse genera: primum decimas, primitias, & oblationes complectitur; alterum agros, & prædia a fidelibus oblata: utraque sunt patrimonia pauperum. De his sanctus Justinus martyr sic loquitur: „ Qui ditiores sunt, „ quod illis placuerit offerunt, quodque collec„ tum est Episcopo traditur, qui postea distri„ buit pupillis, viduis, infirmis, captivis, & „ peregrinis: verbo, ipse est egenorum om„ nium tutor & procurator „ (*Apolog.* 2.). Urbanus I. Pontifex in epistola sua decretali de bonis ecclesiasticis ita decernit: *Non ergo debent in aliis usibus, quam ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium converti, quæ vota sunt fidelium, & præmia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad hoc opus explendum Domino traditæ.*

Sanctus Ambrosius ecclesiastica bona apud Valentinianum Imperatorem defendens, de illorum distributione sic loquitur: *Nihil Ecclesiæ sibi nisi fidem possidet: hos redditus habet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. numerare licet quos redemerint templa nostra captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint.* Imperatores Valentinianus & Valens in quodam Codicis lege ajunt: *Episcopis verus cultus est adjuvare pauperes, & positos in necessitate (l. 1. C. de Episc. audientia).* Insignem sanctus Joan-

Joannis Chryſoſtomi Homiliam 26. prætermitto, qua abuſum inſectatur, quo ſui ævi Epiſcopi & Clerici Eccleſiæ bona prodigebant: acrem reprehenſionem illa continet, & noſtri ſæculi mores videtur carpere.

Hactenus dicta ſatis oſtendunt, eccleſiaſticis bonis luxum, vanitatem, commoda Clericorum non eſſe fovenda. Porro nonne ut hæc foveantur vitia Beneficia Beneficiis copulantur? Majoresne eleemoſynas largiuntur qui plura Beneficia poſſident? Nonne Beneficium unicum juxta canonicas leges, quæ a luxus legibus longe abſunt, beneficiato eſt ſufficiens? Hæ legum diſpenſationes, quæ ad tuendam dignitatem neceſſariæ appellantur, vera juxta ſanctum Hieronimum plerumque ſunt latrocinia. *Amico* (inquit ille *ad Nepotian.*) *quidpiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt; accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis vel cautum eſſe, vel timidum, aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.*

CAPUT V.

Beneficiorum pluralitatem ſancti Patres damnant.

Ulterius progrediuntur ſancti Patres; etenim docent Clericos, qui aliunde habent unde vivant, nihil de Eccleſiæ bonis poſſe ſibi vindicare. *Clericos illos* (inquit ſanctus Hieronymus

mus *ad Damasum Papam*) *convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt.*

Idem sentit sanctus Augustinus inquiens: *Si privatim possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus* (ep. 50. *ad Bonif.*). Ejus discipulus sanctus Prosper pariformiter loquitur: *Nec illi* (inquit *lib. 2. de vita contempl. c. 9.*), *qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit per Prophetam Spiritus sanctus: Peccata populi mei comedunt: sed sicut nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.* Non illos omnes propterea damno, qui patrimonialia bona habentes Beneficium aliquod possident, sed istam hinc illationem erui posse censeo; videlicet si juxta Patres veteremque Ecclesiam qui suis abundant, non poterant ex Ecclesiæ bonis victum accipere; non licebit profecto plura simul modo habere Beneficia, quæ victus necessitatem longe superant. Allatum sancti Prosperi textum Cardinalis Bellarminus sic explicat: *Nisi hoc modo duæ*

hæ

hæ opiniones concilientur, ut dicamus sanctum Prosperum loqui de illis, qui plene sufficientem habent subsistentationem ex patrimonio aut Beneficio; tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum (tom. 2. Controv. l. 1. de Cleric. c. 87.).

Post examinatos Beneficiorum redditus, eorum fundationem, & obligationes spectemus: certum est enim contra fundatorum intentionem non posse Beneficia possideri, idque per se patet, & ex jure constat. Porro numquam voluere fundatores hominum luxum, delicias, vanitatem fovere; quod ex Beneficiorum pluralitate evenit: igitur contra illorum voluntatem plura Beneficia unus possidet. Ad Beneficia instituenda eos permovit Dei honor, pauperum ibidem degentium subsidium, & debitum Ecclesiæ servitium, veluti Missarum celebratio: hinc vulgatum illud axioma: *Beneficium datur propter officium.* Juxta hanc regulam nulla extant Beneficia natura sua simplicia, sicuti modo dantur, quæ possessores ad solam divini Officii recitationem obligent, de quibus illud repetere possumus: *Ab initio autem non fuit sic (Matth. 19.).* Antiqua rudera, quæ simplicium Prioratuum adhuc supersunt, satis declarant Priores olim ibi moratos; semper autem verum erit, contra Fundatorum intentionem & donationem Beneficiorum possessionem esse non posse legitimam, neque ullam in hoc tractu temporis mutationem fieri posse: si fundationis acta quis consulat, intelliget, quæ Beneficio adnexa sint onera. Qui

plura Beneficia habet, omnibus eodem tempore ſervire nequit: exempli cauſa nequit Abbas plures ſimul Abbatias colere, patrisque ibi officium juxta nomen ſuum exercere. At illas Eccleſia in commendam dedit: nec ego quod ab Eccleſia fit improbabo. Verum quamvis Abbates commendatarii jurisdictionem in monachos non habeant, non eos tamen exemptos puto ab onere in ſuis Abbatiis reſidendi, aut in illarum villis, quarum ipſi primitivi ſunt Parochi, a quibus decimas exigunt, quarum propterea pauperes debent alere, & populos docere.

Ex Beneficiorum pluralitate admodum ſcandaloſa & injuſta oritur inter Clericos inæqualitas; dum enim hic plura Beneficia poſſidet, alius Eccleſiæ futurus utilior nullum habet. Qui utiliter eidem ſervire miniſtri poſſent, & utiliter plerumque ſerviunt, fame pereunt; qui vero turpibus eam moribus dehoneſtant, paribus abundant. Nonne hæc eſt crudelis immanitas, communisque matris Eccleſiæ contemptus, bona illius ſibi vindicare, illisque rapere, qui ejusdem filii æque ſunt, & plerumque dignores? Si in ulla ſocietate diſtributiva ſervanda eſt juſtitia, ſane in Eccleſia, quæ plena eſt juſtitiæ, id fieri convenit. In qua umquam bene morata Republica contigit, ut unus munera omnia dignitatesque obtineret? Nonne Eccleſiæ corpus pluribus membris conſtat, quorum ſingula ſuum actum habent, & conveniens miniſterium? poſſuntne nimis multi eſſe idonei ac fideles miniſtri, qui illi ſerviunt? Ut unius explen-

expleatur avaritia, Beneficiorum pluralitate hoc illudve membrum a corpore abscinditur. Quot pauperes adolescentes apte concionarentur, populosque docerent, si congruum ad vitam sustentandam Beneficium adepti in Clerum cooptarentur? Hinc qui plura uni Beneficia conferunt, & qui accipiunt, in Ecclesiam peccant, & sacrum ejus divinumque Corpus in monstrum vertunt.

Ita loquitur sanctus Gregorius magnus: ejusque vitæ auctor Joannes Diaconus refert (*Lib.* 2.), eum numquam consuevisse duo ecclesiastica Officia uni tradere, & dicere solitum: *Singula ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulatim committi debere. Quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem non eumdem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est istud, neque uni quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt; quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa Officia & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in uno corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa* (*Can. singula. Dist.* 89.).

Eadem

Eadem contra hunc abusum invehitur S. Joannes Papa XXII. in Extravaganti, quæ incipit *Execrabilis*, quam sic concludit: *Unde inter cætera inconvenientia infra scripta nascuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum, officium vix implere sufficeret, plurimorum sibi vindicat stipendia, quæ multis literatis viris, vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, possent abunde sufficere æqua distributione collata.*

Guilielmus Episcopus Parisiensis, celebris ille Theologus, pariformiter loquitur. *Dum enim*, inquit, *aliquis Decanus, Præpositur in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta, quid est nisi monstrum spirituale in corpore universalis Ecclesiæ? Assueti autem hujusmodi monstris, vel potius horrificam eorum monstrositatem non videntes, ad ea jam expavescere nescimus.* Post Tridentinum Concilium Beneficia, quibus animarum cura est adnexa, incompatibilia censeri scio, neque ab una eademque persona plura haberi posse, quia singula residentiam exigunt. Sed aliorum pluralitas haud paulo majorem excusationem meretur, sicuti enim antea diximus, Beneficiorum naturæ, ac distributivæ justitiæ illa adversatur: præterea Beneficium quodlibet natura sua peculiarem residentiam requirit, aut personale servitium, quod pluribus simul locis exequi nequit (*a*).

CAPUT

(*a*) Multiplex igitur deformitas in Beneficiorum pluralitate occurrit. 1. Deus suo cultu privatur; magis

CAPUT VI.

Beneficiorum pluralitatem Eccleſiæ Concilia prohibent.

Hactenus ſanctos Patres audivimus, ſanctam modo audiamus Eccleſiam, quæ in Conciliis hanc Beneficiorum pluralitatem damnavit. Ecce Concilii Chalcedonenſis verba: *Non liceat clericum conſcribi in duarum urbium ſimul Eccleſiis, & in qua ab initio ordinatus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad ſuam Eccleſiam, in qua primitus ordinati ſunt, & ibi tantum miniſtrare* (*Can.* 10.). Canone vigeſimo idem decernit: *Clericos in Eccle-*

magis enim & melius per plures Miniſtros, quam per paucos colitur. 2. Fundatores defraudantur, qui ſicut certum numerum voluerunt habere ſervitiorum, ita & ſervitorum. 3. Eccleſia ſuo privatur jure; dum enim plura Beneficia unus uſurpat, Eccleſia Miniſtris ſibi debitis caret. 4. Injuria infertur aliis dignis, imo dignioribus, qui nullum Beneficium habent, hujusque ſpe ob quorumdam ambitionem privantur. 5. Contra naturalem rationem pugnatur, quæ uni corporis membro non niſi unum in corpore officium competere docet. 6. Amplus cupiditati & ambitioni locus datur. 7. Laudabili æmulatione ſublata, literarum ſtudia pereunt. Vid. Nat. Alexand. *in Append. ad Tract. de Ordine. cap.* 6. *Reg.* 28. ubi terrificam ſancti Bernardi ex divo Thoma refert ſententiam: *Qui non unus, ſed plures eſt in Beneficiis; non unus, ſed plures erit in ſuppliciis* (*Quodlibet.* 10. *Quæſt.* 7. *art.* 2.).

Ecclesia ministrantes in alterius civitatis Ecclesia ordinari seu collocari non oportet, sed ea contentos esse, in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui sua amissa patria ex necessitate ad aliam Ecclesiam transeunt.

Secundum Nicænum Concilium ita loquitur: *Clericus ab instanti tempore ne connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum. Audivimus enim ex dominica voce, quia nemo potest duobus dominis servire aut unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Unusquisque ergo secundum apostolicam vocem, in qua vocatus est, in hoc debet manere, & in una loco ri Ecclesia: quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo.* Sub hujus Canonis fine permittitur Clerico in parvis oppidis duabus Ecclesiis servire, propter ministrorum defectum.

Claromontanum Concilium sub Urbano II. Papa, eoque præsente habitum jubet: *Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere: ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem ordinatus est, semper ordinetur: ut nullus deinceps in una Ecclesia duos honores habeat.*

In tertio Lateranensi Concilio sub Alexandro III. anno 1180. habito sic Patres loquuntur: *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas, & plures Eccle-*

siæ

sias parochiales, contra sanctorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut, cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum, ne de cætero fiat districtius prohibemus. En decretum pro Beneficiis, quibus animarum cura adnexa est, de quo nemo dubitat. Alterum audi circa Præbendas aliaque Beneficia: *Quia in tantum jam quorumdam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere, per Fratres Coepiscopos nostros carissimos emendari præcipimus, & de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis digne valeant deservire, volumus ecclesiasticis Beneficiis indigentiam sublevari.*

Quartum Lateranense Concilium veteres renovans Canones addit: *Ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, nec unus Abbas pluribus monasteriis præsideat.*

Verum nonne postremum Tridentinum Concilium hanc pluralitatem eliminare omnino fatetur Decreto, cujus hic verba singula subjicimus? *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, seipsos, non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul*

simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens præsenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocumque titulo, etiam Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut in posterum unum tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri (Sess. 24. cap. 17.). Non potest apertius loqui, nec melius hominum ambitio & avaritia repelli: neque hæc clausula: *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat*, simplicium Beneficiorum coadcervationem excusat. Sanctus Carolus Borromæus, cujus opera hoc Concilium completum est, in Provinciali, quod post Tridentinæ conclusionem statim habuit, plurium Beneficiorum etiam simplicium unionem universim condemnat. Hinc vides veteres Canones adversus Beneficiorum pluralitatem non esse abolitos, imo instauratos; neque pravam nostri ævi consuetudinem ab eorum observatione quemquam posse dispensare. Quamobrem quicumque pietatem colunt, & ecclesiasticas Constitutiones venerantur, ab hoc spirituali adulterio se cohibuerunt. Nolo præterita sæcula recensere, quæ Beneficii nomen & rem ignorabant: adeo sancti illi Episcopi sanctique Presbyteri ab avaritiæ spiritu abhorrebant, & tanta in pauperes flagrabant caritate, ut solum moderatum suum victum de bonis Ecclesiæ sumerent. Postremis autem

autem hisce ſæculis, licet omnia ſint corrupta, nonnulli tamen extitere nobiles doctique Clerici, qui ab hac polygamia abhorruere.

Cardinalis Borgia, qui Pontifex electus Calixtus III. vocatus eſt, poterat ſi voluiſſet plura Beneficia adipiſci; ſed unum tantum habere voluit, nempe Valentiæ Epiſcopatum: ac ſæpe dicebat, ſe ſponſa ſua virgine, Valentina ſcilicet Eccleſia contentum eſſe.

Georgius Cardinalis Ambiacenſis, Papæ Legatus, & Ludovici XII. Galliarum Regis Miniſter & Familiaris intimus, poterat, ſi voluiſſet, omnibus Regni frui crucibus & infulis; nihilo tamen minus ſolo Rothomagenſi Archiepiſcopatu, dum vixit, contentus fuit. Rarum hoc hominis apud Regem gratioſi exemplum, qui cum omnia poſſet, ad ſuam explendam avaritiam Regis gratia non eſt uſus.

Cardinalis Bellarminus eximium opuſculum contra Beneficiorum pluralitatem ad nepotem ſuum Theatenſem Epiſcopum conſcripſit; doctrinamque ſuam ſuo exemplo firmavit, duo numquam Beneficia poſſidens.

Cardinalis Borromæus, quem ultimis hisce temporibus Deus conceſſit, ut eccleſiaſticum ſpiritum excitaret, cum per tempus aliquod plures Abbatias poſſediſſet, omnes eodem die dimiſit, ut ad ſuum Mediolani Archiepiſcopatum ſe conferret, ubi modeſtia, frugalitate, cæterisque virtutibus Eccleſiæ toti præluxit, inſignemque ſanctitatem eſt conſecutus.

In ſancti Ludovici vita narratur, eum numquam illi Beneficium contuliſſe, qui aliud poſſideret, quantumvis eſſet idoneus: oportebat de prioris Beneficii reſignatione afferre teſtimonium, ut aliud obtineretur. Sub ſancto hoc Rege, anno videlicet 1238. contra Beneficiorum pluralitatem Pariſienſis Univerſitatis celebre illud Decretum prodiit, quod calculo ſuo probavere celeberrimi illius ævi Doctores, in quibus ſanctus Thomas & ſanctus Bonaventura recenſentur. Illuſtriores illius ſæculi ac poſteriorum Theologi, nempe Petrus Comeſtor, Guillielmus Pariſienſis, Raymundus de Pennafort, Thomas Cantipratenſis, Guillielmus Perault Archiepiſcopus Lugdunenſis, Ulricus de Argentina Dominicanus, & Alberti Magni diſcipulus (*tom. 2. tract. de Avar. c. 17.*), Durandus Meduntenſis Epiſcopus, Gerſonius, Nicolaus Cardinalis de Tudeſchis paſſim vocatus Abbas Panormitanus (in *cap. Dudum, de Elect.*), Dionyſius Carthuſianus, Joannes Major Pariſienſis Univerſitatis Doctor, Cardinalis Cajetanus, Doctor Hadrianus Caroli V. præceptor poſtea Papa, Dominicus Soto, Alphonſus Alvarez, Guercerus Jurisconſultus, excellens Canoniſta Joannes de Lignano, Franciſcus Duarenus, Cardinalis Toletus, Cardinalis Bellarminus, Navarrus, Leſſius, Laymann, Binsfeldius, hanc pluralitatem naturali juri contrariam eſſe affirmant. Quare illud ſancti Pauli uſurpare licet: *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis*

nobis certamen (*Hebr.* 12.). Quod ut rite exequamur, illud quoque præstemus, quod subjicit Apostolus inquiens: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

CAPUT VII.

Excusationes, quas pro Beneficiorum pluralitate afferunt, frivolæ, ac vanæ sunt.

Duo hominum genera Beneficiorum pluralitatem sectantur: ii primum, qui, an ab Ecclesia damnata sit necne, non inquirunt, de sua tantum avaritia & vanitate explenda solliciti: alii deinde contra sanctos Canones peccare nolunt; sed Papam putant posse in hac dispensare; & hac dispensatione munitos plura Beneficia tuta conscientia possidere se posse arbitrantur.

Ego vero de legitima hac Papæ auctoritate dubitare non vereor. Scio Papam veluti Ecclesiæ caput Canones, qui ad disciplinam spectant, interpretari posse, & in iis dispensare; sed non ex auctoritate absoluta, hanc siquidem Pontificibus auctoritatem Christus contulit *in ædificationem, & non in destructionem* (2. *Cor.* 13.), & ut ea utantur *non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1. *Petr.* 5.). Canones sunt sanctæ, sacræque leges, quæ a Conciliis pro Ecclesiæ regimine sunt conditæ: illas congregatis Episcopis sanctus Spiritus inspiravit, & cum reverentia Ecclesia tota susce-

pit; adeo ut merito sanctus Leo Papa dixerit *Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos.* Dispensationes harum regularum sunt exceptiones; oportet ergo ut instar regularum sanctæ sint, eodem igitur spiritu ac regulæ tradi debent, ideſt cum Ecclesiæ utilitas exigit, ne leges ipsæ serventur.

Cardinalis Bellarminus, qui Papæ auctoritatem adeo amplificat, in admonitione ad nepotem suum, argumentis illorum respondens, qui ex Papæ dispensatione plura Beneficia possidere se posse putant, expresse ait, hanc dispensationem sine rationabili causa factam valere *in foro fori, sed non in foro poli* (*Controv. 5. de multipl. Benef.*), hominum nempe, non Dei judicio.

Lessius pariter docet, dispensationem plura Beneficia possidendi sine legitima causa factam tutum in conscientia illum non reddere, qui hanc obtinuit; sed debere uno Beneficio retento cætera dimittere. Hujus decisionis duas affert causas. Prima est, quia Papa non est Beneficiorum dominus, sed dispensator; fidelis autem dispensator bona sibi commissa non pro libitu debet distribuere, sed juxta rationabilem domini voluntatem, & in eorum utilitatem, quorum intuitu bona sibi sunt commissa, videlicet Ecclesiæ & pauperum. Alia hujusce Casuistæ ratio est, cæteroquin satis ampla, quia Beneficiorum pluralitas divino & naturali juri adversatur: porro Papa sine justa & rationabili causa in iis dispensare nequit, quæ divini juris sunt,

ut violationis hujusmodi omnis cesset turpitudo (*lib. 2. de Benef. cap.* 34.).

Dominicus Soto ait: *Hic cavillus securos multos reddit, tutum vero neminem; quoniam Papa non est dominus, sed dispensator, ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate* (*lib. 3. de just. & jure qu. 6.*).

Ante istos auctores Guillielmus Parisiensis scripserat, de jure esse Apostolicas dispensationes juridice datas; sed Papam, qui cum aliquibus dispensat, ut plura Beneficia habere possint, non dispensare, neque dispensare posse, ut avaritiam, vanitatem, & ambitionem foveant, cum has in Ecclesia pestes nec possit, nec alere debeat, nec dissipationem invehere temporalium bonorum, quæ victui ministrorum Dei sunt attributa, & in hunc finem Ecclesiæ donata sunt (*de collat. & plur. Benef.*).

Sanctus Thomas ait, non licere plures simul habere Præbendas, quæcumque tandem dispensatio obtineatur; cum humana dispensatio juris naturalis vinculum non possit infringere, sed solum juris positivi vinculum, quod cum ab homine positum sit, potest ab homine tolli (*Quodlibet. 8. art. 15.*).

Idem tradit Cardinalis Cajetanus inquiens: *Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa, quoniam dispensatio Papæ cadit supra jus positivum, & non supra jus divinum aut naturale; pluralitas*

autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum & naturale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste debent partibus Ecclesiæ (*in Summula verb. Benefic.*). Igitur cum hujusmodi dispensationes concedunt Pontifices, plerumque a petentibus decipiuntur, & ipsi saepe errare possunt, putantes exempli gratia Cardinali aut Episcopo ad suam tuendam dignitatem ampliores redditus necessarios esse, quum revera oporteat juxta Ecclesiæ regulas, qui ad eorum familiis superfluitatem & vanitatem removent. Denique repetere illud possumus, quod Papæ Eugenio scribebat sanctus Bernardus, nempe: *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non item. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debetis, quæstio est. Quid, inquis, prohibes dispensare? Non: sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est* (*lib. 3. de Consider. cap. 4.*). Eximius est hic textus, qui omnia complectitur, quæ hac super re sunt dicenda. Neque parum obsequiosus Auctor dici potest in summum Pontificem, de cujus auctoritate tam magnifice loquitur; laudandus imo est quod veritatem tam strenue tutatus sit.

Eadem

Eadem libertate usus est ad Theobaldum scribens Campaniæ Comitem, quem summe diligebat; cum enim ab hoc Principe rogatus fuisset, ut ab Eugenio Papa III. alterum filio suo Beneficium impetraret, eidem in hæc verba respondit: *Scitis quia diligo vos, sed quamtum, novit Deus melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed propter Deum, quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus: offendo autem procul dubio, si facio quod requiris. Nam honores & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui ea digne & secundum Deum administrare & velint & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro, vel precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, & placet quod cogitatis implere, parcite mihi; in hoc Willelmulo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum; hinc est quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum: quod si alius secus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum.*

CAPUT VIII.

Argumenti ejusdem continuatio.

Altera ratio, quam ad Beneficiorum tuendam pluralitatem nonnulli afferunt, & generalis hujusce sæculi consuetudo, quam absque diffi-

cultate plerique sectantur Ecclesiastici. Verum veritati *nemo* (ait Tertullianus *de Veland. virg. cap.* 1.) *præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus, & prior omnibus, æque veritas sempiterna & antiqua.*

Nec consuetudo (inquit sanctus Cyprianus (*ep.* 74. *ad Pompejum.*) *impedire debet, quominus veritas prævaleat & vincat; nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

Veritate manifestata (ait sanctus Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 6.) *cedat consuetudo veritati; nemo consuetudinem ratione & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.*

Idem ac antiqui Doctores novi docent. Gregorius Papa IX. ait: *Licet longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime præscripta* (*de Consuet.*). Rationabilisne dicenda est plura Beneficia habendi consuetudo, quæ, sicut probavimus, naturali & divino juri adversatur? An præscriptionem ullam proferre potest, quæ a postremo Tridentino Concilio est abrogata?

Carde-

Cardinalis Bellarminus in ſua ad Clementem Papam VIII. admonitione ait Tridentinum Concilium hanc plura habendi Beneficia conſuetudinem abrogaſſe, quam in Eccleſiam nonnulli invexerant, præterea quæ mala ſunt nulla conſuetudine bona effici.

Doctor Navarrus ait: *Peccat qui habet multa beneficia diviſa in titulum, quorum unum ſuo ſtatui decenti ſufficit, vel ſine diſpenſatione, vel conſuetudine juſta. Dixi, aut conſuetudine juſta, quia tantum, licet non plus, valeret illa, quantum diſpenſatio, juxta ſanctum Thomam; quia utraque poteſt juri humano derogare, & neutra naturali, vel divino. Porro juſta cauſa tenendi plura attento jure naturali, & conſequenter diſpenſandi, & conſuetudinem circa id inducendi, eſt ſecundum eumdem circumſtantia ejusmodi, quæ ſufficiat ad tollendam deformitatem, quam multitudo beneficiorum præſefert* (*Manual. cap. 25. num. 125. & ſeq.*). Hæc deformitas tolli ſolum Eccleſiæ neceſſitate poteſt. At quot plura Beneficia poſſidentes poſſunt aſſerere, hanc Beneficiorum pluralitatem ſibi pro Eccleſiæ utilitate eſſe neceſſariam? Contra vero qui pluribus eccleſiaſticis bonis gaudent, nonne minus Eccleſiæ ſerviunt, & ſæcularibus ſuis moribus plus ſcandali Eccleſiæ afferunt?

Tertia ratio, qua tueri nonnulli Beneficiorum pluralitatem conantur, eſt plurium piorum Clericorum exemplum, qui nullo circa hanc pluralitatem ſcrupulo anguntur. Reſpondeo non poſſe cujusquam exemplum contra Eccleſiæ ca-

nones præscribere; sic enim præscriberetur veritati, contra quam nulla datur præscriptio. Quod si pii Clerici plura Beneficia possident, propter cætera bona opera laudari fortasse possunt, in hoc autem non laudo. Eos porro falli credam, quamvis non propterea tuti sint in conscientia. Adde cum sancto Paulo: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia* (1. *Tim.* 6.). De hoc hominum genere illud dici posset quod de Aza & quibusdam Judæ Regibus ait Scriptura: *Fecit Aza quod rectum erat in conspectu Domini: verumtamen excelsa non abstulit* (3. *Reg.* 15.). Juxta philosophos Bonum ex integra causa, malum vero ex minimo defectu.

Si nostro hoc sæculo pii Clerici plura beneficia possident, priscisne sæculis nostro melioribus idem usu venit? Nonne Episcopi omnes & Presbyteri, quos veluti sanctos Ecclesia veneratur, hanc Ecclesiasticorum Officiorum pluralitatem fugerunt, tamquam luxus occasionem, & pravæ cupiditatis effectum? Quis autem priorum sæculorum, quæ vera pietate fulgebant, exemplum potius non sequatur, quam hujusce, in quo pietas sic elanguit & pene extincta est? Quis jure asserat, Ecclesiæ dignitatem alia re modo ac olim tuendam esse, ministrorum ejus videlicet pietate ac doctrina? Anne temporale regnum evasit Ecclesia, cujus dignitas temporali magnificentia sit ornanda? Nonne nostro ævo Episcopos vidimus frugales ac modestos, qui Ecclesiæ decus magis sunt tutati, & quos po-

pul

puli magis venerati sunt, quam illos, qui splendide magnificeque vixerunt? Nonne hodie pariter quererentur populi ac murmurarent, si regio luxu Prælati sui viverent, & solum ecclesiasticum habitum gestarent?

Sancti Bernardi verbis uti malo, iis enim quam meis plus ad persuadendum inesse roboris arbitror. Sic itaque ad Pontificem scribit: *Quod ad primum capitulum pertinet, luxus interdictus, non restrictus, pœna dictata, sed minime secuta est* (de Rhemensi Concilio loquitur, cui Papa præsederat). *Jam quartus annus est, ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhuc clericorum privatum Beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum quid secutum est. Quid est hoc? Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix, & beatus si omni satagas cura malorum omnium primam parentem cavere incuriam. Solent dicere nunc, de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt, nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent? Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. O miseranda sponsam talibus traditam paranymphis! Qui assignata cultui ejus proprio retinere non veren-*

verentur, non amici profecto ſponſi, ſed æmuli ſunt.

Inter varios prætextus, quibus ſuam a Romana Eccleſia defectionem excuſare novi hæretici conati ſunt, Romanæ Curiæ, Epiſcoporum, ac reliquorum clericorum luxum protulerunt. Nonne igitur curandum eſt ut hoc ſcandalum tollatur, illosque Paſtorum modeſtia allicere, ut ad ovile redeant?

Eſtne aliquis tam ſuperbus & audax, ut aſſerat ſe æque ſervire Eccleſiæ plura Beneficia poſſidendo, ac plures ſervirent, quibus Beneficia eſſent diviſa? Huic reſpondeo, ad eum non ſpectare judicium de ſervitio, quod præſtat Eccleſiæ; ad ſummum Pontificem, vel ad ſuum Epiſcopum ſpectat definire, an tale ſervitium mereatur, ut ejus intuitu a canonibus, qui Beneficiorum pluralitatem prohibent, ſit recedendum: an vero plures Eccleſiæ, quas unus habet, debito fraudentur ſervitio: an magni hi redditus, quibus unus gaudet, plures Clericos alerent, quorum ſinguli id præſtarent, quod ille ſe facere jactat: an hosce redditus luxu vitiisque abſumat. Quod ſi horum aliquid contingat, non licet uni plura Beneficia habere; ſecus enim utili plurium miniſterio privaretur Eccleſia, ut unius vanitas & cupiditas alerentur.

Dicet aliquis: quid refert, utrum aliquis ex uno Beneficio, an ex pluribus ſimul unius magnos redditus habeat? Nonne Epiſcopatus aliqui, & Abbatiæ majores redditus ſeorſim habent, quam plures ſimul habeant Prioratus?

Verum

Verum profecto est ecclesiasticorum reddituum inæqualem esse divisionem. Toletanus Archiepiscopatus exempli gratia centum aureorum millia reddit, Vencensis Episcopatus vix mille. At non Ecclesia, sed Principum aut fundatorum liberalitas hanc facit fundationem. Hæc tamen inæqualitas nihil ad Episcopi officium spectat, quod in divite vel paupere Episcopo idem est, & ab utroque residentiam exigit. De reliquis Beneficiis idem est statuendum: singula sua habent officia, quæ Beneficiatus debet exequi. Qui majores habet redditus, non potest propterea, juxta Ecclesiæ canones, luxui & vanitati magis indulgere; hanc distinctionem sacri canones non admittunt, apud sponsam siquidem æque ac apud sponsum *non est personarum acceptio* (*Rom.* 2.). Denique extra controversiam est duo Beneficica, quorum unum pingue, mediocre sit aliud, duos esse titulos: neque Ecclesia patitur ut unus plura possideat nisi necessitas plura simul uniri postulet, ut Beneficiatus habeat unde honeste vivat, idest frugi & sobrie clericorum more.

CAPUT IX.

Idem continuatur Argumentum.

Ultimum denique effugium, quo Beneficiorum pluralitatem tueri nonnulli conantur, est nova illa distinctio, Beneficiorum nempe simplicium, & Beneficiorum curatorum, quæ vocantur etiam incompatibilia.

Tor-

Torrentem sistere nitar, si hanc damnare velim distinctionem, & paradoxon videbor plerisque asserere, si dicam plura Beneficia simplicia possideri non posse. Sed licet adversum me omnes consistant, non tamen affirmare verebor, hanc pluralitatem juri naturali & divino positivo esse contrariam. Doctorum auctoritate id jam ostendimus: neque vetus Ecclesia hanc distinctionem compatibilium & incompatibilium Beneficiorum agnovit. Nullum est Beneficium, ut hoc iterum dicamus, quod natura sua, aut fundatione residentiam aliquam non exigat, vel personale servitium, quod pluribus simul in locis præstari nequit. Si Tridentinum Concilium Beneficiorum simplicium pluralitatem expresse non damnavit, tacite id præstitit, cum veteres Canones illam damnantes innovavit. Ita Concilii verba intellexit sanctus Carolus Borromæus in suis provincialibus Conciliis: Navarrus (*Manual. cap.* 23. *num.* 15. *c.* 25. *num.* 127.) & Vasquez (*de Benef. cap.* 4. §. 2. *dub.* 8. *num.* 204.) idem sentiunt; & Vasquesii auctoritas eo est firmior, quo nimii rigoris accusari nequit. Verum illa Pontificis verba, quibus utitur circa Beneficiorum pluralitatem dispensans, videlicet: *Dummodo plura non sint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur*, possuntne secus intelligi, quam de honesta, seu Clericali Beneficiati sustentatione (*a*)?

Qui

(*a*) *Quam ridiculosum sit* (inquit Guillelmus Parisiensis lib. *de collatione Benefic. cap.* 6.) *quod quidam dicunt, quod potest habere quælibet pinguia Benefi-*

Qui plura Beneficia se dicit expetere, ut plus laboret, & plus pauperibus eroget, hic ficus foliis se tegit. Nam tantum abest, ut qui majores redditus habent, majores erogent eleemosynas; ut imo magis sint avari & immites, & luxui amplius & vanitatibus indulgeant. Verum licet Beneficiatus omnia bona sua, quæ ex pluribus percipit Beneficiis, pauperibus largiretur; non tamen illa retinens esset a peccato immunis, numquam etenim licet mala facere, ut eveniant bona, juxta doctrinam Apostoli. Præter malum reddituum usum alia, ut diximus, mala ex Beneficiorum pluralitate promanent, quæ eleemosynis in pauperes non vitantur. Juxta Beneficiorum redditus, non juxta pauperum indigentiam de eleemosynis Deus judicabit.

Frustra etiam personæ nobilitas & scientia allegatur, etsi Lateranense III. Conciliurn sic loqua-

---

Beneficia quivis, dummodo ea bene expendat, ex his apparet. Licet enim Medicus salarium in quantumcumque pios usus expendat, quod ab ægro pro eo medicando recepit, non omnino pro hoc satisfacit ægro, qui nec minus ægrotat. Idem dicimus & de Bellatore; quamtumcumque magnifice expendat stipendium, non propter hoc minus exhereditatur Rex, cujus bellum debuit agi. Similiter & de Vinitore, & de Advocato eis objici potest. Non enim solam dispensationem temporalium proventuum suscipiunt Clerici institutione sua; sed officium medicandi sauciatum, de quo loquitur Dominus (Luc. 10.) & officium agendi bellum Dei; similiter & officium allegandi causam animarum, & officium operandi in vinea Domini.

loquatur: *Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari.* Ecclesia namque non magis in ministris suis originis nobilitatem considerat, quam illam Christus in vocatione ad fidem spectavit; ideoque Apostolus ait: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* (1. *Cor.* 1.). Non amplius familiæ suæ nomine uti debet Episcopus: illud enim debet oblivisci, dum Ecclesiæ copulatur, & Christi familiæ Caput efficitur. In antiquis Conciliis sua tantum scribebant nomina: in novis autem hæc sæpe verba addunt: *Humilis Ecclesiæ minister.* In carnalibus conjugiis virorum nomina fœminæ accipiunt, & eorum nobilitati communicant; at in spirituali conjugio sponsæ nomen vir accipit, hæc siquidem longe est illo nobilior: ejus se famulum existimare debet, nec ejus canones violare ei licet, vel vanitate sua & luxu illam scandalizare. Mirum, rarumque esset exemplum, si illustri ortus stemmate Clericus ecclesiasticam modestiam servaret, & se Ecclesiæ ministrum esse dumtaxat gloriaretur. Potest quidem Ecclesia utile habere servitium a personis illustri loco natis, qui eam viriliter tueantur; sed id præstent oportet ecclesiastica fortitudine, armisque spiritualibus, non vanitate, luxu, aut magnificentia. Episcopos & Sacerdotes illustri loco natos cuncta videre sæcula; sed non tamquam nobiles potentes fuere, imo tamquam Dei ministri ad mortem usque

Crucis

Crucis se humiliaverunt: sobrie ac modeste vixerunt, nec sibi leges violandas putarunt, quas alii servabant. At sequiori hoc sæculo sæpe contingit familiæ utilitatem Episcopos impedire, ne necessariam fortitudinem exerant, neve pro Ecclesiæ suæ defensione Principes orent, dum consanguineis suis nocere timent, suæque familiæ aliquam hinc eventuram calamitatem. Denique quando Lateranense Concilium ait, posse Papam cum aliquo dispensare, ut plura Beneficia possideat, id ita est intelligendum, ut Beneficia, in quibus non residet, nihil detrimenti ex ejus absentia patiantur, & ut Ecclesiæ servitio suo damnum illud sarciat, quod ex Beneficiorum pluralitate ipsa patitur. Brevi id fieri licet, *cum ratio postulaverit*; nec alia hic ratio esse potest, quam Ecclesiæ utilitas, quæ in omnibus est attendenda.

Scientia profecto ad bonum regimen est necessaria, præcipuoque digni sunt honore, qui illam possident; verum ecclesiastica hæc esse debet, non sæcularis. Quod si ecclesiastica sit hæc scientia; sapientibus Ecclesiæ canones suggeret, qui Beneficiorum pluralitatem damnant, & mala ostendet, quæ ex hac pluralitate promanant. Docet hæc scientia modestiam ac frugalitatem, quas bonus Clericus sectari debet, ac propterea ab obtinenda a sacris Canonibus dispensatione retrahit, quæ dispensatio semper est odiosa, ac præcipue in viris doctis, a quibus ignorari veritas non præsumitur: quare cum scientes peccent, cæteri merito scandalizantur. Plures do-

ctos homines vetera sæcula habuere: numquid propter ipsos a sacris canonibus desitum est, aut ab his ipsi discesserunt? Ecclesiæ utiliter serviebant, concionabantur, libros scribebant, contra hæreticos disputabant; sed pro Ecclesia quotidie pugnantes modico stipendio contenti erant. Neque avide divitias captabant, neque superbe prodigebant: vivebant parce, & modeste, ac in pauperes liberalitate a sæculi sapientibus secernebant, qui avari plerumque sunt, & insatiabiles. Non doctus modo, sed & pius sit Clericus oportet: quod si vere pius sit, parvo erit contentus, ut honeste vivat. Frustra item dicent, qui plura Beneficia possident, se per Vicarios iis Beneficiis præesse, quibus animarum cura adnexa est, & vulgatum illud sequi juris axioma: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Hæc enim regula locum habet, ut explicant Jurisconsulti, quando persona ad aliquid agendum non est specialiter electa. Porro in Beneficiorum fundatione specialiter eligitur Beneficiatus ad ea præstanda, quæ sui sunt muneris: iniquum enim est, ut unus alicujus Officii emolumenta percipiat, & alter labores ac munera sustineat, ut ait Leffius. Nonne plerumque mercenarii sunt hi Vicarii, ac latrones propterea, ad quos non pertinet de ovibus, & qui juxta Evangelium ad mactandum & furandum ovile ingrediuntur? Aut hi Vicarii minus docti sunt, quam Beneficiatus, idcoque non debet iis uti: quod si meliores, aut æque boni sunt; quare Beneficia illa retinet, quibus hi sunt digni? quare non illa cum his divi-

dividit? Tandem Innocentius II. sic ait: *Indignum est, conductitiis Presbyteris Ecclesiam committi* (*c. quia nonnulli, de Clericis non resid.*). Huic malo Tridentina Synodus providit, sapienter jubens Parochos esse perpetuos, non amovibiles. At Priores hac regula abusi sunt, ut suam expleant avaritiam, perpetuos Vicarios instituentes, quibus tam modicos relinquunt redditus, ut vix vitam sustentare queant: qui vero nihil pro Beneficio laborant, reliquis gaudent redditibus.

CAPUT X.

Pensionis notio, causæ, & conditiones.

Pensio communiter describitur, quod sit jus aliquos ex Beneficio alieno percipiendi fructus vel ratione muneris, vel ratione concessionis specialiter factæ. Hinc duplex distingui pensio potest. Una *laicalis*, quæ sive laicis, sive Clericis propter aliquod officium aut servitium temporale exempli gratia œconomiæ, custodiæ, defensionis Ecclesiæ &c. conceditur: altera *clericalis*, quæ Clericis propter aliquod ministerium spirituale, exempli gratia Coadjutoriæ, Catechismi &c. assignatur. Huic & alia, quæ Parocho ob senectutem inhabili, aut resignanti, aut commutanti obvenit, addi potest.

Pensiones sine Pontificis auctoritate nec creare, nec exigere licet (*a*), hicque justis solum ex

(a) Tres tamen casus excipiuntur. *Primus* est cum Beneficiato ob ægritudinem vel censuram eccle-

ex causis eas concedit. *Primo* reservari pensio potest, quando duo de Beneficio litigantes inter se conveniunt, ut alter Beneficium relinquat, alter pensionem solvat (*cap. de cætero. de Transaction.*); verum sicuti diximus, oportet, ut ambo ad illud æquale jus habeant (cap. *Audivimus. de Præbend.*); nam qui mala fide litigaret, pensionem sibi reservare non posset. *Secundo* quando quis pinguius Beneficium cum tenui permutat, inæqualitas pensione compensari potest (Cap. *Ad Quæstiones. de Rerum permutat.*). Verum raræ sunt istæ permutationes, & cum fiunt, plerumque ex causis non ecclesiasticis fiunt. Si Beneficiarius incapax sit retinendi pinguius Beneficium resignare illud debet, nec aliud petere, cui magis idoneus non sit. Observe

---

fiasticam de vicario providendum est, qui vices ejus suppleat, ad cujus sustentationem congruam portionem detrahere Episcopus potest (Trident. *Sess. 21. de Reformat.* cap. 6.). *Secundus* casus est Seminarii fundatio: ad quam si necessarius aliunde sumptus non suppetant, Episcopus ex Beneficiis suæ diœcesis, suæque collationis certas contributiones, ac pensiones annuas deliberare ac reservare potest ad pium istud opus ut sancitum est in Tridentino (Sess. 23. *de Reform.* cap. 18.). *Tertius* casus est bonum pacis inter Clericos, de eodem Beneficio contendentes, firmandæ, cum nempe jus illorum obscurum est. Si enim coram Episcopo litigent, potest ille tamquam judex & arbiter Beneficium uni, pensionem alteri adjudicare, (cap. *De cætero. de Transact.*). Ita Natalis Alexander Theol. Dogmor. *lib.* 2. Append. ad Tract. *de Ord. cap.* 8. *Reg.* 16.

servare hic insuper oportet, non licere majorem pensionem exigere ratione dignitatis, quæ Beneficio est adnexa, sed tantum ratione majoris redditus. *Tertio* quando unus alteri resignat. Hocque maxime verum est, si Beneficiatus Beneficio impos vel propter ætatem, vel propter ægritudinem illud dimittere cogeretur, nec sine pensione vivere aliunde posset. Habetur exemplum in Episcopo Ephesino, cui Concilii Chalcedonensis Patres ducentorum aureorum nummorum pensionem reservarunt super Episcopatu, quem propter senectutem suam dimisit (*Act.* 10. 12. & 14.). *Quarto* ut Clericis indigentibus subveniatur, pensio creari potest; æquum enim est, ut Beneficiatorum divitum abundantia pauperum Clericorum inopiam sublevet, *ut fiat æqualitas* (2. *Cor.* 8.). Quinto pensio destinari pro illo potest, qui ingens Ecclesiæ spirituale, vel tempore commodum contulit, aut confert; veluti si quis pro Ecclesia pugnans vulneratus fuisset, aut utiliter grave aliquod Ecclesiæ negotium gessisset.

Conditiones, quas pensiones canonicæ habere debent, istæ præprimis sunt notandæ. 1. Pensio canonica tertiam reddituum partem non superet. Conditio hæc in provisionibus passim exprimitur. Secus in Italia usuvenit, ubi tam magnæ quibusdam Episcopatibus pensiones imponuntur, ut nihil prope reliquum sit titulari Episcopo pro victu, & pro sua dignitate tuenda. Cardinalis Bellarminus, qui hanc veritatem probe norat, integras super plures Episcopatus

pensiones remisit; cum intelligeret, eas ab Episcopis solvi non posse. Ast pauci Cardinalem Bellarminum imitantur. 2. Pensiones pensionibus immodice addere non licet; quia aliter idem absurdum sequeretur. 3. Rationabilem accipientis indigentiam pensiones non excedant oportet. Dixi *rationabilem*; nam si hæc luxu, hujusque sæculi vanitate metiatur, nulli erunt licentiæ limites, & quædam hoc pacto Beneficiorum pluralitas fiet.

Quemadmodum auctoritate Papæ pensio creari potest, & debet, ita eadem est auctoritate extinguenda. Verum ante creationem extinctionem stipulari non licet, multoque minus pecuniam deponere, de qua ante resignationem facta est conventio. Hoc vere est Beneficium, seu pensionem emere, & simoniam committere. Hæc tamen consuetudo nuper in Ecclesiam est invecta, qui abusus ab iis solum defendi potest, qui se ipsos fallere non dubitant (*a*).

Dantur tamen casus, in quibus citra Papæ interventum immediatum Pensiones exspirant. 1. Per-

(*a*) Quamvis olim habens pensionem clericalem ad nullas preces teneretur; nunc Jure novo ex Bulla Pii V. saltem ubi est recepta, quotidie ad officium Marianum tenetur: quod si omittat, fructus non facit suos, & obligatur ad restitutionem non secus, ac Beneficiatus, qui Breviarium omittit, ut ibidem statuitur. Billuart Tract. *de Relig. Dissert.* 11. *art.* 6. *Sect.* 1. *in fin.*

1. Pensionarii morte. 2. Ejusdem matrimonio, vel professione religiosa. 3. Libera renunciatione. 4. Acceptata redemptione, quibus addi potest; indigentiæ cessatio, dum nempe pensionarius acceptis aliunde proventibus, congruam sustentionem absque pensionis accessione habet.

TRACTATUS VII.

DE SECUNDO ET TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE JURAMENTO.

CAPUT I.

Juramenti notio, & divisio.

Juramentum assumptio est divini testimonii ad aliquid confirmandum (*a*). Duplici modo hæc fieri confirmatio potest. 1. Deum *explicite* in testem vocando, ut si dicas: *Deus testis sit: per Deum juro* &c. 2. Deum solum modo

(*a*) Juramento Deus in testem vocatur, non quidem ut nunc statim quodam miraculo veritatem panda (hæc enim iniqua Dei tentatio foret); sed tunc dum abscondita tenebrarum illuminabit, & cordium manifestabit consilia. Valde etiam ab *adjuratione* juramentum differt; quia per hoc Deus testis invocatur; per illam homo, ut ob Dei reverentiam quidquam agat aut omittat, energice admonetur. Ita Apostolus Thessalonicenses admonuit, dum dixit: *Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola mea* (1. *Thessal.* 5.).

modo *implicite* invocando, in quantum nempe hic modo speciali in quibusdam creaturis continetur, suamque per eas virtutem exerit, ut si per Evangelium, Crucem, Sanctos, Sacramenta &c. rei assertæ veritatem confirmes. Utrumque intra vel extra judicium; cum vel absque solemnitate fieri potest. *Solemnizatum* juramentum dicitur, dum quis Evangelium, Domini crucem, vel aliam rem sacram tangens coram aliquo gravi viro, aut tota communitate jurans quidquam promittat; hoc modo illi, qui ad Canonicatus, Professuram, aut alias dignitates promoventur, ad servanda statuta &c. jurare debent.

Adhuc quadrifariam juramentum dividitur. 1. In *assertorium*, quo affirmatur, vel negatur res præsens, aut præterita. 2. In *promissorium*, quo confirmatur aliquid agendum, vel omittendum pro futuro. 3. In *contestatorium*, quo Deus simpliciter in testem vocatur, ut: *Deus sit testis.* 4. In *execratorium*, quo Deus nædum ut veritatis testis, sed & ut falsitatis vindex advocatur, ut: *æternum Deus me puniat, condemnet &c. nisi &c.* Huc etiam illud, quod *comminatorium* vocant, reduci debet.

Duo ad juramentum concurrant oportet. 1. Voluntas saltem virtualis (*a*) Deum vel explicite

(*a*) Virtualis jurandi voluntas in eo datur, qui verba juramenti aliunde intelligens temere profert; item qui verba juramenti hic & nunc non advertit; jurandi tamen habitum advertit, quin

plicite, vel implicite in teſtem vocandi. 2. Verba quæ hanc invocationem vel ex ſe, vel ex uſu & acceptione hominum deſignant. Si voluntas adſit jurandi, licet hoc verba proprie non ſignificent, pro foro interno verum juramentum erit, quamtumvis obligatio ejus in foro externo urgeri non poſſit: econtra ſi voluntas jurandi deſit, utut verba Dei invocationem ſignificent, juramenti natura non ſubſiſtit; propter divini tamen Nominis interpoſitam auctoritatem, eadem, ac ſi interna voluntas adeſſet, in jurante mendaci oritur obligatio; quia alias jurisjurandi periret utilitas, ac infinitis incommodis humana exponeretur ſocietas. Non igitur ex jurantis intentione juramenti, præcipue promiſſorii, obligatio pendet; ſed ex verborum ſignificatione, & accipientis mente; ſecus, qui vel tantillum ratione pollerent, fallacia juramenta, & fraudes pene infinitas in orbem inveherent.

Sanctum & terribile nomen ejus, ait Pſalmiſta (*Pſalm.* 110.): ideo ab hominibus est venerandum, nec ſine ſacrilegio fruſtra aſſumi poteſt, aut ad confirmandum mendacium, cum Deus veritas ſit. Nonnulli hæretici docuere, nusquam licere nomen Dei in juramentis aſſumere: ſic docebant Pelagiani, (ut ſcribit ſanctus Auguſtinus *epiſt.* 89. *& ſerm.* 28. *de verb. Apoſt.*); & ſancti Bernardi tempore Apoſtolici (*Serm.* 66. *in Cant.*). Poſt hos idem docuit Wicleſus,

per apta remedia eumdem tollere, aut minuere ſtudeat. Vid. *pag.* 215.

Wiclefus, a Constantiensi Concilio damnatus: modo vero hunc errorem docent Anabaptistæ. Constat igitur permissum imo si superior jubet, vel proximi caritas exigat, de præcepto esse, Dei nomen interdum jurando assumere; quia Deus sic colitur, & Religionis actus exercetur, essentialem enim veritatem Deum fatemur, cum illum in testem vocamus. Ait Psalmista: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo* (*Psalm.* 62.). Idem subjicit: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum* (*Psalm.* 109.). In Apocalypsi *Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum* (*Cap.* 10.). Et Apostolus inquit: *Testem Deum invoco in animam meam* (2. *Corinth.* 1.) (*a*).

Non expedit tamen juramentis assuescere; idcirco Dei filius ait in Evangelio: *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod his abundantius est, a malo est* (*Matth.* 5.): idest, juramentum, quod negationi aut affirmationi adjicitur, oritur ex malo pœnæ, cui per peccatum homo subjaceret, juxta sancti Augustini interpretationem; cum enim peccando fide indignus homo evaserit, juramento indiget, ut illi fides adhibeatur. Ante Evan-

(*a*) Quævis juramenta e Fidelium societate eliminata Quesnellus voluit, cujus proin propositionem num. 101. Clemens XI. damnavit: *Nihil Spiritus Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

Evangelium dixerat Ecclesiasticus: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Vir multum jurans replebitur iniquitate* (*cap.* 23.). Jurandi consuetudo ad pejerandum paullatim viam sternit; hinc sanctus Augustinus inquit: *Nemo sicut bonum appetat juramentum, ne assiduitate jurandi ad perjurium consuetudine labatur. Qui intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem esse habendam, refrænet se quantum potest, ut ea non utatur nisi in necessitate, cum videt homines pigros esse ad credendum, quod ut utile est credere, nisi juratione firmetur* (*lib.* 1. *de Serm. Domini in monte.*).

Juramenta, quæ Deum contemnunt, velut per ventrem, per mortem, per sanguinem, ad blasphemiam potius, de qua egimus, quam ad jurationem spectant: non licet vero per Dei creaturas falsa confirmare. Putabant Judæi Juramenta per creaturas nullam afferre obligationem; & licite illa usurpari, modo abesset perjurium. Hinc Christus apud sanctum Matthæum ait: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (*Cap.* 5.).

Per falsa numina juramentum prohibetur, quemadmodum & eorum cultus: qui enim per illa jurat, divinum illis honorem tribuit. Ideo legitur in Exodo: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro* (*Cap.* 23.).

CAPUT

CAPUT II.

Juramenti conditiones exponuntur.

Ut licitum sit juramentum tria hæc requiruntur; veritas judicium, & justitia, sicut expresse Propheta Jeremias ait: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia* (*cap.* 4.).

Justitia præditum juramentum erit, si res jurata honesta sit, nulliusque in damnum vergat: *Judicium* illi accedet, si maturo, ac discreto præmisso examine sit factum, si gravi ex causa, ac urgente necessitate eodem veritas stabiliatur: unde qui pro re levi jurat jam venialiter, jam mortaliter peccat juxta Dei contemptum, cujus nomen jurando usurpatur, vel juxta periculum jurandi falsum.

Triplex hic spectari *veritas* potest. Prima est, cum rem, sicuti est, enunciamus. Secunda, cum rem enunciamus, sicuti esse credimus. Tertia, cum res revera est, sicut dicitur, & creditur. Hinc tria sunt falsitatis genera; primum, cum dictum non est rei conforme; secundum, cum dictum cognitioni loquentis non est conforme, licet verum revera sit; tertium, cum dictum neque veritati, neque cogitationi est conforme.

Veritas juramento necessaria est, rem dicere sicut esse putatur: ille vero falsum jurat, qui contra opinionem suam jurat, licet res forsan in se vera sit; estque hoc juramentum grave peccatum,

catum, quamvis nullum inde damnum sequatur, juxta Martini V. Bullam: nullo etenim pacto juramentum excusari potest, quo mendacium confirmatur. Qui autem falsum juraret, verum se dicere putans, venialiter solum peccaret: nisi forte ad veritatem cognoscendam debitam non adhibuerit diligentiam: vel de rei veritate aut falsitate dubitaret; aut jurare paratus esset, etiamsi falsam rem esse sciret; hisce enim casibus jurans mortaliter peccaret (*a*).

Observandum est teneri nos non solum juxta propriam conscientiam jurare, sed etiam juxta mentem illius, coram quo juramus; præterea teneri nos uti verbis juxta communem significationem, juxta quam ab audiente accipiuntur, & ab omni æquivoco abstinere. Pessima circa æquivoca noviſſimis hisce temporibus ad depravandam christianam Moralem doctrina irrepsit, qua Evangelii puritas corrumpitur, & a civili societate bona fides eliminatur. Ad cogitationes suas explicandas sermone uti debent homines: qui autem verbis mentem suam celat, naturæ hic est injurius (*b*). Verum de hoc argumento singulatim infra agemus.

Merce-

(*a*) Inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas numero 24. ista venit: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit hominem damnare.*

(*b*) Pestiferum amphibologiæ, & mentalis restrictionis usum ut a juramentis idem Pontifex arceret, sequentes propositiones proscripsit: *Si quis*

Mercatoribus non licet æquivocis, aut contra communem significationem verbis jurando uti, ut merces suas vendant: quod si faciant, graviter peccant, scientes enim & volentes jurant, & ementem decipiunt.

Cum ante judicem juratur, qui jure juramentum exigit, & juridice petit, juxta ejus mentem jurare oportet, etiamsi vita esset amittenda.

Non solus falso jurans mortaliter peccat; sed & homines illi privati, qui ansam eidem jurandi dant, aut ab eo juramentum exigunt, quem falso juraturum sciunt: ita quidem divus Thomas docet (2. 2. *qu.* 98. *art.* 4.).

Novus Casuista ait, licitum esse aliquem impellere ad rem falsam jurandam, quam ex igno-

---

quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. num. 26. Item: *Causa justa utendi his ampliologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* num. 27. Item: *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.* num. 28.

ignorantia veram credit; hoc enim casu ad rem formaliter malam non impellitur, cum jurando ipse non peccet. Si quid hæc ratio valeret, liceret ad hostem suum interficiendum furioso opera uti, qui propter amentiam suam occidendo non peccaret.

Neque licet illum ad jurandum impellere, quem falsum juraturum putamus; neque quicquam efficit exceptio, quam idem Auctor affert, dummodo videlicet eum non rogemus, ut falsum juret; idem enim est in proposito casu hunc hominem rogare, ut juvet, ac rogare, ut pejeret. Eamdem alius doctrinam tradit, additque id licere, si quædam serventur circumstantiæ, quarum præcipua est, si de negotio aliquo agatur, & justa adsit ratio hoc juramentum petendi, veluti si id postulet negotii gravitas, aut boni alicujus spes. Verum hoc pacto proximi salus suis commodis postponitur: quod sine peccato fieri posse quis asserat? Si dicas, nos ex caritate non teneri hoc vitare peccatum, cum grave aliquod damnum inde timemus; nonne caritatis naturam destruis, quæ ad vitam pro salute proximi impendendam nos impellit? Tu vero pro temporali emolumento hanc in discrimen adducis (a).

Eadem

(a) Ut quis exactum ab ipso licite acceptare juramentum extrajudiciale possit, *moralem* de rei assertæ veritate certitudinem habeat necesse est; quia alias perjurii periculo se exponeret; ut autem juramentum judiciale secure ac juste præ-

Eadem in *promissorio* juramento sunt servanda, nempe veritas, justitia, & necessitas. Hinc qui id se facturum jurat, quod exequi non intendit, graviter peccat, quidquid juret, & quocumque fine juret; nam Dei nomine abutitur ad testandum mendacium. Qui aliquod veniale peccatum facturum se jurat, illudque facere intendit, venialiter solum peccat; mortaliter autem peccaret, si id facere non intenderet, quia contra veritatem juraret.

Si vero juramenti materia mala est, id est peccato obnoxia, aut quæ sine peccato exequi nequeat, eam exequi non tenemur; imo peccaret qui eam exequeretur, cum mala sit. Hinc temere juravit Herodes, se Herodiadi quidquid peteret daturum; & detestabile crimen patravit, cum Joanni caput amputari jussit, ut promissa servaret.

Neque juramentum servare tenemur, quod majus bonum impedit; tunc enim illius materia nulla est; veluti si quis eleemosynam juret se non daturum, aut aliquod evangelicum consilium se non executurum.

Idem

---

stet, *experimentalem* sive per visum sive per auditum rei quæsitæ notitiam habeat, oportet. Ita statuitur in Jure (3. *Quæst.* 9. *can. Testes.*) ibi: *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant; sed præsentes de his, quæ noverunt, & viderunt veraciter testimonium dicant. Nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta sunt.*

Idem dicito, si juramenti materia sit indifferens; talisque maneat; neque enim vult Deus homines obligare ad id præstandum, quod ex se vanum est, & inutile. Hinc fieri potest, ut mercator, qui nisi certo pretio merces suas se venditurum juravit, juramentum servare non teneatur; quemadmodum fieri potest, ut neque ille juramento sit obstrictus, qui se cum aliquo aut alicubi non lusurum juravit, nisi persona illa, aut locus peccandi occasionem illi præbeat; tunc enim juramentum servare teneretur, cum jam materia non sit indifferens.

Si quis promissorium juramentum emisisset absque jurandi intentione, docent novi Casuistæ rem juratam hunc non teneri præstare, cum nullum adfuerit juramentum. Verum explodenda est hæc doctrina, quæ bonam fidem evellit, & civile commercium destruit. Ajunt illum, qui sine promittendi intentione promisit, si interrogetur, an promiserit, posse negative respondere, & responsioni juramentum addere, si dicere intendat se non promisisse obligatoria promissione. Sic fraus & dolus nova fraude regitur, & peccatum peccato additur, sic humana societas, fidesque evertitur; nemo enim alteri fidere umquam posset, si obligatio standi promissis ex secreta intentione penderet faciendi vel non faciendi promissa, quæ intentio cognosci non posset (*a*).

Plures

(*a*) Qui juramentum exterius proferret absque jurandi intentione, seu cum interna non jurandi intentio-

Plures jurandi formulas Casuista quidam affert, veluti: *Ita hoc verum est, sicut ego Christianus, Presbyter, Religiosus sum: Si hoc non verum est, in Deum ego non credo: Hoc ita verum est, ut Evangelium: Coram Deo hoc verum est: Deus hoc ita esse videt &c.*, & contendit has loquendi formulas non esse juramenta. Sed sancto Augustino id repugnat, qui has vera esse juramenta asserit. Et sane, si non sint hæc verba juramenta, quæ demum erunt? Dicere autem, verba hæc esse æquivoca, ac proinde posse ut juramenta accipi, & non accipi, idem est ac hominibus illudere; qui enim vel tantillum ratione pollent, perjuria, falsa juramenta, & fraudes in orbem terrarum hac via invehi clare perspicient.

At si ex metu aut vi emissum esset juramentum; exempli gratia, si quis latroni pecuniæ vim promisisset, ut ex ejus manibus elaberetur, non conveniunt Doctores, an hic promissis stare teneatur. Plures asserunt standum esse promissis,

---

tentione etsi verum juramentum juxta dicta non deponeret, ne tamen commodum ex sua iniquitate reportet, propter divini nominis reverentiam exterius serio interpositam, non secus, acsi interna intentio accessisset, ad præstandam promissionem pro foro etiam interno obligatur; quia alias omnis juramenti supervacaneus usus foret. Grave quoque ipso fallaci juramento peccatum committeretur. Hinc Innocentius XI. hanc num. 25. damnavit propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi sive res sit levis, sive gravis.*

sis, ne Dei nomen frustra videatur assumptum; alii docent jusjurandum non obligare, cum non liberum, sed extortum fuerit, neque ex justitia teneri jurantem promissa exequi, & pecuniam solvere (*a*).

Si quis captivus esset in bello, aut propter æs alienum inclusus esset in carcere, teneretur propter juramentum in carcerem & in captivitatem redire, etsi vita periclitaretur. Regul inter Romanos exemplum, qui ad Carthaginenses rediit, a quibus crudeliter est interemptus, summam meretur admirationem, & milius monet.

(*a*) Iniquo exactori non quidem ex justitia; sed ex jurisjurandi religione (nisi petita, & impetrata relaxatio fuerit) promissam summam solvere tenemur. Juramentum enim ex gravi metu factum eo ipso quia adhuc voluntarium jure naturali validum est; jure autem positivo nullibi irritatur, sicuti tamen irrita declarantur vota gravi ex metu emissa. Unde Alexander III. ait: *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ* (cap. *Si vero. de jurejurando.*); ubi additur, quod ad coercendam iniquitatem eorum, qui sic jurare coegerunt, in Ecclesia sæpe hujusmodi relaxentur juramenta. Et divus Thomas docet, ex metu gravi jurantem non quidem homini, sed Deo obligari ad præstandum id, quod per illius Nomen promisit (2. 2. *Quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 3.). Ubi addit: *Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam.*

monet, ut fidem ſervent, quam revera honeſti viri omnino ſervant.

Si in juramento error aut fraus intervenit, id eſt quando jurans errorem non agnovit, neque de eo dubitavit, juramentum non obligat; tunc enim juramentum eſt veluti conditionatum. Exempli gratia, centum nummos quis pro adamante cum juramento promiſit, quem verum putavit: ſi falſus eſt adamas, non tenetur promiſſor hanc ſummam ſolvere.

Quoad *comminatorium* juramentum, ſi juſta eſt pœna, quam jurans minatur; veluti ſi Præceptor diſcipulum a ſe puniendum minetur ex correctionis & juſtitiæ zelo, quod juravit tenetur implere: ni faciat, Deum mendacii teſtem adhibet, cum juſtitia, cæteræque juramenti conditiones adſint. Verum ſi quis alteri injuſtum malum minetur, veluti capitis amputationem, non tenetur, quod juravit exequi, & exequendo peccat, quia contra juſtitiam juravit. Idem de juramento dicendum, quod ex ira provenit; hoc enim non eſt penitus voluntarium. Si mutetur ratio, propter quam quis juravit; exempli gratia, ſi ille, cui malum minamur, peccatum ſuum deteſtatur & corrigit, veniamque exorat, ſi inutile aut pernicioſum futurum ſupplicium novimus, illud exequi non tenemur.

CAPUT III.

Modi recenſentur, quibus juramenti ceſſat obligatio.

Contracta ſemel juramenti obligatio variis deficere modis poteſt. Et quidem *Primo* ſimplici *ceſſatione*, dum videlicet 1. materia ex poſſibili in impoſſibilem, ex honeſta in inhoneſtam, ex utili aut meliore in nocivam aut ſaltem inutilem ac indifferentem mutatur, 2. dum alter, cujus gratia juramentum promiſſorium feciſti, ſua adimplere promiſſa renuit, vel ſponte totum remittit.

Secundo. Irritatione facienda ab eo, cui jurans, vel materia jurata ſpecialiter ſubjicitur. Sic pater filiorum, mariti uxorum, Dominus famulorum, Epiſcopus ſuorum Clericorum, & Superior Religioſorum irritare juramenta valent, ſi hæc circa res ſuæ poteſtati ſubjectas fuerint facta; iſthæc enim conditio, *ſi pater, maritus, Superior &c. conſenſerit*, in ejusmodi juramentis, ut licita, ac juſta ſint, ſaltem implicite involvitur; unde ante horum conſenſum valida, non tamen firma, ſed irritabilia ſunt.

Tertio. Diſpenſatione quam gravi ex cauſa Papa, vel Epiſcopus (niſi votum Papæ reſervatum juramento ſit adnexum) concedere poteſt. Cauſæ ob quam concedi diſpenſatio ſolet, ſunt metus gravis, doloſa inductio, gravis damnificatio

catio &c. aut prudens de juramento, vel ejus materia dubium (*a*).

Quarto. Commutatione dum nempe rationabili ex cauſa juramenti materiæ hic & nunc nimis difficili Superior tamquam Dei vices agens aliam ſubſtituit, idque Papæ præprimis competit, & iis, quibus ille committit. At ſi juramentum in favorem tertii ſit factum, & ab eo acceptatum, neque a Papa commutari poteſt, qui nemini vult obeſſe. Tres tamen fieri exceptiones poſſunt. 1. Juramentum commutari poſſet ob juſtam tertii pœnam, ut Papa ſolet, qui ab juramento in favorem excommunicati facto abſolvit (15. *Quæſt.* 8. can. *Nos Sanctorum.* & can. *Nos juratos.*). 2. Si juramentum vi, metu aut dolo ſit extortum, ne extorquens commodum ſua ex iniquitate hauriat in aliud commutari poteſt. 3. Si bonum commune cum tertii privato concurrat; quia huic illud præferendum eſt. Unde ſi cuidam reſignare Beneficium ſub juramento promiſiſti, alium magis dignum in commune Eccleſiæ bonum præferre Epiſco-

(*a*) Diſpenſatio in juramentis fieri poteſt a Superioribus, qui *ordinariam* in votis diſpenſandi poteſtatem habent, quales ſunt Epiſcopi, non autem ab iis, qui *delegata* tantum in votis diſpenſandi poteſtate gaudent, quales juxta quosdam Doctores ſunt Religioſi mendicantes. Nam juxta ſtylum Curiæ romanæ privilegium diſpenſandi in votis diſtinguitur a privilegio diſpenſandi in juramentis. Ita Antoine pro ſe citans Navarrum Azorium, Leſſium &c.

Episcopus potest. Hæ ipsæ exceptiones in dispensatione valent.

Juramentum quod nullo ex recensitis, modo solvitur, omnino servari debet; unde nædum qui falsum jurat, sed & qui postmodum contra juratam fidem agit, perjurus est, illisque ab Apostolo accensetur, qui excluſi a Regno manent (*Gal.* 5.).

SECTIO II.

DE VOTO.

CAPUT I.

Voti definitio, & divisio traditur.

Votum est voluntaria Deo facta de bono meliori promissio. Dicitur promissio, quia sola deliberatio non est votum. Dicitur *voluntaria*, quia vis, & timor abesse debent; & voluntas requiritur, ut bonum faciamus, & Deo simus obstricti, sicut requiritur, ut malum fiat, & dæmoni obstringamur (*a*). *Deo faciendo* est

(*a*) Ad voti valorem *Jure naturali* ea plena, quæ ad grave peccatum sufficit, advertentia requiritur; *Jure positivo* perfecta adhuc libertas exigitur. Hinc qui ex gravi metu, quem causa libe-

est hæc promissio; est enim votum actus religionis, quæ directe Deum respicit. Si quando Sanctis vovere dicimur, id ita explicare oportet, quia nempe coram Sanctis vovemus, iisque ut testibus summe verendis utimur, & eorum suffragia apud Deum poscimus, ut exequendi voti gratiam nobis obtineant. Tandem oportet, ut votum sit *de meliori bono*; si quis enim rem malam voveat, vovendo peccat, & ex materiæ defectu votum est irritum. Si rem quis voveat, cujus contraria melior sit, nullum est votum, veluti si quis nubere voveat; cum enim status ecclesiasticus aut religiosus sit matrimonio melior, hoc

---

ra ad extorquendum votum injuste incussit, quidquam Deo vovet, Juris dispositione nihil agit. De voto *solemni* omnes Doctores conveniunt, idque clare in Decretalibus (Cap. *Perlatum. de his quæ vi* &c.) est decisum. De voto *simplici* Auctores haud ignobiles idem probabilius affirmant, suamque sententiam auctoritate Capituli *Cum dilectus.* (*Tit. eod.*) stabiliunt. Quodsi metus gravis a causa naturali, vel libera juste incutiatur, aut si injuste, non tamen ad extorquendum votum, sed alio ex fine incutiatur, votum valebit; quia ad evitandum aliud grave malum liberrime eligitur. Unde licet invalida sint vota, quæ parentum, consanguineorum minis obtenta; illa tamen, quæ ex metu tempestatum, naufragii, incendii, mortis a latronibus propter bona intentatæ, vel mortis ob crimen a Judice dictatæ fiunt, omnino valent, ac servari debent; nisi metus vehementia rationem adeo turbarit, ut judicii, & advertentiæ induxerit deliquium.

hoc nubendi votum majus bonum impedit, ideoque nec Deo est gratum, nec validum. Idem est dicendum, si res indifferentes quis voveat, sicut de juramento diximus.

Vota alia absoluta sunt, alia conditionata. Votum *absolutum* statim obligat: *conditionatum* tunc obligat, cum adjecta conditio est impleta. Tale fuit Israelitarum votum in Numerorum libro verbis hisce comprehensum: *Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus* (*cap.* 31.).

Quædam vota sunt de rebus *præceptis*; quædam vero de rebus, quæ ad *consilium* spectant, quale fuit in Actis Ananiæ & Saphiræ votum, qui non tenebantur agri sui pretium ad sancti Petri pedes afferre; sed cum votum voverint, & solam pretii medietatem attulerint, Spiritui sancto, non hominibus mentiti sunt. Ait Scriptura divina: *Si nolueris polliceri, absque peccato eris* (*Deuter.* 23.). Sanctus vero Augustinus in illa Psalmi septuagesimi quinti verba: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*; ait: *Quisque quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut, quod voverit, reddat. Unusquisque Deo quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.*

Dividitur votum in reale, personale, & mixtum. Votum *reale* est illud, quo aliquid Deo promittitur; veluti eleemosyna, aut ornamentum aliquod Ecclesiæ. *Personale* illud est, quo opus aliquod personale Deo promittitur, veluti peregrinatio; aut operis alicujus omissio, veluti

veluti certam domum non ingredi, quæ occasio est peccati. Votum *mixtum* illud est, quod reale & personale complectitur; veluti si quis Lauretanam domum invisere, ibique eleemosynam offerre voviſſet.

Verum celeberrima voti divisio est in simplex & solemne. Votum *simplex* est, quod secreto & solum coram Deo fit; veluti si quis orans Religionem ingredi voveret. *Solemne* illud est, quo solemniter corpus suum & libertas traditur in manus Superioris, qui Dei vicem gerit; quæ promissio publice ab Ecclesia acceptatur. Hæc solemnitas ex Ecclesiæ institutione provenit, utilisque est cautio contra levitatem humanæ voluntatis, quæ cum adeo inconstans sit, fræno opus habet, ut in proposito maneat. Extra controversiam est meliora esse opera, quæ ex solemni Religionis voto fiunt, quam quæ sine voto; hoc enim solemne votum propriæ voluntatis abdicatio est & obligatio, qua Deo fructus cum arbore donantur. Animadvertendum tamen est Dei amorem christianis operibus proprie pretium dare, illaque discernere; ita ut opus absque caritate ex solo voto factum non esset Deo æque acceptum, ac opus ex caritate absque voto factum; & ad legis servilem spiritum potius pertineret, quam Evangelii spiritum, qui est spiritus caritatis. Hæc est sancti Augustini doctrina in libro de Virginitate; nec injuria statui religioso credenda est, qui interior status est, nec solum exterior, qualis in veteri lege Pharisæorum status erat, qui vo-

votum ſuum ſervili ſpiritu implebant. Votum eſt hominis Deo facta conſecratio, & holocauſti ſacrificium. Porro chriſtiani ſacrificii ignis eſt amor; ideo inquit Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt* (1. *Cor.* 13.).

CAPUT II.

Voti obligatio in examen vocatur.

Voti gravis eſt obligatio; unde Eccleſiaſtes ait: *Quodcumque voveris, redde, multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere* (*Cap.* 5.). Et ſanctus Paulus de viduis poſt caſtitatis votum ad nuptias convolantibus ad Timotheum ſcribit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (1. *Tim.* 5.). Non igitur temere ſed prudenter eſt vovendum; Deo enim fit promiſſio, qui ſevere promiſſa exigit.

Ut tamen gravis ex voto obligatio fluat, duo concurrant neceſſum eſt, nempe materiæ gravitas, & voventis intentio ſaltem virtualis implicita, (prout Doctores loquuntur) ſub gravi ſeſe obligandi. Vovens ſiquidem vovendo ipſe ſibi privatam quamdam legem conſtituit: unde ſicut ad gravem legum, ita & voti obligationem iſta duo requiruntur (*pag.* 307.). Gravitas materiæ tam a quantitate, quam neceſſitate, aut fine voventis petitur. Intentio *virtualis* in eo datur, qui juxta quod prius ſtatuerat, poſtea nihil amplius de obligatione cogitans vovet. Inten-

tentio *implicita* tunc habetur, quando quis aliunde voti obligationem sciens, libere hic quidquam Deo promittit, quin expressam contrahendæ obligationis mentionem faciat. Unde qui materiam gravem vovet, nec tamen suam de obligatione intentionem exprimit, gravem obligationem, materiæ respondentem, incurrit: qui in materia gravi sub levi tantum se obstringere expresse intendit, nonnisi levem obligationem contrahit; qui denique ad pœnam tantum, facta voti transgressione subeundam, se obligare voluit, votum violando non peccat; ad pœnam tamen illam, prout illa gravis, vel levis fuerit, sub gravi vel levi adstrictus manet.

Quemadmodum voti obligatio, ita & obligationis *extensio*, & *tempus* a voventis intentione pendent; hinc si quis jejunium vovendo meram a carnibus abstinentiam intendit, ad hanc præcise ex voto tenetur, binaque refectio ipsi libera manet. Si mulier sub castitate Deo promissa continentiam a nuptiis intellexit; subinde actus venereos exercens contra castitatem, non contra Religionem peccat. Si juvenis non quamlibet, sed hanc Religionem, hocque monasterium ingredi vovit, ibi repulsam passus; alibi supplicare voti causa non tenetur; secus si seclusis hisce restrictionibus facta hæc vota fuissent.

Similiter qui certum in vovendo tempus sibi præfixit, antequam hoc terminetur votum exsolvere non tenetur, nisi forsan citius occasio opportunior se offerat, aut voti persolutio definito

nito tempore omnino impedita prævideatur (a). Si vero nullum a vovente determinatum tempus fuerit; prima oblata occasione exsolvi votum debet; quia conditio hæc: *Quamprimum potero*, implicite in quavis libera promissione involvitur, & in Deuteronomio dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret, illud Dominus Deus tuus, & si moram feceris reputabitur tibi in peccatum* (Cap. 23). Quodsi tamen rationabili ex causa, puta ut postea commodius ac devotius fiat, dilata voti adimpletio fuerit, non erit, qui eam damnet.

Utrum autem ille, qui absque causa voti adimpletionem procrastinat, graviter, vel leviter peccet; ex circumstantiis & sequelis est desumendum. Si ex hac dilatione voti seu potius substantiæ promissæ diminutio sequatur, uti si votum

(a) Duplici modo intendi a vovente tempus potest. 1. *Principaliter* tamquam fixus obligationis terminus, dum nempe res promissa mensi, hebdomadæ, diei alligatur, aut propter ipsum tempus v. g. Quadragesimæ, Vigiliæ, Festi vovetur. 2. *Concomitanter* tamquam negligentiæ terminus, ne videlicet voti adimpletio nimium differatur. Qui primo modo vovit, illo tempore impeditum se prævidens non tenetur voti solutionem anticipare; neque culpabiliter omissam postea supplere; quia obligationis adimpletio diei &c. est affixa, quemadmodum in Missæ auditione, jejunio &c. ex præcepto Ecclesiæ faciendis patet; qui vero secundo modo quidquam Deo promisit; vel prævenire vel supplere voti solutionem debet; quia opposita hic ratio valet.

voto *Religionis*, *fundationis* &c. contingit, mortale; qui sic differt, peccatum committit. Idem dicendum, si ex dilatione periculum omissionis nascatur. Econtra si integra voti materia maneat, omissionis periculum, & contemptus absint, plerumque veniale negligentiæ, ac socordiæ peccatum a differente committitur.

Sed quid, votum dubium perinde acsi certum esset dubitantem obligat? Novi Casuistæ eum qui de ipsa voti *substantia* dubitat, perdurante dubio in possessione suæ libertatis, ac liberum a voto esse docent, eum vero qui solum de quibusdam voti accidentibus hæsitat, adstrictum voto pronunciant. Ast vanas eorum cantilenas hic non moramur; sufficienter easdem protrivimus, dum statim in primo Tractatu (*pag.* 33.) in dubio tutius semper eligendum esse demonstravimus. Hinc qui examinatis utrimque motivis adhuc dubius de voti emissione manet, observare votum debet, ne temere transgressionis periculo se exponat; qui de quibusdam voto adnexis hæsitat, nisi aliter de intentione, aut ex circumstantiis præsumi possit, servare illa tenetur; qui denique de ipsa voti adimpletione dubitat, denuo ad eam obligatur; quia debitum certum nonnisi certa ac liquida solutione diluitur.

Voti personalis obligationi per alios satisfieri nequit, votum tamen reale, vel mixtum secundum quod reale est aliorum interventu persolvi potest; ac sæpe cum rebus seu bonis obligatis ad hæredes transit; qui tamen ipsi jam non

non ex voti Religione, sed potius ex fidelitate, & justitia ad promissa præstanda obligantur. Quodsi reale mere accessorium ad personale sit, hæres ad nihil tenetur. Hinc si parens piam solummodo ad Domini sepulchrum peregrinationem vovit, filius hæres ad sumptus itineris haud obligatur, nisi sponte ad eos ipse se obstrinxisset; si vero notabiles oblationes illinc pater destinasset, onus istud ad filium transit, magisque quam cætera pia legata attendi debet (*a*).

CAPUT III.

Voti cessatio, irritatio, commutatio, dispensatio.

Sicut juramenti, ita & voti obligatio quadruplici modo tollitur, videlicet cessatione, irritatione, commutatione, dispensatione. De singulis adhuc pauca hic subnectam, quia plerique supra (*pag.* 582.) de juramento dicta aptari voto possunt.

Votum

(*a*) Ut ista obligatio contrahatur requiritur 1. ut hæres adeat hæreditatem, 2. ut post soluta funeralia tantum supersit, quantum voti realis persolutio exigit; quia vota sicut alia debita nonnisi ex rebus a testatore relictis sunt solvenda. Porro de votis ipsi testamento insertis Jura decernunt (L. 32. C. *De inoff. Test. lib.* 3. *tit.* 28.), ea omnino irrita esse, si legitimæ præjudicent. Quæ Juris dispositio ad vota extra testamentum facta extendi nequit; quia (ut Billuart ait) parentes dum vivunt, sicut donis, eleemosynis &c. ita & votis legitimam successorum minuere possunt, consequenter sicut ad alia debita ita & ad hæc vota hæredes tenentur.

Votum obligare cessat. 1. Si ejus materia adeo mutatur, ut ex meliore, & possibili, aut indifferens, aut majoris boni impeditiva, aut moraliter impossibilis efficiatur. 2. Si causa finalis, ob quam vovisti, deficiat. 3. Si tempus, pro voti observantia designatum, exspiret. Hinc si pauperi Cajo certam dare eleemosynam vovisti, hoc divite facto tuum de eleemosyna votum cessat, si domum in qua puella tibi pernicioſa habitat, vitare vovisti, remota, aut mortua fœmina liber ad illam domum tibi ingressus patet. Si vovisti non nubere, contracto temere matrimonio petere & reddere debitum potes. Attamen sæpe contingit, ut materiæ parte una impossibili reddita, pars alia possibilis maneat; sicque voti obligatio quoad unam; non alteram cesset: unde qui ad jejunium ex voto tenetur, si non a bina refectione, saltem a carnibus abstinere debet: qui centum Deo promisit, saltem decem, quos potest, offerre tenetur, nisi vovendo expressisset contrarium (a).

Voti

(a) Multa, quæ de obligatione legum supra (*pag.* 309.) sunt dicta, hic denuo relegere juvabit. Propositio num. 54. ab Innocentio XI. damnata, ibidem in Notis adducta, haud leve tum hic, tum ibi dictis lumen affundit. Porro votum conditionatum, non purificata conditione, proprie non cessat, sed potius numquam obligare incipit. Quodsi vovens honestam voti conditionem vi, fraude, vel dolo impedit, voto tenetur, si secluso dolo illa certo secuta fuisset, aut verisimilius; nam alias vota ejusmodi illusoria

Voti irritatio fit, dum ille, cui voventis voluntas, vel res promissa est subdita, contra promissionem præjudicialem excipit, eamque prorsus annullat. Hinc Pontifex omnium fidelium, Episcopus diœcesanorum, Prælatus Religiosorum, pater filiorum, maritus uxoris, uxor mariti, Dominus servi, tutor pupilli irritare vota possunt; non tamen omnia, restricta siquidem horum jurisdictio est, certosque fines habet: irritari nempe hujusmodi vota possunt, quando cum illorum conciliari obligationibus nequeunt. Vota a Religiosis, & impuberibus facta, id est: a pueris ante decimum quartum ætatis annum, a puellis ante duodecimum (sive realia sint, sive personalia, sive mixta) a Superioribus, & parentibus eorum, aut ab iis, qui horum vices gerunt, quales sunt avus, tutor &c. *directe* irritari possunt; hi enim sui juris non sunt, ipsorumque velle ab alio dependet: unde absque alterius consensu firma eorum vota numquam erunt. Puberum vero & uxorum, vel maritorum vota tantum *indirecte* dirimi possunt; quia non voventium voluntates, sed res promissæ quandoque alteri subduntur; unde si vota hæc perennia sint, non tam irritationem, quam suspensionem admittunt, sublataque

---

forent, & fraus, dolusque voventi patrocinarentur. Hinc qui Religionem ingredi vovit, si pater consenserit; at postmodum ne ille consentiat, verbis captiosis ipsemet efficit, perinde acsi pater consensisset, voto obligatur. Ita Bailuart, Antoine & alii.

que subjectione denuo eorum reviviscit obligatio (*a*).

Voti commutatio fit, cum priori obligationi alia substituitur. Omnia ubique vota commutare potest Pontifex; & quilibet Episcopus in sua diœcesi, si quinque tamen vota excipias, videlicet Religionis, castitatis perpetuæ, peregrinationis ad sanctum Jacobum, Romam, & Jerusalem; hæc siquidem vota Papæ reservantur (*b*). Commutatio absque rationabili causa fieri non debet. Ut votum in *melius* commutetur,

(*a*) Inter directam & indirectam irritationem hoc intercedit discrimen, quod vota *directe* irritata non reviviscant; *indirecte* autem irritata cessante subjectione illico reviviscant, quia in his non voluntas, ut in illis; sed materia tantum voti alteri subjecta est: cessante ergo subjectione reviviscit obligatio. Ita Mariani.

(*b*) Ut hæc vota S. Pontifici actu sint reservata juxta communem debent 1. esse *certa*, id est, non quoad substantiam dubia, 2. *absoluta*, vel statim a sui exordio, vel completa postmodum conditione absolutis aggregata, 3. *determinata* id est determinate circa materiam reservatam facta, si enim disjunctiva sint, unumque disjunctionis membrum materiam communem non reservatam contineat, uti *vel* 30. *diebus jejunare*, *vel Romam ire*, pro reservato non est habendum, quamtumvis postea alterum membrum non reservatum per accidens impossibile fiat. Ratio istius limitationis est; quia reservatio ceu odiosa, & Episcoporum potestati præjudicans strictæ interpretationi est obnoxia, adeoque ad vota omni ex parte *perfecta* est restringenda; vota autem *dubia*, *conditionata*, *indeterminata*, quousque talia sunt, perfectis accenseri Doctorum opinione haud

tur, sola voventis petitio sufficit: ut in *æquale* major voventis devotio, aut major exequendi certitudo: ut in *imperfectius* seu inferius opus bonum, specialis in vovente difficultas, & ex fragilitate natum sæpius transgrediendi periculum attendi debet. Vota in favorem alterius facta postquam semel acceptata sunt, antequam ille libere consenserit, commutari nequeunt.

Voti dispensatio fit, cum Superior ecclesiasticus ex justa causa, Dei nomine & auctoritate voti obligationem relaxat. Hac dispensandi potestate Papa gaudet, eamque aliis, quibus vult, impertitur. Omnia quoque vota, excepta quinque Papæ reservatis, Episcopi relaxant. Imo emergente necessitatis casu in voto perpetuæ castitatis potestate ordinaria, aut saltem tacite ipsis delegata dispensant. Idque adhuc magis de voto castitatis non perpetuæ, vel non integræ, de voto videlicet virginitatem servandi, non nubendi, non fornicandi &c. verum est. Causæ rationabili dispensatio innitatur oportet. Nonnullas præcedente sectione de juramento agentes adduximus (*pag.* 582.). Dispensationem absque rationabili causa, vel cum causa falso delegata nullam ac irritam esse, in Tractatu IV. de legibus (*pag.* 327.) probavimus, adductæque ibi rationes fortius de voto, ac de quacumque humana lege stringunt (*a*).

SECTIO

haud merentur; sicque commutari ab Episcopis, aliisque Privilegiatis possunt.

(*a*) Cum sine legitima causa dispensatio non subsistat, causa vero ipsa anceps sæpe, ac dubia sit,

SECTIO III.

DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

CAPUT I.

Dies Dominica Sabbato recte est substituta.

Tria famuli dominis suis debent. 1mo. Fidelitatem, quæ extraneum dominum colere non sinit, nec cum domini sui hostibus societatem inire: hoc Deus nobis primo Præcepto imperat. 2do. Reverentiam, quæ facta & verba complectitur: id secundo Præcepto servare nos Deus

---

sit, in praxi rarus admodum dispensationis usus esse debet. Imo si de Confessariis privilegiatis videlicet mendicantibus, & iis, qui cum ipsis participant, sermo sit, eisdem omnino non tutum est in votis dispensare, utut commutare vota communia absque scrupulo possint. *Commutandi* enim facultatem PP. Jesuitis concessit Paulus III. in Bulla, quam exhibet Cassarubius in Compend. *Priv. Mend.*; concessit Minimis Sixtus V. in Bulla *Sedes apostolica* 5. apud Cherubinum, quam Gregorius XIII. ad vota etiam jurata extendit. At *dispensandi* privilegium innititur 1. Innocentii VIII. concessioni vivæ vocis oraculo factæ, quam proin Urbanus VIII. cum aliis revocavit. 2. Concessioni binæ, quam Eugenius IV. PP. Benedictinis Cassinensibus, & Valisoletanis feciſſe fertur. Aſt prima de dispen-

Deus jubet. 3tio. Obedientiam, quæ exterius opus requirit: hoc tertio Præcepto Deus jubet, in quo Sabbati meminit, quæ dies ad Hebræos ſpectabat; Eccleſia vero diem Dominicam, aliave Feſta Sabbato ſubſtituit.

Sabbatum ſanctificare Deus Judæis præcepit, ut hinc jugiter meminiſſent Mundi creationis, & exitus ex Ægypto, ut Terræ promiſſæ requie fruerentur. Erat etiam Sabbatum requiei figura, quam ſuo in ſepulchro Chriſtus habuit. Quemadmodum die ſeptimo requievit Deus ab omni opere, quod patrarat; ita poſt ſex ætates Mundi futuri ſæculi requiem hominibus Deus promittit; & ſervilium operum ceſſatione nos admonet, ut a peccato abſtineamus, quo diaboli mancipia efficimur: denique requie, quam famulis dat, dominis manſuetudinem commendat, & ne famulos laboribus opprimant. Verum finis præcipuus, propter quem pœnis tam rigidis Sabbati ſanctificationem Hebræis præcepit, erat, ut ab ipſis ea die coleretur, & religionis opera exercerentur, quibus ab Ethnicis ſecerni poſſent. Ideo ſic illos admonuit: *Videte ut Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris, ut ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico vos* (*Exod.* 31.).

Plura

ſatione voti clare nihil continet: altera tot eſt reſtricta conditionibus, ut nec perpetua, nec aliis communis videatur. Vid. Billuart Tract. de *Relig.* Diſſert. IV. *art.* 8. §. 4. *Prop.* 3.

Plura deinceps Festa præter Sabbatum habuere Judæi veluti Festum Paschatis, Tabernaculorum, & Dedicationis Templi.

Apostoli Sabbati diem in diem Dominicam sanctissimis ducti rationibus mutavere; nam Mundi creatio primo hebdomadis die cœpta est, eodem Dominus a mortuis surrexit, Spiritus sanctus in Apostolos descendit, & Ecclesia confirmata est.

Post Apostolos hic dies semper a fidelibus sanctus est habitus; qui eodem Ecclesiam adibant ad sancta celebranda Mysteria, ad verbum Dei audiendum, & ad orandum: nulla eo die servilia opera faciebant, sed ad alendos pauperes collecta fiebat. Vetitum erat hoc die jejunium, neque hoc tempore fideles genuflectebant.

Ecclesiam immerito accusant hæretici, quod alia Festa instituerit; nam si Sabbatum, quod a Deo erat institutum, in Dominicam mutare potuit, quare non potuit nova Festa instituere, ut Christi mysteria celebraret, Sanctosque in cœlo regnantes coleret? Horum Festorum antiquitatem Ecclesiastica Historia, & plurimæ Græcorum, Latinorumque Patrum Homiliæ probant: cum vero Apostolus eos damnat, qui Neomenias, & Judæorum Festa celebrabant, ideo damnat, quia hæc ad salutem necessaria putabant, & Judaismum Ecclesiæ sociare volebant. *Nemo* (inquit Apostolus) *vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt in umbra futurorum, corpus autem Christi:* quæ verba christiana Fe-

sta non afficiunt, quoniam hæc non umbra sunt, sed veritas.

Non omnes rationem sciunt, ob quam Ecclesia Domini Festa instituerit; neque passim hæc Fidelibus explicatur. Dei Filii mysteria singula peculiarem ipsis gratiam operantur; quique eorum testes fuerunt, hanc sunt consecuti. Hinc Pastores & Reges, qui Jesum in præsepio adorarunt, ejus infantiæ gratiam acceperunt; item qui oblationi ejus in Templo, & super Calvarium interfuerunt, sacrificio huic participarunt. Verum quia pauci hisce mysteriis interfuerunt, quorum perpetua est gratia, ideo Ecclesia ad illa recolenda dies festos instituit, ut qui pie hos celebraverint, easdem gratias possint accipere, quas olim iisdem præsentes sunt consecuti. Pium est hoc erga fideles inventum, ut interiore dispositione corporalis præsentiæ defectum supplere possint.

Quoad Sanctorum solemnitates, per eas quoque eorum gratiis communicamus, si pios dies istos agimus, & eorum virtutes nitimur imitari; sicut sanctus Augustinus ait: *Solemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

CAPUT II.

A quibus operibus die Festo sit abstinendum.

Festa ergo sunt sanctificanda, quod hodie duobus absolvitur; ab operibus nempe *servilibus* abstinendo, & sancto *Missæ sacrificio* interessendo.

do. Circa servilia opera, duo operum genera sunt distinguenda. Eorum quædam sunt *spiritualia*, sic dicta, quia spiritus in his magis quam corpus operatur, veluti legere, scribere, docere, studere, concionari, disputare, & similia. *Corporalia* vero opera bifariam distinguuntur: quædam natura sua servilia sunt, veluti agros colere, aut quid hujusmodi agere; quædam autem natura sua non sunt servilia, videlicet vendere emere, iter agere, venari, piscari, musicum instrumentum pulsare, hisque similia; hæc siquidem opera nobilibus æque viris ac artificibus conveniunt. *Servilia* igitur opera ea proprie sunt, quæ temporale lucrum immediate respiciunt, quæque a famulis & artificibus passim fiunt.

Tria ex *spiritualibus* operibus Ecclesia die festo prohibet. *Primum* est causas agere, & quidquid ad judiciale forum spectat, & *cum strepitu judiciali* fit, ut Canonistæ loquuntur. *Secundum* est mortis, aut corporalis pœnæ sententiam ferre, vel aliam, quæ cum strepitu judiciali fiat. *Tertium* est testium seu litigantium juramentum exigere, vel recipere (cap. *Omnes.* cap. *Licet.* cap. *Conquestus de Feriis.*).

Nequeunt Notarii die festo instrumenta, similesque actus condere, cum enim Canones emptiones, venditiones, aliosque contractus prohibeant, etiam eorum instrumenta condere censendi sunt prohibere; idque præterea in plerisque Diœcesibus, Statutisque synodalibus est vetitum. Verum si hosce actus conficiendi

consuetudo ab Episcopo toleraretur, possent Notarii absque peccato hos actus condere, dummodo extra divinorum Officiorum tempus id fierer, & sine scandalo. Idem est dicendum, si publica urgeat necessitas, exempli gratia si de aliqua Consulari electione ageretur, aut si de publica & gravi re esset deliberandum, possent Acta conscribere. Necessitas quoque particularis æque urgens, gravisque esse posset, veluti transactio aliqua inter partes, quæ alio die convenire nequirent: hæc acta sine peccato posset Notarius conscribere.

Tonsores artem suam diebus Dominicis, aliisque Festis exercere magis, quam alio tempore, abusus est non tolerandus, quem a peccato consuetudo non excusat. Nos in nostra Diœcesi hunc abusum expresse interdiximus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Quoad opera *corporalia*, quædam natura sua sunt indifferentia, veluti iter agere, venari, vendere, & emere; quædam vero periculosa sunt, quæ ad peccatum plerumque pertrahunt, videlicet ludere, choreas ducere, & cauponas frequentare. *Indifferentia* quædam opera die festo sunt permissa, dummodo Missa audiatur, nempe iter agere, & juxta aliquos venari, & piscari; ego vero arbitror diem festum ab illo non sanctificari, qui diem venando aut piscando ageret; hujusmodi enim exercitia devotionis spiritum extinguunt, & a piis operibus avertunt, quibus Festa christiane celebrantur. Quæ eo die Missa auditur, ut in adagio est, Missa est

est venatorum, sæpe parum devote celebrata, & cui minori pietate assistitur.

Quoad emptionem & venditionem, duo sunt rerum genera, quæ venduntur aut emuntur: quædam eodem die consumuntur, veluti panis, vinum, carnes, fructus, & herbæ, quæ omnia diebus festis vendere & emere licet; sed merces illæ, cæteraque quæ eodem die non consumuntur, vendere nec emere licet, sicut præcipitur cap. *Omnes de Feriis*. Neque nundinæ, neque mercimonia festis diebus essent habendæ; quemadmodum in plerisque Diœcesibus per synodalia statuta cautum est.

Opera *periculosa*, videlicet publici lusus, choreæ, & cauponæ regiis Edictis divinorum Officiorum tempore sub mulcta prohibentur; verum cum sæpius peccandi occasionem ista præbeant, satius esset eadem tempore quolibet prohibere.

Pistores, aliique parantes victui necessaria, veluti coqui, possunt die festo operari, dummodo Missam audiant. Verum si in Festi, aut Dominicæ vigilia possint Pistores coquere, sic est faciendum; in plerisque etenim locis non ex publica necessitate, sed ex ignavia die festo operantur.

Messis, aut vindemiæ tempore, possunt segetes, & uvæ colligi, post auditum Sacrum, si Parochi, aut Episcopi licentia adsit; sed vera necessitas debet adesse, non ficta, ut sæpius evenit.

Artifi-

Artifices, quorum opera periret, aut vitiaretur, si eam interrumperent, possunt die festo cœptum opus continuare, dummodo Sacrum audiant; veluti si in carbonaria, aut in calcis fornace arderet ignis; artificibus non vult Ecclesia tam grave damnum inferre, quod illis eveniret, si ab opere cessarent.

Mulieres, filii, famuli, qui a dominis, parentibus, aut maritis die festo laborare coguntur, si illis obediant, non sunt a peccato immunes, quando opus in diei festi aut catholicæ Religionis contemptum præcipitur; verum si non ex contemptu, sed ex avaritia opus præcipitur, debent se famuli ab opere exequendo excusare, & hujusce actionis culpam dominis significare, a quorum servitio discedant, si vetitum opus jubere pergant. Quoad uxores, & filios, qui merito timerent se vexandos, nisi laborarent, & revera vexantur, possunt aliquamdiu laborare, dummodo de vi conquerantur, nec Missæ interesse illis vetetur; secus mala quælibet a marito vel parente potius essent toleranda, quam mortale peccatum patrandum.

Si familia aliqua extrema necessitate laboraret, & diurno labore viveret, quando plura sibi succedentia occurrunt festa, possent qui de familia sunt laborare, dummodo id clam fieret, & absque scandalo (*a*).

Posset

(*a*) Nædum in extrema, aut gravi necessitate, sed juxta arbitrium quovis die festo dummodo scandalum absit, servilia opera fieri absque peccato posse

Posset quis sine peccato die Festo laborare, si per breve exiguumque tempus id ageret. At non conveniunt Doctores in hac temporis determinanda quantitate. Aliqui docent duas horas esse tempus notabile, alii vero ajunt horam unam notabile esse temporis spatium.

Festorum violatio est communius ruricolarum peccatum, & quod magis impunitate gaudet in Gallia, ubi politiæ causa Judices laici hujusce delicti cognitionem sibi arrogant. Non ita sub prima Regum nostrorum stirpe fiebat; nam in tertio Aurelianensi Concilio, anno Domini 537. habito, canone vigesimo octavo de diei Dominicæ celebratione ita legitur: *Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.* Edictum quod post secundum Matisconense Concilium Rex Guntramnus anno 585. edendum curavit Christiano Rege dignissimum est, & omnibus in Ecclesiis insculpendum esset.

Suos igitur populos Parochi monebunt, hoc peccatum directe Deum lædere, virtuti siquidem Religionis adversatur. Quemadmodum autem sacrilegium committeret, qui vas altaris sacrificio consecratum violaret, ita sacrilegium est laborando diem violare Deo dicatum, qui reli-

posse nonnulli docuerunt, quorum opinionem hac in propositione Innocentius XI. damnavit: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali sepposito scandalo, si absit contemptus. Num.* 52.

reliquos hebdomadæ dies ad laborandum hominibus tribuens, aliquos suo peculiari cultui potest reservare. Neque vero Deus operibus illis benedicit, quæ die festo, licet sint vetita, fiunt: hinc tempestates, grandines, & fames proveniunt. Denique in veteri lege Sabbatum violans morte plectebatur, quæ maxima est pœna, ut mortale peccatum, quod Festi violatione committitur, illudque sequens æterna damnatio, supplicium est longe amplius formidandum. Ingentia & rara narrat historia supplicia, quibus hoc Deus peccatum puniit: ingentia quoque & eximia leguntur in historia beneficia, quæ festa rite colentibus Deus largitus est. Constantinus magnus, & duo Theodosii mira suis subditis pietatis exempla dabant Templa visitando, longasque fundendo preces.

Ab hoc pietatis spiritu vehementer abest novus quidam Casuista docens, non esse peculiariter vetitum die festo peccare & Deum lædere, nec peccata esse opera servilia, & solum metaphorice peccatorem peccati servum vocari. Inne est explicanda Christi sententia, qui ait: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan. 8.*)? Si metaphorica est ista servitus, Christus igitur metaphoricus tantum est Redemptor; quia non eos proprie redemit, qui proprie servi non erant (*a*).

Absur-

(*a*) *Quia* (inquit S. Thomas 2. 2. *Q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.) *magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis si* sor-

Absurde pariter docet, licitum esse discedere a loco, ubi Festum de præcepto celebratur, & ad alium pergere, in quo Festum illud non servatur, servilis operis exercendi gratia. Nonne enim Ecclesia sic contemnitur, & si fieri posset decipitur, quæ vult a fidelibus in singulis parochiis Festa servari?

Captiosam aliam rationem alius docet Casuista, infidelibus videlicet famulis uti, veluti Mauris, aut Turcis, quos ad laborandum destinare licitum putat; quasi non ex Domini præcepto isti Festum violarent.

CAPUT

---

corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Et S. Augustinus ait: *Spiritualitur observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid enim est ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* (*Tract.* 3. *in Joann.*). Hinc est, quod varia Concilia, cum in diebus Festis homines ad peccandum promptiores cernerent, Festa multa abrogarint. Patribus in Concilio Trevirensi anno 1549. congregatis *Operæ pretium visum est, Festorum numerum contrahere, quo & effrænes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum.* Sequente sæculo, anno videlicet 1649. Urbanus VIII. Constitutionem edidit, qua nædum Festorum numerum apostolica Auctoritate minuit; sed & Ordinarios monuit: *Ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeant abstinere.*

CAPUT III.

Quomodo Missæ interesse debeamus.

Festorum sanctificatio tota hodie Missæ tantum auditione pene absolvitur. Præcipuus sane hic est cultus, qui Deo tribui possit; in Missa enim Deo Filii sui corpus immolatur, sed non hoc solo diebus Deo penitus dicatis ille est colendus, verum orationibus insuper piisque aliis exercitiis.

Novi Casuistæ tam absonas, imo impias opiniones circa modum audiendi Missam docere, ut pene sint incredibiles. Quidam illorum docet, Missam ab aliquo audiri posse, si quatuor eodem tempore Missæ partes audiat, postremam imo Missæ partem ante primam audiri posse, & Turriani auctoritate nititur; quia iste quoad substantiam præceptum implet, cujus solum ordinem invertit. Alius docet, illum præcepto satisfacere, qui Ecclesiam ingressus duas Missæ partes a duobus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus audit (*a*).

Audi-

(*a*) Laxitatem istam Innocentius XI. e scholis catholicis eliminatam voluit, dum hanc num. 33. damnavit propositionem: *Satisfit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Cæterum successiva diversarum Missæ partium auditione & coadunatione ecclesiastico præcepto satisfieri nædum quidam Casuistæ, sed & nonnulli Cathechetici in libellis pro plebe compilatis adhuc hodie absque scrupulo docent; sed quem in

Audacius adhuc Casuista quidam progreditur, nec asserere erubescit, illum, qui ad Missam audiendam pergit, ut impudice fœminam aspiciat, Missæ auditionem cæteroquin omissurus, audiendæ Missæ præcepto satisfacere, etiamsi expressam non satisfaciendi intentionem habeat. Ratio, qua hæc paradoxa tuentur, est, quia Ecclesia exteriorem solum actum interessendi Missæ imperat, cum interiores intellectus & voluntatis actus jubere non possit. At ignoratne hosce actus a Deo præcipi, & posse Ecclesiam Dei præcepta declarare? Omnes enim christianæ Religionis actus interni magis sunt quam externi, & per hoc a judaicæ religionis actibus distinguuntur, qui externi erant. Inter Christianæ Religionis actus Missa excellentissimus est & sanctissimus; in Missa enim Christi corpus Deo Ecclesia offert, & cum illo se ipsam: *tam ipsa per*

---

in finem, quove fructu, haud video. Vel enim illi, qui secundæ Missæ primam solum seu mediam partem audiunt, quo minus parti posteriori assistere queant, justa causa, e. g. gravi incommodo, damno, metu &c. impediuntur, & sic juxta dicta de legibus (*pag.* 308.) a legis observantia hic & nunc legitime excusantur, ac vano isto solatiolo non indigent: si vero carnali commoditate, & acedioso tædio avocantur, tamquam servi pigri lenimento hoc prorsus indigni sunt. Quodsi tamen quis hunc Missam audiendi & satisfaciendi modum veluti *dubium* in solo necessitatis casu, quo *certa* fieri satisfactio nequit, practice eligeret, vel aliis suaderet, provide omnino, ac laudabiliter ageret.

per ipsum (inquit sanctus Augustinus) *quam ipse per ipsam.* Porro quomodo fidelis quisque, qui membrum Ecclesiæ est, offerre se Deo potest, si ad id, quod agit non attendat, nec hunc velit sacrificio interesse? imo dum illud Deo offertur, cor suum diabolo immolat desideriis impudicis, quæ fovet, turpibusque cogitationibus, quibus assentitur. Quamvis exterius suum profiteatur obsequium, nonne Deo illudit, atrocemque illi injuriam infert, dum se adorantem simulat, & revera vehementer contemnit?

Optime cum sancto Antonino (2. part. tit. 9.) & Navarro (*cap. quando not.* 13.) ait Suarez (*disp.* 83. *sect.* 3.), ad implendum præceptum ejusdem implendi voluntatem esse necessariam; quia præcepti adimpletio est actus obedientiæ, qui sine voluntate fieri nequit. Oportet igitur, ut cum voluntate audiendi Missam non adsit formalis voluntas contraria præcepto; hic enim actus præcepti impletionem impediret, quia illi non obediretur. Hominis etiam exemplum affert, qui die festo Missam ex devotione audiens hunc interiorem actum eliceret: Nolo hac Missa præcepto satisfacere; & ait hunc revera non satisfacturum (*a*). Addit tamen, quod si aliquis Missæ interesset cum intentione aspiciendi mulierem, dummodo sufficienter ad Missam attenderet, nec voluntatem satisfaciendi præcepto excluderet, illi satisfaceret;

(*a*) Videantur dicta *pag.* 310. & 311. una cum subjuncta Nota.

ret; non tamen dicit quod quidam Auctor eum dixiſſe aſſerit, quia de ſimplici viſu loquitur, non de impudicis erga mulierem deſideriis, aut delectationibus. Nihilominus ſi hic aſpectus toto Miſſæ tempore hominem detineret, & a debita attentione averteret, quis aſſerat hunc præcepto ſatisfeciſſe? aliud enim quam corporalem præſentiam, & externam reverentiam ſacrificium poſtulat. De his potiori jure quam de Judæis ait Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me* (*Iſaiæ* 29.).

Attentio debet pia eſſe, & ad Deum dirigi. Ratio eſt, quia Eccleſia Miſſæ auditionem jubens, actum humanum, & moralem præſentiam juber; humanus autem nequit eſſe actus, nec præſentia moralis, quando nulla adeſt attentio. Nec tamen ſufficit humanum eſſe actum & moralem, oportet inſuper, ut pius ſit, & ad Dei cultum ſpectet: quomodo vero Deum ille honorat, cujus animus ad aliena penitus diſtrahitur, nec de Deo ullatenus cogitat?

Sanctus Thomas de vocali oratione loquens ait (2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 13.) triplicem eſſe attentionem, 1. ad verba; 2. ad verborum ſenſum; 3. ad Deum. Hoc in audiente Miſſam conſiderare licet, nam attendere poteſt adverba a Sacerdote prolata, & ad ſacras, religioſasque actiones, quas ille peragit: hæc autem attentio eſt omnium infima, ſed ad implendum præceptum ſufficit. Secunda attentio, quæ ad verborum ſenſum progreditur, eſt nobilior;

quia non ſolum præcepti ſubſtantiam reſpicit, ſed finem etiam ejus attingit, qui eſt Chriſti paſſionis, & Dei beneficiorum commemoratio; non tamen hæc ad præceptum implendum eſt neceſſaria, hæc enim paucorum eſt; quamvis quilibet poſſit & debeat Chriſti paſſionem & mortem Miſſæ tempore confuſe ſaltem meditari, & ab illo chriſtiane vivendi gratiam petere. Tertia attentio, quæ cæteris antecellit, Miſſam audientibus eſt ſuadenda, & ab his ſummo ſtudio curanda, ut ſacrificii fructum obtineant, & vere Deo ſe offerant, juxta inſtituti ſacrificii finem. De hoc nos Eccleſia admonet hisce Præfationis verbis: *Surſum corda;* quæ cordis elevatio docet, a creaturarum noſtrique amore eſſe cor abſtrahendum, & Deo penitus dicandum. Quomodo igitur qui pravis cogitationibus & deſideriis plenum cor habent, & ad hæc ſacrificii tempore incumbunt, Eccleſiæ præceptum implere poſſunt, ut novi quidam Caſuiſtæ aſſerunt?

Poſtrema hæc attentio, quæ ad implendum præceptum non eſt neceſſaria, omnes reverentiæ & cultus actus complectitur, precesque omnes ac petitiones, quæ Deo offerri poſſunt; interdum etiam ad contemplationem, & extaſim progredi poteſt, quibus ad verba & cæremonias attentio impeditur, & uni Deo mens mirabiliter adhæret; hinc tamen minime fieret, ne impleretur præceptum. Porro hoc valde diſtat a voluntaria ſpiritus evagatione & diſſipatione, & ab ejusdem adhæſione vanis pravisque cogitatio-

rationibus, cum quibus novi quidam Casuistæ docent satisfieri posse præcepto. His laxitatibus antiqui omnes repugnant; veluti Sylvester (*v. Missa qu.* 6.), Navarrus (*in Sum. c.* 13. & 21.), Cajetanus (*v. Fest. violat.*), Suarez (*loco cit.*) & Toletus.

Verum quoniam pluribus vagationibus humana mens subjacet, actualis attentio ad totam Missam non est necessaria; ideo involuntaria distractio non impedit, quin præcepto satisfiat. Melior audiendæ Missæ modus est mentem ad ea advertere, quæ dicit, agitve Sacerdos, secus enim actioni non conjungimur, qua Ecclesia Deo sacrificium, illique assistentes offerunt. Optat Tridentina Synodus, ut ii *communicent*, qui Missæ intersunt, illosque hortatur, ut *spiritualiter* id agant. Quomodo autem spiritualis hæc communio cum voluntariis pravis desideriis & cogitationibus convenire potest?

In Missa, ut diximus, Christum Ecclesia offert, Christusque Ecclesiam. Assistentes igitur sunt quodammodo sacerdotes, nec eorum dispositio a celebrantis dispositione valde debet differre, ut sacrificii fructum participent. In Canone Deum Sacerdos orat, ut Angelum suum mittat, qui sacras oblationes supra altare sublime suum in Divinæ majestatis suæ præsentiam deferat: hæ autem oblationes sunt assistentium animæ, quas offert Sacerdos cum immaculata Hostia, quæ in cœlum ab Angelo deferri non indiget, nec tamen ab iis separatur, quibuscum Deo offertur. Potior ratio, propter quam Ecclesia

Dominicis festisque diebus fideles Missam audire jussit, est, ut Deo tunc se offerant, & cum Dei filii corpore Deo oblati, supremo Domino debitum honorem tribuant. Hinc æstimare licet, quomodo Ecclesiæ præceptum impleant, qui dum Missæ interfunt, prava desideria turpesque cogitationes fovent; sicut novi quidam Casuistæ docent.

CAPUT IV.

Pœnæ canonicæ contra Festorum profanatores statutæ.

Vetus Ecclesia rigide admodum Festorum violatores puniebat; pretiumque operæ factorum me arbitror, si pœnitentias referam, quibus hoc illa peccatum mulctabat.

Opera servilia diebus Dominicis Festisque exercens pane & aqua triduo jejunabit (*Burchard. l.* 19.).

Qui die Dominica absque necessitate equo vel cymba iter peragit, pœnitentiam aget septem diebus (*ex Pœnit. antiquo.*).

Qui ante Ecclesiam die festo saltabit, si emendationem promittat, pœnitentiam aget tribus annis (*Pœnit. Rom. t.* 7.).

Si quis post prandium Missam audiat, triduo pane & aqua jejunabit (*Burchard. l.* 10.).

Si quis divinorum Officiorum tempore ab Ecclesia garriat, decem diebus pane & aqua jejunabit (*idem l.* 19. *de irrev.*).

Si quis Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis festa extra domicilii sui locum sine causa celebrat,

brat, decem diebus pane & aqua jejunabit (*idem de Sacrament.*).

Felicia hæc tempora abiere, quibus sancta hæc disciplina ad amussim servabatur, cum Christiani optime norant, quam sit abnorme Festa violare, & pœnitentiis, si quando errabant, se humiliter subjiciebant. Si Confessarii pœnitentes suos ad has ferendas pœnitentias non aptos judicant, eas moderentur; sed caveant, ne tam leves pœnitentias imponant, quæ ad peccantium emendationem parum aut nihil conferunt.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

INDEX

PRÆCIPUARUM MATERIARUM.

A.

Abnegatio sui necessaria, pag. 167
Abrogatio legis. 331
Acedia. 286
Actus humanus. 179
Adoratio interna & externa. 447
Ambitio. 255
Apostasiæ notio, divisio &c. 436
Avaritia. 259
Avarorum effugia. 390

B.

Beneficiatus qualis. 520
Beneficium. 522
- - Quomodo conferendum. 526
- - Cui conferendum. 529
Beneficiorum pluralitas. 532
- - Est contra S. Patres. 538
- - Contra Concilia. 544

Bene-

Beneficiorum vanæ excusationes Adversariorum. pag. 547. 551. 557
Blasphemia. 475

C.

Caritas actionum christ. regula. 124
- - Virtutes progenerat. 128
- - Spem nutrit. 131. 148
- - Soliditatem virtutibus tribuit. 136
- - Omnia ad Deum refert. 139
- - Facit bona fieri, sicut oportet. 152
Caritas primum Moralis Christianæ fundamentum. 164
Cessatio legis. 331
Collator Beneficii. 526
Concupiscentiæ origo. 99
- - Effectus 104
- - Inordinati motus. 109
Consuetudo legitima. 334
Contentio. 244
Correctio fraterna. 376. 379
Crucis susceptio necessaria 171
Crucis dominicæ cultus. 473
Cultus S. Crucis. *ibid.*
- - Sacrarum imaginum. 470
- - Sanctorum. 467
Cultui religioso opposita vitia. 475. 480. 482. 484. 488. 491. 494. 499
Curiositas. 247

D.

Desperationis horror. 443
Dilectio Dei. 340

Dilectio Dei tam affectiva quam effectiva. pag. 349
- - Sæpius in vita obligat. 353
Dilectio proximi præcepta. 357
- - Etiam inimici. 366
Divinatio. 484
Dominica dies Sabbato substituta. 597

E.

Ebrietas. 277
Eleemosynæ notio &c. 384
- - Circumstantiæ obligantes. 394
- - Conditiones. 398
- - Comprehensio & extensio. 402
Exceptiones avarorum nullæ sunt. 390

F.

Festa dies opera servilia excludit. 600
Fidei notio, & necessitas. 417
- - Vitia opposita 424. 428. 430
Fontes Moralis corruptæ tres. b
Fraterna correptio. 376. 379
Fundamentum Moralis christianæ caritas. 164

G.

Gloria inanis. 238
Gula & ebrietas. 277

H.

Hæresis. 428
Hominis lapsi miser status. 93

Horæ canonicæ a quo, & quomodo sint dicendæ. *pag.* 455
Hypocrysis. 242

I.

Jactantia, 241
Ignorantia, 199
- - Quænam a peccato excuset. 204. 210
Imagines sacræ colendæ. 470
Infidelitas. 424
Infirmitas humana. 218
Inobedientia. 252
Interpretatio legum. 321
Invidia. 284
Ira. 272
Juramenti notio &c. 568
- - Conditiones. 573
- - Cessatio, relaxatio. 582

L.

Legis notio. 294
- - Divisio. 296
Legis humanæ materia. 301
- - Obligatio. 305
- - Adimpletio. 310
- - Subjectum. 315
- - Interpretatio. 321
- - Dispensatio. 324
- - Abrogatio cessatio &c. 331
Luxuria. 265

M. Ma-

Index

M.

Magia. pag. 491
Maleficium. 494
Malitiæ notio &c. 224
Moralis chriſtianæ corruptelæ. 6
Moralis chriſt. Regulæ non probabilitas. 18
- - Nec pauci Recentiores. 25
- - Sed Evangelium. 65
- - Concilia. 71. 75
- - Sancti Patres. 85

O.

Obligatio legis. 365
Obſervantia vana. 488
Odii malitia. 406
Omiſſionis, & alieni peccati explicatio. 289
Opera ſervilia quæ. 600
Orationis notio, neceſſitas. 450

P.

Peccati notio. 178
- - Diviſio. 183
- - Mortalis malitia. 190
- - Venialis damna. 196
Peccata aliena. 289
Peccata contra Spiritum ſanctum. 228
Pœnæ canonicæ hæreticorum. 428
- - Profanatorum Sabbati. 614
- - Simoniacorum. 510
- - Superſtitioſorum. 499

Plura-

Pluralitas Beneficiorum. *pag.* 531 *seq.*
Præsumptio. 257
Præsumptionis vanitas. 443
Principia Moralis christianæ immutabilia. 14
Probabilem minus sequi non licet. 42
Probabiles æque plenam libertatem non relinquunt. 33
Probabiliorem minus tutam quandoque sequi licet. 60
Probabilistarum objectiones. 53
Probabilitas ex unius opinione non nascitur. 25
Probabilitas actionum christianarum regula esse nequit. 18

S.

Sacrilegium. 480
Sanctorum invocatio. 467
Scandalum. 411
Sensuum oblectamenta ob solam voluptatem illicita. 113. 119
Simonia quid. 501
- - Quotuplex. 506
- - Beneficiis se ingerit. 511
Spei notio & obligatio. 439
- - Vitia opposita. 443
Subjectum legis. 315
Superbiæ descriptio, species. 232
- - Infaustæ filiæ. 238
Superstitio. 482

T.

Tentatio Dei. pag. 480
Timor bonus & utilis. 154
- - Servilis non sufficit. 163

U.

Voti notio, divisio. 584
- - Obligatio. 588
- - Cessatio, commutatio, dispensatio. 593

INDEX
DAMNATARUM PROPOSITIONUM.

Circa

Amphibologiam. Vid. *Jurament.*
Auditionem Missæ. 608
Beneficia ecclesiastica. Vid. *Simon.*
Caritatem Dei. 131. 354
Caritatem proximi. 360. 375
Concupiscentiam. 113. 278. 310
Eleemosynam. 391
Festorum celebrationem. 605
Fidem. 354. 418. 419. 420. 421. 422. 426. 432
Horas canonicas. 458. 461. 464. 465. 466
Juramenta. 571. 574. 575. 579

Damnat. Propoſitionum.

Leges.	*pag.* 305. 306
Luxuriam.	269
Occaſionem proximam.	226
Orationem.	451
Peccata.	189
Probabilitatem.	26. 27. 46. 48. 63. 90
Simoniam.	504. 506. 529
Voluntarium liberum.	180

Menda.	*Emenda.*
pag. 296. in provincia-lem, & municipalem in localem, & perſona-lem cum communi ſub-diviſiones accedunt.	in provincialem & mu-nicipalem ; in loca-lem, & perſonalem ceu communes ſubdiviſio-nes accedunt.

Cætera leviora prudens Lector corriget.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN